This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600092094U

13841. f. 125

BREVIARIUM TULLENSE

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS D. D. SCIPIONIS HIERONYMI

BEGON,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopi & Comitis Tullenſis, S. R. I. Principis juſſu & auctoritate, necnon de venerabilis ejuſdem Eccleſiæ Capituli conſenſu editum.

PARS HYEMALIS.

Vænit 8. lib. non compactum.



TULLI LEUCORUM,
Sumptibus ſuis ediderunt Typographi Uſuum Tullenſium.

M. DCC. XLVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

Et væn[illegible] Nanceii apud A. LESEURE, Typographum [illegible]gium, ſub Signo S. Joannis Evangeliſtæ.

SCIPIO

HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopus Comes Tullenſis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

U*NA equidem, & quæ neminem prætterit, lex eſt hominibus impoſita, ut*
ſacrificio laudis ab omnibus honoretur Pſ. 47.
magnus Dominus & laudabilis nimis, *cujus* eſt orbis terrarum, & Pſ. 23.
univerſi qui habitant in eo: *Hinc utique ab*
omnibus enixè rogandus, qui ſit in miſericordia
dives in omnes qui invocant illum: *inde exo-* Rom. 10.
randus humiliter, qui ſedeat ſuper thronum Pſ. 9.
judicans juſtitiam: *hinc gratè benedicendus, qui* Jacob. 1.
det omnibus affluenter, *& non improperet: inde* 1. Theſſ. 5.
ſine intermiſſione *invocandus, qui operetur* in Philip. 2.
nobis velle & perficere pro bona voluntate.

Lib. de Eccleſ. Dogmat. inter Opera S. Auguſtini, cap. 56.

Quia enim nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum, niſi orantem, auxilium promereri; *omnium quotquot ſumus, quanti refert adjutorem deprecari Deum ex quo* noſtra ſufficientia eſt?

2. Cor. 3.

Verum illa, quæ ex ſummo Dei imperio, & ex noſtra virium & rerum inopiâ omnibus communis eſt, multò vobis impenſiùs incumbit orandi neceſſitas; vobis, inquam, Fratres chariſſimi, qui divinis mancipati ſpecialiùs, & ab anxiis ſæculi negotiis liberi, pro Deo ad populum legatione, & pro populo ad Deum mediatione ex inſtituta veſtræ conditionis ſorte fungimini. Sacrorum enim adminiſtris injunctum quis neſciat, ut, dum aliàs alii avocantur, manus ipſi ad cælum ſupplices attollant, modò Numen pugnantibus deprecaturi propitium; modò peccatoribus iratum exarmaturi.

Iis quippe Clericis demandatum eſt precationis publicæ munus, quò vocem & pietatem populo quaſi vicariam commodent, verendaſque Angelorum vices imitati, incenſa multa, quæ ſunt orationes

Apoc. 5.

Sanctorum, *ante ſedem Agni ſuppliciter offerant. Permagnum ſanè religionis opus; quod quantò præſtantius, tantò ab Eccleſia fuit ordinandum accuratiùs; ut ſacrificium illud laudis odorem coram Deo ſuaviſſimum exhalaret.*

Hinc, quia rudioribus ſæculis in Libros Officii Eccleſiaſtici nonnulla irrepſerant non ſatis exactè digeſta, quæ divinorum parum ſaperent Canticorum majeſtatem; ſacroſancta Synodus Tridentina ex iis omninò voluit expunctum quidquid divini cultûs decori minùs congruum videretur, aut dignitati. Quod cùm in multis olim tentatum legimus, tum in iis vidimus perfectum Breviariis, quæ non minori laude quàm diligentiâ nuper edidere plures Galliarum Epiſcopi.

Quorum perutilem laborem æmulati, cùm nulla vel pauca ſupereſſent veteris Breviarii Tullenſis exemplaria, novum ordinari & excudi curávimus, quod ad incorruptas fidei morumque regulas exactum, meliori ordine digeſtum, diligentiori examine probatum, recitantium pietatem verbi divini pabulo aleret, veritate firmaret, exemplis accenderet; illa-

quæ Sacerdotibus offerret ſubſidia, quibus populos ſibi commiſſos ſcientiâ ſalutis poſſent inſtruere faciliùs. Tantâ porrò ſedulitate, eoque conatu opus elaboratum eſt, ut jam in lucem prodeat, veſtris omnium votis excipiendum illud curæ Paſtoralis noſtræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decurſu fuſiùs explicatam, in ipſo tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes ſingulis annis Scripturæ ſacræ Libros legi, & integrum ſingulis hebdomadis providemus recitari Pſalterium, eo digeſtum ordine, quo, diſtributis ad Horas breves, & juxta antiquiſſimum Concilii Narbonenſis Canonem diviſis in plures Doxologias longioribus Pſalmis, ſimul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Pſalmodiæ gravamini præcaveretur. Conc. Narbonenſ. Can. 2.

Quoniam autem amica, *ut ait ſanctus Cyprianus*, & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; *Invitatoria, Antiphonas, Verſiculos, Capitula & Reſponſoria ex ſacris Codicibus deſumpta voluimus; & iſta quidem ex gemino tum veteris, tum novi Teſtamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, mirus utriuſque concentus cuique mox obvius occurreret: quod eo frequenter ſucceſſu peractum eſt, ut Scripturæ veteris Teſtamenti in primis Veſperis & in Officio Nocturno prælectæ, quaſi nocti aurora in Laudibus, & quaſi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Teſtamenti textus.* Cypr. Lib. de Orat. Dom. poſt init.

Licèt firma aſſerendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario noſtro diſponere ſtuduerimus; ne tamen, qui ex inſtituto ad precationem publicam comparatus eſt Liber, is in controverſiarum vel adhortationum lectionem plus æquò deſineret, & imprudenter ſubtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè inſudavimus, ut precationis formam & ſenſum exprimerent textus ſacri ad Antiphonas, Reſponſoria & Verſiculos aſſumpti; quibus avocatus fortè, quaſi interſertis precibus ad Deum revocatus, alacriùs aſſurgeret recitantium animus, & illis, quaſi ſparſis hinc inde ſcintillis, tepeſcens aliquando pietatis ignis exardeſceret.

Cùm multi eſſent Hymni, vel ineleganti ſtylo, vel etiam deficiente metro compoſiti, ſubtractis quibuſdam, aliiſque emendatis, plures alios ſuffecimus, quorum ſit modulatio facilior, ſtylus ad metri regulas exactior, ſenſus ad pietatem aptior.

Lectiones è Patrum Sermonibus & Homiliis excerptæ, cavimus ut cum delectu fierent, ex genuinis eorum operibus, & ad optimarum editionum fidem diligenter recognitæ, Myſteriis vel Feſtis cujuſque diei congruæ, & (quod nobis quaſi proprium) pro multiplicitate Feſtorum ſic multiplices & variæ; ut & paſcendæ Miniſtrorum doctrinæ, & inſtruendis in Lege Chriſtiana populis bene conſultum videatur.

Acta Sanctorum, nonniſi ex coætaneis, ſupparibus, aut ſaltem melioris notæ auctoribus, ad puriores Hiſtoriæ fontes exacta, ſeveriori caſtigavimus examine; cùm melius ſit, teſte ſancto Auguſtino, quodcumque verum, quàm quidquid pro arbitrio fingi poteſt; nec umquam, ut inquit Innocentius III. ſub nomine pietatis tolerari debeat falſitas.

Aug. de vera Relig. cap. 108. Innoc. lib. 3. Epiſt. 10.

Unum ſingulis anni diebus Canonem ad abſolutionem Capituli legendum appoſuimus: quod & antiqua Eccleſiæ diſciplina inſtituit, & recens plurium Diœceſeon firmavit exemplum; ſicque proviſum eſt, ut Clerici omnes perutili diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitiâ faciliùs imbuti, ad illius normam diligentiùs mores componere ſtuderent. Hos verò Canones, quò majoris eſſent apud vos momenti, ex Conciliis generalibus, quorum veneranda eſt ubique terrarum auctoritas, aut ex antiquis Provinciæ Treuirenſis & Diœceſis noſtræ Synodis, quarum Decreta noſſe nos, & præ cæteris obſervare decet, ut plurimùm decerpere curavimus.

Cœleſt. I. Epiſt. 3. cap. 1. Capitul. Aquiſgr. cap. 55.

Reſtituta eſt ſua diei Dominicæ prærogativa, ut nempe ad Duplicium gradum evecta, Feſta quælibet excluderet, niſi quæ à populo ex toto vel ex parte feriarentur, aut primam ſecundamve in Eccleſia noſtra celebritatis Claſſem obtinerent.

Edocti antiquitate regulari (ut cum Patribus Toletanis loquamur) ſacriſque Conciliis Laodiceno, Bracarenſi & aliis, Quadrageſimam, utpote luctuoſis pœnitentiæ laboribus ſacram, nonniſi ægrè Martyrum admittere ſolemnia; occurrentes per illud

Tolet. 10. c. 1. Laod. c. 51. Brac. c. 48.

tempus Sanctorum Feſtivitates ad aliud magis opportunum tranſtulimus : exceptis tamen Feſtis S. Joſeph & Virginis Annuntiatæ, quibus propter ſolemnitatem ſuus religioſè locus ſervatus eſt.

Denique, cùm illa quæ certo ordine concinnata ſunt, faciliùs ſubeant animos, & memoriæ tenaciùs inhæreant; ſuum cuique Pſalmo in Pſalterio, cuique diei in hebdomada, cuique Officio in Myſteriorum, vel Sanctorum ſolemnitatibus, imò & cuique Officiorum parti ſcopum aſſignavimus brevi & ſimplici argumento explicatum, quo menti ſeſe primo proſpectu offerret nova nobiſque propria hujuſce Breviarii methodus, eo imprimis ordinata conſilio, ut ſtudioſâ Verſiculorum cum Antiphonis, Antiphonarum cum Capitulis, Capitulorum cum Reſponſoriis brevibus relatione cautum ſit, ne in incertum erraret, aut ad aliena raperetur recitantium attentio.

Quocirca, ut uno à nobis ore, uno ab omnibus precationis ritu glorificetur Deus, de venerabilium Fratrum Eccleſiæ noſtræ Canonicorum conſilio; omnibus Diœceſis noſtræ Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Ordinibus, Communitatibus, in quibus Breviarium Tullenſe ex more vel lege recitatur; necnon omnibus ſingulíſque Clericis qui ad illud ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Profeſſionis quocumque modo tenentur, mandamus & præcipimus, ut hocce Breviario noſtro à nobis, ut ſequitur, ordinato utantur in poſterum; neque aliud, ſive publicè in Choro, ſive privatim extra Chorum recitare præſumant.

Unum ſupereſt (quod noſtri maximè eſt muneris) adhortari vos, Fratres chariſſimi, ut toto erecti animo, has preces vobis quotidianas eo recitetis pietatis ſenſu, quem & quantum ſanctiſſimi illius miniſterii magnitudo poſtulat. Eccleſiaſticâ quidem lege ſancitum eſt, ut quos in præcipuam hæreditatis ſuæ partem Deus elegiſſet, ii ſtatis temporibus atque Horis, quas Canonicas vocant, preces & laudes Domino perſolverent. Verùm, qui præcepti hujus litteram ſequimini, ſpiritum aſſequi ſatagite. Pſallite Deo noſtro, pſallite; *ſed memores quòd* Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter. *Concordet cor manu, & dum alternat pro tempore ſonus vocum,* Pſ. 46.

perpetua ſit vox interiorum. Quantùm miſeri qui Deum invocando provocant, tantum felices vos, ſi injunctum precationis officium eâ præſtetis corporis modeſtiâ, eâ mentis attentione, eâ cordis pietate, quâ ſitis Eccleſiæ ad ſplendorem, Religioni ad præſidium, Fidelibus ad exemplum, Angelis ad ſpectaculum, orbi univerſo ad auxilium.

Et quoniam in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum; obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum. (2. Cor. 7. Rom. 15.)

DATUM Tulli Leucorum, in Palatio noſtro Epiſcopali, die quartâ menſis Julii anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo.

✝ *SCIPIO HIERONYMUS,*
Epiſcopus Comes Tullenſis.

De Mandato illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. mei Epiſcopi Comitis Tullenſis.

THIBAUT.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	*Aureus Num*	*Epacta*	*Indictio.*	*Littera Dominical.*	*Dom. post Epiph.*	*Septuageſima.*	*Dies Cinerum.*
1748	1	xxx	11	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1749	2	xj	12	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1750	3	xxij	13	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1751	4	iij	14	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Feb.	7 Mart.
1754	7	vj	2	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1755	8	xvij	3	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1756	9	xxviij	4	d c	5	15 Feb.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	5	6 Feb.	23 Feb.
1758	11	xx	6	A	4	22 Jan.	8 Feb.
1759	12	j	7	g	2	11 Feb.	28 Feb.
1760	13	xij	8	f e	3	3 Feb.	20 Feb.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Feb.
1762	15	iiij	10	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Feb.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Feb.	20 Feb.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1767	1	xxx	15	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Feb.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Feb.
1770	4	iij	3	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Feb.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Feb.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Feb.	21 Feb.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1778	12	j	11	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Feb.
1781	15	iiij	14	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1783	17	xxvj	[illegible]	e	5	16 Feb.	5 Mart.

PARS HYEMALIS.

SCIPIO HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Epiſcopus Comes Tullenſis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.

UNA *equidem, & quæ neminem præterit, lex eſt hominibus impoſita, ut ſacrificio laudis ab omnibus honoretur* magnus Dominus & laudabilis nimis, *cujus* eſt orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo: *Hinc utique ab omnibus enixè rogandus, qui ſit in miſericordia* dives in omnes qui invocant illum: *inde exorandus humiliter, qui ſedeat* ſuper thronum *judicans* juſtitiam: *hinc gratè benedicendus, qui det* omnibus affluenter, *& non improperet*: *inde* ſine intermiſſione *invocandus, qui operetur* in nobis velle & perficere pro bona voluntate.

Pſ. 47.
Pſ. 23.
Rom. 10.
Pſ. 9.
Jacob. 1.
1. Theſſ. 5.
Philip. 2.

4N 7/78 9ual

Lib. de Eccleſ. Dogmat. inter Opera S. Auguſtini, cap. 56.

Quia enim nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum, niſi orantem, auxilium promereri; *omnium quotquot ſumus, quanti refert adjutorem deprecari Deum ex quo* noſtra ſufficientia eſt?

2. Cor. 3.

Verum illa, quæ ex ſummo Dei imperio, & ex noſtrâ virium & rerum inopiâ omnibus communis eſt, multò vobis impenſiùs incumbit orandi neceſſitas; vobis, inquam, Fratres chariſſimi, qui divinis mancipati ſpecialiùs, & ab anxiis ſæculi negotiis liberi, pro Deo ad populum legatione, & pro populo ad Deum mediatione ex inſtituta veſtræ conditionis ſorte fungimini. Sacrorum enim adminiſtris injunctum quis neſciat, ut, dum aliàs alii avocantur, manus ipſi ad cœlum ſupplices attollant, modò Numen pugnantibus deprecaturi propitium; modò peccatoribus iratum exarmaturi.

Eo quippe Clericis demandatum eſt precationis publicæ munus, quò vocem & pietatem populo quaſi vicariam commodent, verendaſque Angelorum vices imitati, incenſa multa, quæ ſunt orationes

Apoc. 5.

Sanctorum, *ante ſedem Agni ſuppliciter offerant. Permagnum ſanè religionis opus; quod quantò præſtantius, tantò ab Eccleſia fuit ordinandum accuratiùs; ut ſacrificium illud laudis odorem coram Deo ſuaviſſimum exhalaret.*

Hinc, quia rudioribus ſæculis in Libros Officii Eccleſiaſtici nonnulla irrepſerant non ſatis exactè digeſta, quæ divinorum parum ſaperent Canticorum majeſtatem; ſacroſancta Synodus Tridentina ex iis omninò voluit expunctum quidquid divini cultûs decori minùs congruum videretur, aut dignitati. Quod cùm in multis olim tentatum legimus, tum in iis vidimus perfectum Breviariis, quæ non minori laude quàm diligentiâ nuper edidere plures Galliarum Epiſcopi.

Quorum perutilem laborem æmulati, cùm nulla vel pauca ſupereſſent veteris Breviarii Tullenſis exemplaria, novum ordinari & excudi curávimus, quod ad incorruptas fidei morumque regulas exactum, meliori ordine digeſtum, diligentiori examine probatum, recitantium pietatem verbi divini pabulo aleret, veritate firmaret, exemplis accenderet; illa-

quæ Sacerdotibus offerret ſubſidia, quibus populos ſibi commiſſos ſcientiâ ſalutis poſſent inſtruere faciliùs. Tantâ porrò ſedulitate, eoque conatu opus elaboratum eſt, ut jam in lucem prodeat, veſtris omnium votis excipiendum illud curæ Paſtoralis noſtræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decurſu fuſiùs explicatam, in ipſo tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes ſingulis annis Scripturæ ſacræ Libros legi, & integrum ſingulis hebdomadis providimus recitari Pſalterium, eo digeſtum ordine, quo, diſtributis ad Horas breves, & juxta antiquiſſimum Concilii Narbonenſis Canonem diviſis in plures Doxologias longioribus Pſalmis, ſimul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Pſalmodiæ gravamini præcaveretur.

Conc. Narbonenſ. Can. 2.

Quoniam autem amica, *ut ait ſanctus Cyprianus*, & familiaris oratio eſt Deum de ſuo rogare; *Invitatoria, Antiphonas, Verſiculos, Capitula & Reſponſoria ex ſacris Codicibus deſumpta voluimus; & iſta quidem ex gemino tum veteris, tum novi Teſtamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promiſſis, mirus utrinſque concentus cuique mox obvius occurreret; quod eo frequenter ſucceſſu peractum eſt, ut Scripturæ veteris Teſtamenti in primis Veſperis & in Officio Nocturno prælectæ, quaſi nocti aurora in Laudibus, & quaſi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Teſtamenti textus.*

Cypr. Lib. de Orat. Dom. poſt init.

Licèt firma aſſerendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario noſtro diſponere ſtuduerimus; ne tamen, qui ex inſtituto ad precationem publicam comparatus eſt Liber, is in controverſiarum vel adhortationum lectionem plus æquò deſineret, & imprudenter ſubtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè inſudavimus, ut precationis formam & ſenſum exprimerent textus ſacri ad Antiphonas, Reſponſoria & Verſiculos aſſumpti; quibus avocatus fortè, quaſi interſertis precibus ad Deum revocatus, alacriùs aſſurgeret recitantium animus, & illis, quaſi ſparſis hinc inde ſcintillis, tepeſcens aliquando pietatis ignis exardeſceret.

perpetua ſit vox interiorum. Quantùm miſeri qui Deum invocando provocant, tantum felices vos, ſi injunctum precationis officium eâ præſtetis corporis modeſtiâ, eâ mentis attentione, eâ cordis pietate, quâ ſitis Eccleſiæ ad ſplendorem, Religioni ad præſidium, Fidelibus ad exemplum, Angelis ad ſpectaculum, orbi univerſo ad auxilium.

Et quoniam in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum; obſecro vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.

2. Cor. 7.
Rom. 15.

DATUM Tulli Leucorum, in Palatio noſtro Epiſcopali, die quartâ menſis Julii anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo.

✝ *SCIPIO HIERONYMUS,*
Epiſcopus Comes Tullenſis.

De Mandato illuſtriſſimi & Reverendiſſimi
D. D. mei Epiſcopi Comitis Tullenſis.

THIBAUT.

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	Aureus Num	Epacta	Indictio.	Littera Dominical.	Dom. poſt Epiph.	Septuageſima.	Dies Cinerum.
1748	1	xxx	11	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1749	2	xj	12	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1750	3	xxij	13	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1751	4	iij	14	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Feb.	7 Mart.
1754	7	vj	2	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1755	8	xvij	3	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1756	9	xxviij	4	d c	5	15 Feb.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	5	6 Feb.	23 Feb.
1758	11	xx	6	A	4	22 Jan.	8 Feb.
1759	12	j	7	g	2	11 Feb.	28 Feb.
1760	13	xij	8	f e	3	3 Feb.	20 Feb.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Feb.
1762	15	iiij	10	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Feb.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Feb.	20 Feb.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1767	1	xxx	15	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Feb.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Feb.
1770	4	iij	3	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Feb.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Feb.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Feb.	21 Feb.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1778	12	j	11	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Feb.
1781	15	iiij	14	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1783	17	xxvj	[illegible]	e	5	16 Feb.	5 Mart.

Pars Hyemalis.

FESTORUM MOBILIUM.

Anni Domini.	*Paſcha.* Annuale.	*Aſcenſio Domini* Sol. Maj.	*Pentecoſtes.* Annuale.	*Feſtum Cor. Chr.* Sol. Maj.	*Dom. poſt Pent.*	*Dom. 1. Adventûs.*
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1749	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Ma[illegible]	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	[illegible]9 Junii.	24	30 Nov.

In ſequenti Calendario appoſitum eſt tempus quo quiſque Sanctus obiit : an. [illegible]
anno : c. an. circ. an. circa annum : *ſ.* ſæculo : *quibus nihil apponitur, temp*[illegible]
mortis planè incertum.

Feſta quæ majoribus notantur Caracteribus, feriantur apud populum

Cyclus paſchæ.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	JANUARIUS
xxx	A	*Cal.*	1	CIRCUMCISIO DOMINI, *Dup*[illegible] *Claſſis. Solemne minus.*
xxix.	b	*iv*	2	Octava s. Stephani, *Dupl. 3. Claſ. com.* s. F[illegible]tii, Ruſpenſ. Ep. & Conf. Chriſti, *ann*[illegible]
xxviij.	c	*iij*	3	Octava s. Joannis Evangeliſtæ, *Semidupl.* s. Genovefæ, Virginis, *an.* 512.
xxvij.	d	*Prid.*	4	Octava Ss. Innocentium, *Semidupl. comm* s. Titi, Cretenſis Epiſcopi. 1. *ſ.*
xxvj.	e	*Non.*	5	Vigilia Epiphaniæ, *ſine jejunio. Simplex.*
25. xxv.	f	*vj*	6	EPIPHANIA DOMINI, *Duplex* [illegible] *Claſ. Solemne-majus.*
xxiv	g	vij	7	
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	De Octava. Semiduplex.
xx	d	iij	11	
xix	e	*Prid.*	12	
xviij	f	*Idib.*	13	Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini, [illegible]*plex 2. Claſ.*
xvij	g	xix	14	Hilarii, Pictav. Epiſc. & Eccl. Doc. *Dup*[illegible] *Claſ. c. an.* 368. *comm.* s. Felicis, Presb. [illegible] & Confeſſoris Chriſti. *an.* 265.
xvj	A	xviij	15	Pauli, primi Erem. Theb. *Semid. c. an.* 341. [illegible] s. Mauri, Glannofol. Abatis, *c. fin. 6. ſ.*
xv	b	xvij	16	Marcelli, Papæ & Conf. Chriſti, *an.* 310. *Si*[illegible]
xiv	c	xvj	17	Antonii, Abbatis Ægyptii, *an.* 356. *Semidup*[illegible]
xiij	d	xv	18	Cathedra s. Petri Apoſtoli, quâ primùm An[illegible]chiæ, tum Romæ ſedit. 1. *ſ. Duplex 4. Claſſi*[illegible] *Prima Septuageſima.*
xij	e	xiv	19	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochi[illegible] *c. an.* 460. *Simpl.*
xj	f	xiij	20	Fabiani * & Sebaſtiani, ** Romæ Martyrum, * [illegible] 250. ** *c. an.* 288. *Duplex 2. Claſ.*
x	g	xij	21	Agnetis, Romæ, V. & M. *c. an.* 304. *Dup. 4. Cl*[illegible]
ix	A	xi	22	Vincentii, Diaconi & Mart. Valentiæ in Hiſpan[illegible] *an.* 304. *Duplex 4. Claſſis.*
viij	b	x	23	Babylæ, Antiochenſis Epiſcopi, & ſociorum ej[illegible] Mart. *an.* 251. *Simplex.*
vij	c	ix	24	Timothei, Epheſ. Ep. & Mart. *c. an.* 97. *Semid.*
vj.	d	viij	25	Converſio s. Pauli, Ap. *c. an.* 34. *Dupl. 3. Claſſi*[illegible] *com.* s. Præjecti, Ep. Claromont. & M. *an.* 67[illegible]
v	e	vij	26	Polycarpi, Ep. Smyrn. & Mart. *c. med. 2. ſ. Semi*[illegible]*dupl. comm.* s. Paulæ, Viduæ Romanæ, *an.* 40[illegible]
iv	f	vj	27	Joannis Chryſoſtomi Epiſc. Conſtantinop. & Ecc[illegible] Doct. *an.* 407. *Dupl. 4. Claſſis.*
iij		v	28	Cyrilli, Ep. Alex. & Eccl. Doct. *an.* 444. *Semid.*
ij	A	iv	29	Franciſci Saleſii, Ep. Genev, *an.* 1622. *Semid.*
j	c	iij	30	Bathildis Reginæ Franc. Vid. *c. an.* 680. *Semidup.*
xxx.	d	*Prid.*	31	Petri Nolaſci, Ordinis B. M. de Mercede Re[illegible]dempt. Captiv. Inſtitutor. *an.* 1256. *Simpl.*

FEBRUARIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxix	d	*Cal.*	1	Ignatii, Epiſc. Antioch. & Mart. *an.* 107. *Duplex 4. Claſſis.*
xxviij	c	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, *&* PURIFICATIO B. MARIÆ V. *Duplex 1. Claſſis, Solemne majus.*
xxvij	f	iij	3	Blaſii, Epiſcopi Sebaſt. & Mart. c. *an.* 316. *Simpl.* *Prima dies Cinerum.*
25 xxvj	g	*Prid.*	4	Iſidori, Presbyteri & Peluſiotæ Solitarii, c. *an.* 445. *Simpl.*
xxv. xxiv.	*A*	*Non.*	5	Agathæ Catanenſis, Virginis & Mart. *an.* 251. *Simpl.*
xxiij	b	viij	6	Vedaſti, Atrebatenſis Epiſc. *an.* 539. *Semidupl.* *(Si quandoque hoc Feſtum incidat in Quadrageſimam, de eo fiet commemoratio, ut fit de Simplici.)*
xxij	c	vij	7	Romualdi, Abbatis, & Camaldul. Monach. Inſtitut. *an.* 1027. *Simpl.*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Presbyteri, & Ordinis Ss. Trinitatis Inſtitut. *an.* 1213. *Simplex.*
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virginis & Martyris, *an.* 249. *Simpl.*
xix	f	iv	10	Scolaſticæ, Virginis Caſſinenſis, *an.* 543. *Simpl.*
xviij	g	iij	11	
xvij	*A*	*Prid.*	12	
xvj	b	*Idib.*	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hieroſolymit. Epiſc. & Mart. *an.* 107. *Simpl.*
x	*A*	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	Gundelberti, ex Senonenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, c. *fin.* 7. *ſ. Simpl.* *Ultima Septuageſima.* *(Feria 4. 6. & Sabbato poſt Dominic. primam Quadrageſimæ, fiunt jejunia quatuor Temporum.)*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Biſſextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI, 1. *ſ. Dup.* 3. *Claſſis.* *(Si Feſtum ſancti Matthiæ venerit in Quadrageſima, anticipatur in Feriam ſecundam poſt Dominicam Quinquageſimæ.*
iv	g	v	25	
iij	*A*	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	*Pr.d.*	28	

(In Anno Biſſextili Februarius eſt dierum 29. & Feſtum ſancti Matthiæ celebratur 25. Februarii, niſi ſit tempus Quadrageſimæ) & bis dicitur, ſexto Calendas, *id eſt*, 24. *&* 25. *Littera autem Dominicalis quæ aſſumpta fuerat menſe Januario, mutatur in præcedentem.*

MARTIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxx	d	Cal.	1	
xxix	c	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Caſimiri è Polonia, Laici, *an.* 1484. *Simpl.*
xxvj	A	iij	5	
25. xxv.	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum *c. an.* 204. *Simpl.* (*de s. Thoma Aquinate fit die* 18. *Julii, quæ Canonizationis ejus dies eſt.*)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paſchale.*
xxij	e	vij	9	Franciſcæ, Viduæ Romanæ, *an.* 1440. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebaſt. *an.* 320. *Simplex* *Ultima dies Cinerum.*
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	(*de ſancto Gregorio Papa & Eccl. Doct. fit die* 1. *Septembris.*)
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	*Commemoratio* s. Patricii, Hibernorum Apoſtoli, *an.* 460.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	JOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex primæ Claſſis. Solemne minus.* (*De s. Joachim fit die* 26. *Julii.*
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	(*de s. Benedicto fit die* 11. *Julii, quæ Tranſlationis ejus dies eſt.*)
ix	d	xj	22	*Primum Paſcha.*
viij	e	x	23	(*De s. Gabriele fit die* 29. *Septembris, in Feſto Ss. Archangelorum.*
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. V. & INCARNATIO DOMINI, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne majus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
xxix	f	Prid.	31	

(*Feriâ ſextâ poſt Dominicam Paſſionis, fit Officium de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis,* Duplex 3. Claſſis.

APRILIS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxix	g	*Cal.*	1	
xxviij	A	iv	2	Franciſci de Paula, Ordinis Minimorum Inſtitut. *an.* 1507. *Simpl.*
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	*Prid.*	4	Iſidori, Hiſpalenſis Epiſc. *an.* 636. *Simplex.* *(de ſancto Ambroſio fit die 7. Decembris, quæ Ordinationis ejus dies eſt.)*
xxv, xxiv	d	*Non.*	5	*Ultimum Novilunium Paſchale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	*(de s. Leone I, Papa fit die 30. Octobris.)*
xvij	d	*Prid.*	12	
xvj	e	*Idib.*	13	Juſtini, Romæ Mart. 167. *Simpl. comm.* Ss. Hermenegildi, in Hiſpania Mart. *an.* 585.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti, Papæ, *c. an.* 168. *Simpl.*
xj	c	xiv	18	Apollonii, Senatoris Romani, Mart. *c. an.* 186. *Simplex.*
x	d	xiij	19	Leonis IX. Epiſc. Tullenſis *&* Papæ, *an.* 1054. *Duplex 3. Claſſis.*
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anſelmi, Cantuarienſis Epiſcopi, *an.* 1109. *Simplex.*
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Gerardi, Epiſcopi Tullenſis, *an.* 994. *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
v	b	viij	24	Georgii, Martyris in Oriente, 3. *vel* 4. *ſæculi, Simpl.*
iv	c	vij	25	MARCI, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſſis.* *Ultimum Paſcha.*
iij	d	vj	26	Cleti, Papæ & Mart. *c. an.* 91. *Simpl.*
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, *circa annum* 421. *Semiduplex.*
xxx	b	iij	29	Petri, Ordinis Dominicanorum, Mart. *an.* 1252. *Simplex.*
xxix	A	*Prid.*	30	Catharinæ Senenſis, Virginis, *an.* 1380. *Simpl.*

(Feriâ ſextâ poſt Dominicam ab Albis depoſitis, fit Feſtum ſancti Clavi, Duplex primæ Claſſis, Solemne majus.)

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	MAIUS.
xxviij	b	Cal.	1	JACOBI (*Alphæi*) *&* PHILIPPI, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Valburgis, Virg.
xxvij	c	vj	2	Athanaſii, Alexandr. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 373. *Duplex* 4. *Claſſis.*
xxvj	d	v	3	INVENTIO S. CRUCIS, *an.* 326. *Duplex* 3. *Claſ. comm.* Ss. Alexandri, Papæ, Eventii, *&* Theoduli, Romæ Mart. *c. an.* 119.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ, Tagaſtenſis Viduæ, *an.* 387. *Simplex.*
xxiv	f	iij	5	
xxiij	g	Prid.	6	Joannis, Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam, *an.* 95. *Semiduplex.*
xxij	A	Non.	7	Domitillæ, Romanæ Virginis & Mart. *an.* 99. *Simplex. comm.* s. Gibriani, Solitarii.
xxj	b	viij	8	Stanislai, Cracov. Epiſc. & M. *an.* 1079. *Simpl.*
xx	c	vij	9	Translatio s. Nicolai, Myrenſis Epiſcopi, *an.* 1087. *Simpl.* *Prima Pentecoſte.*
xix	d	vj	10	Gregorii Nazianzeni, Epiſc. Conſtantinop. & Eccl. Doct. *an.* 391. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Ss. Epimachi, & Sociorum Mart. *an.* 250.
xviij	e	v	11	Gengulphi, in Burgundia Mart. *c. an.* 760. *Dupl.* 3. *Claſ.*
xvij	f	iv	12	Epiphanii, Salaminæ Epiſc. *an.* 403. *Semiduplex. comm.* Ss. * Nerei, Achillei, & ** Pancratii Mart. * *c. init.* 2. *ſ.* ** *c. an.* 304.
xvj	g	iij	13	Mammerti, Viennenſis Epiſc. *c. an.* 475. *Simpl.*
xv	A	Prid	14	Pachomii, Tabennæ in Thebaïde Abbatis, *c. an.* 348. *Simpl.*
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Quadraginta Monachorum ex Laura s. Sabæ, Mart. *an.* 614. *Simpl.*
xij	d	xvj	17	(*Feriâ* 4. 6. *&* *Sabbato poſt Pentecoſten, ſunt jejunia quatuor Temporum.*)
xj	e	xv	18	
x	f	xiv	19	Petri Cœleſtini, Papæ, Inſtit. Congreg. Cœleſt. *an.* 1296. *Simpl. comm.* s. Yvonis, Trecenſis Presbyteri, *an.* 1303.
ix	g	xiij	20	
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	Vincentii Lirinenſis, Presbyteri & Monachi, *an.* 448. *Simpl.*
iv	e	viij	25	Donatiani & Rogatiani, in Aremorica Mart. *an.* 287. *Simpl. comm.* s. Urbani, Papæ, *c. an.* 223.
iij	f	vij	26	Philippi Nerei, Presbyteri, *an.* 1595. *Simplex.*
ij	g	vj	27	Joannis, Papæ & Mart. *an.* 526. *Simplex.*
j	A	v	28	Germani, Pariſienſis Epiſc. *an.* 576. *Simplex.*
xxx	b	iv	29	Maximini, Trevirenſis Epiſcopi. *c. an.* 349. *Simp.*
xxix	c	iij	30	Felicis, Papæ & Mart. *c. an.* 274. *Simpl.*
xxviij	d	Prid.	31	

(*Dominicâ* 1. *poſt Pentecoſten fit Officium de ſanctiſſima Trinitate, Dupl.* 1. *Claſ. Solemne minus.*)

JUNIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxvij	c	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunenſis Epiſcopi, & Sociorum Martyrum, *an.* 177. *Semid. comm.* Ss. Marcellini, Presbyt. & Petri Exorciſtæ, Romæ Mart. *an.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Francorum Reginæ, Viduæ, *c. an.* 540. *Semid.*
xxiij	A	Prid.	4	
xxii	b	Non.	5	Bonifacii, Moguntini Ep. & Mart. *an.* 755. *Simpl.*
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgenſis Epiſcopi, Ordinis Præmonſt. Inſtit. *an.* 1134. *Duplex* 4. *Claſ. comm.* s. Claudii, Veſuntini Epiſcopi, *an.* 581.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomenſis Epiſc. *c. an.* 545. *Semidup.*
xviij	f	v	9	
xvij.	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apoſtoli, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xv	b	Prid.	12	
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua, Ordinis Minorum, *an.* 1231. *Simplex.*
				Ultima Pentecoſte.
xiij	d	xviij	14	Tranſlatio s. Manſueti, Tullenſis Apoſt. & primi Epiſcopi. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xij	e	xvij	15	Baſilii Magni, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 379. *Duplex* 4. *Claſ.*
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Deodati, ex Nivernenſi Epiſcopo, Monachi Tul. *c. an.* 715. *Dupl.* 2. *Claſ. in Eccleſia Cathedr. alibi Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Ss. Gervaſii & Protaſii, Mediolan. Mart. 1. *vel* 2. *ſ.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Euſebii, Ep. Samoſatenſis & Mart. *an.* 389. *Simp.*
v	e	x	22	Paulini, Nolani Epiſc. *an.* 431. *Simpl.*
iv	f	ix	23	Jacob, Epiſcopi Tullenſis, *c. an.* 770. *Semiduplex. comm.* Vigiliæ, *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
ij	A	vij	25	De Octava Nativitatis s. Joannis. *Simpl.*
j	b	vj	26	De Octava ... *comm.* Ss. Joannis & Pauli, Romæ Mart. *c. an.* 362.
xxx	c	v	27	De Octava ... *Simplex.*
xxix	d	iv	28	Irenæi, Lugdunenſis Epiſcopi, & ſociorum ejus Mart. *c. an.* 202. *Semidupl. comm.* Octavæ s. Joannis, & Vigiliæ, *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM, 1. *ſ. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio s. Pauli, Apoſtoli. *Dupl.* 3. *Cl. comm.* s. Petri & Octavæ s. Joannis Baptiſtæ.
				(*Feriâ* 5. *poſt Feſtum Ss. Trinitatis, celebratur Feſtum Corporis Chriſti. Dupl.* 1. *Claſ. Sol. majus.*)

JULIUS.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativitatis s. Joannis Baptiſtæ. *Semidupl. comm.* Octav. Ss. Apoſtolorum, & s. Theobaldi, Pruvinenſis Solitarii. *an.* 1066.
25. xxv	A	vj	2	Viſitatio B. Mariæ Virginis. *Duplex* 2. *Claſ. comm.* Oct. Ss. Apoſt.
xxiv	b	v	3	De Octava Ss. Apoſtolorum. *Simpl.*
xxiij	c	v	4	Ordinatio * *&* Translatio ** s. Martini, Turon. Epiſc. * *an.* 372. ** 473. *Semidupl. commemoratio* Octavæ Ss. Apoſtolorum.
xxij	d	iij	5	De Octava Ss. Apoſtolorum. *Simpl.*
xxj	e	Prid.	6	Octava Ss. Apoſtol. Petri & Pauli. *Semiduplex.*
xx	f	Non.	7	Beati Petri Forerii, Tullenſis Presbyteri, Congreg. Canonic. Regul. Reform. *an.* 1640. *Semid.*
xix	g	viij	8	Auſpicii, Epiſc. Tullenſis, *an.* 490. *Semidupl.*
xviij	A	vij	9	Ephræm, Diaconi Edeſſeni *&* Monachi, *c. an.* 381. *Simpl.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & s. Felicitatis eorum matris, Mart. *c. an.* 150. *Simplex.*
xvj	c	v	11	Benedicti, Caſſinenſis Abbatis, *an.* 543. *Dupl.* 4. *Claſ. Translatio ejus hac die, c. an.* 653. *comm.* s. Hidulphi, ex Trevirenſ. Epiſcop. Monachi Tullenſis, *c. an.* 736.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanenſ. Epiſc. & Eccleſiæ Doct. *an.* 1274. *Semiduplex, commemorat* s. Henrici, Imperatoris, *an.* 1024.
xij	g	Idib.	15	Aproniæ, Trecenſis Virg. 5. *ſ. in Eccleſia Cathedr. Dupl.* 2. *Claſ. alibi Duplex* 4. *Claſ.*
xj	A	xvij	16	Diſperſio Apoſtolorum, 1. *ſ. Semidupl.*
x	b	xvj	17	Arnulphi, ex Metenſi Epiſc. Monachi Tullenſis, *c. an.* 640. *Simplex.*
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Ordinis Prædicat. *&* Eccl. Doct. 1274. *Dupl.* 4. *Cl. Canonizatio ejus hac die, an.* 1323.
viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo Presbyteri, & Congreg. Miſſ. Inſtitut. *an.* 1660. *Semidupl.*
vij	e	xiij	20	Arſenii, Romani Diaconi ſcetis Solitarii, *an.* 445. *Simpl. comm.* s. Margaretæ, Virg. & Mart.
vj	f	xij	21	Victoris, Maſſil. & Soc. Mart. *c. an.* 290. *Simpl.*
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſſis.*
iv	A	x	23	Apollinaris, Ravennenſis Epiſc. & Mart 1. *vel* 2. *ſæcul. Simpl.*
iij	b	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
	c	viij	25	JACOBI (*Zebedæi*) APOSTOLI, an. 44. *Duplex* 3. *Claſ. comm.* s. Chriſtophori, Mart. in Lycia, 3. s. & Glodeſindis, Virg. *c. an.* 778.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ Parentum B. M. V. *Dupl.* 2. *Claſ.*
xxx	e	vj	27	Marini, Militis Cæſareæ in Paleſtina Mart. *c. an.* 262. *Simpl. comm.* s. Pantaleonis, Nicomediæ Mart. *c. an.* 305.
xxix	f	v	28	Mariæ Bethanitidis, Marthæ, ſororis ejus, & Lazari fratris earum, 1. *ſ. Semidup. commemor.* Ss. Nazarii & Celſi, Mediolan. Mart. 1. *ſæculi.*
xxviij	g	iv	29	Lupi, Trecenſis Epiſc. *c. an.* 478. *Semiduplex.*
xxvij	A	iij	30	Germani, Autiſſiodor. Epiſc. *an.* 448. *Semidupl.*
25. xxvj	b	Prid.	31	Ignatii Loyolæ, Presbyteri, & Societatis Jeſu Inſtitut. *an.* 1556. *Dupl.* 4. *Claſ.*

AUGUSTUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxv. xxiv	c	*Cal.*	1	Petri ad vincula, *an.* 44. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Septem fratrum Machabæorum, Mart. *c. an.* 167. *ante Chriſtum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani, Papæ & Mart. *an.* 257. *Simpl.*
xxij	e	iij	3	REVELATIO, *ſeu* INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMART. *an.* 415. *Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici, Presb. Ordinis Prædic. Inſtit. *an.* 1221. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* Octavæ s. Stephani.
xx	g	*Non.*	5	De Octava s. Stephani... *Semidupl.*
xix	*A*	viij	6	Transfiguratio Domini, *an.* 32. *Dupl.* 2. *Claſſis. comm.* Octavæ s. Stephani, *&* Xiſti, Papæ *&* Mart. *an.* 258.
xviij.	b	vij	7	De Octava S. Stephani... *Semidupl.*
xvij	c	vj	8	De Octava. *Semidupl.*
xvj	d	v	9	De Octava, *comm.* Vigiliæ (*cum jejunio*) & s. Romani, Romæ Mart. *an.* 258.
xv	e	iv	10	LAURENTII, ROMANI DIACONI ET MART. *an.* 258. *Dup.* 3. *Claſ. comm.* Octav. s. Stephani.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ Aſſiſii in Umbria, Virginis *an.* 1253. *Simpl.*
xij	*A*	*Idib.*	13	Hyppolyti, Romani Presbyteri & Mart. *an.* 252. *Simpl. comm.* s. Radegundis, Reginæ Francorum, Viduæ, *an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia... *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, 1. *ſec. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne majus.*
ix	d	xvij	16	Rochi, Laici apud Montem Peſſulanum, *an.* 1327. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ B. M. V.
viij	e	xvj	17	De Octava Aſſumpt. B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Mamantis, Cæſareæ in Cappad. M. *c. an.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
vj	g	xiv	19	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
v	*A*	xiij	20	Bernardi, Clarevallenſis Abbatis, & Eccl. Doct. *an.* 1153. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* Octavæ Aſſumpt. & s. Stephani, Hungariæ Regis, *an.* 1038.
iv	b	xij	21	De Octava Aſſumpt. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Aſſumpt. B. M. V. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* s. Symphoriani, Auguſtoduni Mart. *c. an.* 179.
ij	d	x	23	Vigilia... *cum jejunio.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, APOSTOLI, 1. *ſec. Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Audoeni, Ep. Rotomag. 683.
xxx	f	viij	25	LUDOVICI, REGIS FRANCIÆ, *an.* 1270. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* duorum Ss. Geneſiorum, Mart. unius Romani, *c. an.* 285. alterius Arelatenſis, *c. an.* 308.
xxix	g	vij	26	
xxviij	*A*	vj	27	Cæſarii, Epiſc. Arelatenſ. & Eccl. Doct. *an.* 542. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxvij	b	v	28	Auguſtini, Hippon. Epiſc. & Eccl. Doct. *an.* 430. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Juliani, Brivatenſis Mart. Rom. 2. *ſ.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio s. Joannis-Baptiſtæ, *an.* 32. *Dupl.* 3. *Claſ. comm.* s. Sabinæ, Viduæ, Mart. Rom. 2. *ſ.*
25. xxv.	d	iij	30	Fiacrii, Brigenſis Solitarii, *an.* 670. *Simpl.*
xxiv	e	*Prid.*	31	Gauzelini, Epiſc. Tullenſis, *c. an.* 962. *Dupl.* 4. *Claſ. comm.* s. Paulini, Trevirenſis Epiſc. *an.* 358.

SEPTEMBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies Menſ.	
xxiij	f	Cal.	1	Gregorii, Papæ & Eccl. Doct. an. 604. Dupl. 2. Claſ. comm. s. Ægidii, Abbatis in Occitania, c. an. 547.
xxij	g	iv	2	Marcelli & Valeriani, Mart. c. an. 179. Simpl.
xxj	A	iij	3	MANSUETI, APOSTOLI TULLENSIS, ET I. EPISC. Dupl. 1. Claſ. Solemne-majus.
xx	b	Prid.	4	De Octava s. Manſueti... Semidupl.
xix	c	Non.	5	De Octava. Semidupl.
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, Dupl. 1. Claſ. Solemne-majus.
xv	g	v	9	De Octava Nativit. B. M. V. Semidupl. comm. Octav. s. Manſueti, & Ss. Petri, Dorothei, & Gorgonii, Nicomediæ in Bithyn. Mart. an. 303.
xiv	A	iv	10	Octava s. Manſueti, Dupl. 4. Claſ. comm. Octavæ Nativit. B. M. V. & s. Nicolai Tolentinatis, Eremitæ s. Auguſt. an. 1309.
xiij	b	iij	11	De Octava Nativit. B. M. V. Semidupl. comm. s. Bodonis, Epiſc. Tullenſis, c. an. 675.
xij	c	Prid.	12	De Octava Nativit. B. M. V. Semidupl.
xj	d	Idib.	13	De Octava. Semidupl. comm. s. Amati, Abbatis Tullenſis, c. an. 627.
x	e	xviij	14	Exaltatio ſanctæ Crucis ſub Heraclio Imperat. an. 629. Dupl. 4. Claſ. comm. Octavæ Nativit. & s. Cornelii, Papæ & Mart. an. 252.
ix	f	xvij	15	Apri, Epiſc. Tullenſis. 5. ſ. Dupl. 3. Claſ. comm. Octavæ Nativit. (Poſt Exaltationem s. Crucis, Feria 4. 6. & Sabbato fiunt jejunia quatuor Temporum.)
viij	g	xvj	16	Cypriani, Carthagin. Epiſc. & Mart. an. 258. Semidupl. comm. s. Euphemiæ, Calcedon. Virginis & Mart. an. 307.
vij	A	xv	17	Lamberti, Epiſc. Trajecten. & Mart. an. 708. Simp.
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	Goërici, Epiſc. Metenſis, c. an. 654. Semid.
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	MATTHÆI, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, 1. ſ. Dupl. 3. Claſ.
ij	f	x	22	Mauricii, & Sociorum Mart. an. 286. Semid.
j	g	ix	23	Lini, Papæ & Mart. c. an. 78. Simpl. comm. s. Theclæ, Iconii, Virg. & Mart. c. fin. 1. ſ.
xxx	A	viij	24	Salabergæ, Laudunenſ. Viduæ, c. an. 656. Simpl.
xxix	b	vij	25	Firmini, Ambian. Epiſc. & Mart. c. an. 287. Simp.
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Coſmæ & Damiani, fratrum Arabum Mart. c. an. 303. Semidupl.
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	MICHAELIS & OMNIUM ARCHANGEL. & ANGEL. Dupl. 3. Claſ. Hoc Feſtum in Apulia ſumpſit initium, c. an. 493.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Stridonenſ. Presbyt. & Eccl. Doct. an. 420. Dupl. 3. Claſ.

OCTOBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies menſ.	
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remenſis Epiſc. *an.* 533. *Dupl.* 4. *Claſ. Transl. ejus hac die, ante an.* 585. *& an.* 852.
xxj	b	vj	2	Leodegarii, Auguſtodun. Epiſc. & Mart. *an.* 678. *Simpl.*
xx	c	v	3	Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis Tullenſis, 10. *ſ. In Cathed. Dupl.* 1. *Claſ. Solemne-majus : alibi Dupl.* 3. *Claſ.*
xix	d	iv	4	Franciſci Aſſiſinatis in Umbria, Ordinis Min. Inſtitut. *an.* 1226. *Dupl.* 4. *Claſ. in Cathed. comm.* Octavæ Dedicationis.
xviij	e	iij	5	Dionyſii Areopagitæ, primi Athenarum Epiſc. & Mart. *c. an.* 95. *Simpl. In Cathed. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semid. comm.* S. Dionyſii.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Ordinis Carthuſian. Inſtitut. *an.* 1101. *Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* de Octava Dedicat.
xvj	g	Non.	7	Sergii & Bacchi, in Euphrateſia Mart. *c. an.* 303. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. commem.* Ss. Sergii & Bacchi.
xv	A	viij	8	Libariæ, Virginis Tullenſis & Mart. *c. an.* 362. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. comm.* s. Libariæ.
xiv	b	vij	9	Dionyſii, primi Pariſiorum Epiſc. & Sociorum Mart. 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ. In Cathedr. comm.* Octav. Dedicat.
xiij	c	vj	10	Tarachi, Probi, Andronici, in Cilicia Mart. *c. an.* 304. *Simpl. In Cat.* Officium Octavæ Dedic. *Dupl.* 4. *Cl. comm.* Ss. Tarachi, &c.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	Angelorum Cuſtodum.. *Dupl.* 3. *Claſ.*
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	Fauſti, Januarii & Martialis, Cordubæ Mart. *Sim. comm.* s. Calliſti, Papæ & Mart. *an.* 233.
viij	A	Idib.	15	Thereſiæ Abulenſ. Virginis, Inſtauratricis Ord. Carmelit. *an.* 1582. *Semidupl.*
vij	b	xvij	16	Eliphii, Tullenſis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Cl.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	Eucharii, Tullenſis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
ij	g	xij	21	Tranſlatio s. Gerardi, Tullenſis Epiſc. 10. *ſ. Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Hilarionis Abbatis in Palæſtina, *an.* 371.
	A	xj	22	Urſulæ & ſociarum Virg. & Mart. *an.* 450. *Dupl.* 3. *Claſſis.*
*	b	x	23	Amonis, Tullenſis Epiſc... *Dupl.* 2. *Claſ.*
xxix	c	ix	24	Romani, Rot. mag. Epiſc. *an.* 646. *Simpl. commemor.* s. Florentini, Laici Juſti.
xxviij	d	viij	25	Criſpini & Criſpiniani, Sueſſion. Mart. *an.* 288. *Simpl.*
xxvij	e	vij	26	Amandi, Trajectenſis Epiſc. *an.* 675. *Simpl. comm.* Tranſlationis s. Vedaſti, Epiſc.
xxvj	f	vj	27	Vigilia, *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apoſt. 1. *ſ. Dupl.* 3. *Claſ.*
xxiv	A	iv	29	Maximi, Presbyteri & Monachi, 4. *ſ. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	Leonis Magni, Papæ, & Eccl. Doct. *an.* 461. *Dupl.* 4. *Claſ.*
xxij	c	Prid.	31	Vigilia, *cum jejunio : comm.* s. Quintini, Ambian. Mart. *an.* 287.

NOVEMBER.

Cyclus Epactæ.	*Lit. Dom.*		*Dies menſ.*	
xxj	d	*Cal.*	1	OMNIUM SANCTORUM, *Dupl. prima Claſſis. Solemne majus*, inſtitut. c. *an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duple prima Claſſis. Solemne minus*: inſtitut. *an.* 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl. commemoratio* s. Huberti, Epiſc. Leodienſ. *an.* 727.
xviij	g	*Prid.*	4	Caroli Borromæi, Mediolan. Epiſc. *an.* 1584. *Duplex* 4. *Claſſis. commem.* Octavæ omnium SS. & s. Amantii, Ruthen. Epiſc. 5. *ſ.*
xvij	A	*Non.*	5	De Octava Omnium SS... *Semidupl.*
xvj	b	viij	6	De Octava... *comm.* S. Leonardi, Lemovicenſ. Solitarii, c. *an.* 559.
xv	c	vij	7	De Octava... *Semidupl.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl.* 3. *Claſ.* inſtitut. *an.* 1194.
xiij	e	v	9	Omnium SS. Epiſcoporum Tullenſium, *Duplex* 1. *Claſ. Solemne minus.*
xij	f	iv	10	Tryphonis & Reſpicii, in Bithynia Martyrum, c. *an.* 250. *Simpl.*
xj	g	iij	11	MARTINI, Turon. Epiſc. *an.* 397. *Dupl.* 2. *Claſ.*
x	A	*Prid.*	12	Martini, Papæ & Mart. *an.* 655. *Simpl commem.* s. Renati, Andegav. Epiſc. 5. *ſ.*
ix	b	*Idib.*	13	Briccii, Turon. Epiſc. *an.* 444. *Simpl.*
viij	c	xviij	14	Theodori, Militis Amaſeæ in Ponto Mart. *an.* 306. *Simpl.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæſar. Ep. c. *an.* 270. *Semid. com.* s. Aniani, Aurelian. Ep. c. *an.* 453.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth, in Thoring. Viduæ, *an.* 1231. *Simpl.*
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præſentatio B. Mariæ V. *Dupl.* 2. *Claſ. comm.* s. Columbani, Luxov. Abbatis, *an.* 615.
xxx	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. 2. *vel* 3. *ſ. Dupl.* 4. *Claſ.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *an.* 100. *Semiduplex. commem.* s. Clementis, Metenſis Epiſcopi.
xxviij	f	viij	24	Chryſogoni, Romæ Mart. *an.* 304 *Simpl.*
xxvij	g	vij	25	Dionyſii, Alex. Ep. & Conf. Chriſti, c. *an.* 264. *Semid. comm.* s. Catharinæ, Virg. & Martyris.
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandr. Epiſc. & Mart. *an.* 311. *Simpl. comm.* s. Baſoli in Campania Eremitæ. *an.* 260.
xxv. xxiv	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *an.* 304. *Simpl.* *Prima ſedes Adventûs.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia..... *cum jejunio : comm.* S. Saturnini, Toloſ. Epiſc. & Mart. 3. *ſ.*
xxj	e	*Prid.*	30	ANDREÆ, APOSTOLI, 1. *ſ. Dupl.* 2. *Claſſis.*

(*Per Adventum non fit de Vigiliis : de Simplicibus fit tantùm commemoratio : quando Officium fit de Duplici vel Semiduplici, ſemper fit commemoratio de Adventu.*)

TABULA.

DOMIN. PRIVIL. II. CLASSIS, *quæ non admittunt niſi Solemnia Majora, & ſuprà.*

Secunda
Tertia } Adventûs.
Quarta

Secunda
Tertia } Quadrageſimæ.
Quarta

Dominica { Septuageſimæ.
Sexageſimæ.
Quinquageſimæ. }

DOMINICÆ III. CLASSIS, *in quibus non fit niſi de Duplicibus 2. Claſſis & ſuprà, & de Dupl. 3. Claſſis quæ ſunt Feſta Domini, aut feriantur à populo ex toto, vel ex parte.*

Reliquæ Dominicæ per annum.

OCTAVÆ PRIVIL. I. ORDINIS, *quæ nullum feſtum admittunt.*

Paſchæ.
Pentecoſtes.
Octava Natalis Domini ritum habet peculiarem qui notatur in Proprio.

OCTAV. I. ORDIN. NON PRIVIL. *quæ admittunt tantùm Duplicia 2. Claſſis & ſuprà, & in quibus non fit Commemoratio de Simplici.*

Octava Patroni primarii.
Octava Dedicationis Eccleſiæ, *in ipſa ſolemnitate Conſecrationis.*
Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 3. Claſſis.

OCTAVÆ SECUNDI ORDINIS, *quæ admittunt Duplicia 4. Claſſis non tranſlata; & Duplicia 3. Claſſis & ſuprà etiam tranſlata, & in quibus fit Commemoratio de Simplici.*

Octavæ omnium Solemnium Major.
Ab hac regula excipe Octavam ſolemnitatis SS. Euchariſtiæ; in qua propter Celebritatem non fit Officium, niſi de Duplici 1. Claſſis, nec Commemoratio de Simplici.

Dies Octava illarum Octavarum eſt Duplex 4. Claſſis, *niſi habeat adjunctum Feſtum aliquod per quod ad ſuperiorem gradum elevetur; ut v. g. Octava Epiphaniæ, &c.*

OCTAVÆ TERTII ORDINIS, *in quibus fit Officium integrum de Semiduplici non tranſlato, & de Duplici 4. Claſ. & ſup. etiam tranſlato.*

Octavæ Solemnium Minorum.
Dies Octava eſt Semiduplex.

FERIÆ MAJORES PRIVILEG. *quæ numquam omittuntur.*

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria quarta Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecoſtes.
Hæ Feriæ nulli cedunt Officio.

FERIÆ MAJORES, *de quibus fit ſemper Commemoratio, quando de iis non fit Officium.*

Feriæ { Adventûs.
Quadrageſimæ.
Quatuor Temporum.
Rogationum. }

Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis.
Vigiliæ omnes.
Hæ Feriæ non cedunt, niſi Officio Semiduplici & ſuprà.
Excipiuntur Feriæ Quadrageſimæ, in quibus non fit Officium de ullo Feſto, niſi de S. Joſeph, de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, & de ejus Compaſſione.

FERIÆ MINORES, *de quibus non fit Commemoratio quando omittuntur.*

Feriæ totius anni.
Hæ Feriæ admittunt quodcumque Feſtum etiam Simplex.

RUBRICÆ GENERALES
BREVIARII.

RUbricæ in tres partes dividuntur. In prima agitur de Officio in genere: in ſecunda agitur de Horis Officii: in tertia de Horarum partibus.

PARS PRIMA.

De Officio in genere.

OFficium quotidie fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex; & hoc quidem vel de Feſto, vel de Dominica, vel de Octava, aut de Feria, aut de Vigilia, aut de S. Maria in Sabbato.

Quia verò illa variorum graduum Officia quandoque occurrunt vel concurrunt eodem die; dicetur etiam in hac Parte de Commemorationibus, Occurrentia, Tranſlatione, & Concurrentia Officiorum.

CAPUT PRIMUM.

De Officio Feſtorum Duplicium.

1. ANtiqua eſt apud nos Officii Duplicis in quatuor Claſſes diviſio: hinc in Calendario notantur Duplicia, alia 1. Claſſis, alia 2. Claſſis, alia 3. Claſſis alia, denique 4. Claſſis.

2. Pro diverſa celebritate, iterum Duplex 1. Claſſis dividitur in Annuale, Solemne-majus, & Solemne-minus. Varios illos Feſtorum Duplicium gradus, diverſaſque ſolemnitates habeto, tum in præcedenti Tabula, tum in ſerie Calendarii.

3. Illa cuicumque Officio Duplici ſunt communia: 1. Quòd eo die celebretur quo occurrit, niſi transferri debeat, ut dicetur infrà. 2. Quòd habeat primas & ſecundas Veſperas integras, præterquam in caſibus Concurrentiæ notandis inferiùs. 3. Quòd ad 1. Veſperas & ad Tertiam Reſponſorium habeat, poſt Capitulum. 4. Quòd ad Officium ejus Nocturnum (extra Tempus Paſchale) novem dicantur Pſalmi ſub novem Antiphonis, cum totidem Lectionibus & Reſponſoriis, in tres Nocturnos diviſis: quæ omnia cum ſuis Verſiculis habes in Proprio, vel in Communi. 5. Quòd *Te Deum* dicatur ad Officium Nocturnum. 6. Quòd Preces omittantur ad Primam & ad Completorium.

4. Duplicibus primæ Claſſis quædam ſunt propria. 1. In omni Officio Duplici primæ Claſſis, Pſalmi ſunt proprii ad omnes Horas, præterquam ad primas Veſperas, ubi ſemper dicuntur Pſalmi Feriales: in aliis verò Duplicibus inferioris gradûs, ad totum Officium aſſumuntur Pſalmi de Feria occurrente. 2. In Duplicibus primæ Claſſis, etiam extra Tempus Paſchale (niſi tamen ſit Quadrageſima) additur duplex *Alleluia* in Reſponſoriis brevibus Horarum, & unum *Alleluia* ad Verſiculos: ſecus in aliis inferioris gradûs Duplicibus. Reliqua quæ unicuique Officio Duplici ſunt propria, per partes explicantur in Proprio.

5. Tempore Paſchali hic eſt Duplicium ritus: 1. Unica tantùm Antiphona dicitur ſuper Pſalmos in primis Veſperis. 2. Ad Officium Nocturnum tres dicuntur tantùm Pſalmi ſub tribus Antiphonis, cum totidem Lectionibus & Reſponſoriis. 3. Ad Antiphonas, Verſiculos & Reſponſoria additur unum *Alleluia*; & duplex *Alleluia* in ℟. br. Cætera ut per annum.

CAPUT SECUNDUM.

De Semiduplicibus.

1. OFficium eſt Semiduplex in diebus & Feſtis quibus apponitur in Calendario hæc vox, *Semiduplex*. Fit eo die quo occurrit, niſi transferatur; & habet utraſque Veſperas, præterquam in caſibus Concurrentiæ.

2. Semiduplex non habet Reſponſorium ad primas Veſperas; & ad Tertiam ℟. tantùm br. Ad Primam & Completorium dicuntur preces, niſi occurrat intra Octavam; tunc enim gaudet privilegio Octavæ.

3. Tempore Paſchali idem eſt ritus qui in Duplicibus, exceptis duobus mox obſervatis.

CAPUT TERTIUM.

De Simplicibus.

1. SImplex dignoſcitur eſſe Officiũ, quando in Proprio Sanctorum vel alias notatur hâc voce, *Simplex.* Numquam transfertur, ſed ſemper fit eo die quo cadit, niſi occurrat Feſtum Duplex, vel Semiduplex, aut Octava, aut Dominica; vel niſi fiat de S. Maria in Sabbato, vel de Vigilia, aut de Feria Majore: tunc enim de Simplici fit Commemoratio, exceptis tamen quibuſdam Feſtis, Octavis & Feriis fuſiùs infrà explicandis.

2. Incipit illud officium in primis Veſperis à Capitulo (poſt quod non dicitur ℟.) & terminatur ad Nonam incluſivè.

3. Nocturnum (quod ſemper unicum eſt, etiam extra tempus Paſchale) novem habet Pſalmos Feriales ſub una & prima Antiphona primi Nocturni de Sancto cujus fit Officium. Verſiculus & Reſponſoria ſumuntur ex Proprio, vel ex Communi, hoc ſcilicet ordine: Feriâ II. & V. ex primo Nocturno: Feriâ III. & VI. ex ſecundo Nocturno: Feriâ IV. ex tertio Nocturno. Tres verò Lectiones ſic ordinantur: Prima & ſecunda de Scriptura occurrente (duabus, ſcilicet 2. & 3. in unam junctis) tertia de Sancto; niſi facienda ſit Commemoratio alicujus Sancti qui habeat etiam Lectionem propriam; tunc enim prima Lectio erit de Scriptura occurrente (tribus in unam juncti) ſecunda de Simplici, de quo fit Officium, tertia de Sancto cujus fit Commemoratio. *Te Deum* non dicitur in Simplicibus.

4. Ad Laudes Matutinas, ſicut ad totum Officium, dicuntur Pſalmi de Feria occurrente, ſub ſola prima Antiphona ex Laudibus Feſti. Reliquum Officii ut in Semiduplici; excepto tamen quòd in Simplici ad Veſperas & ad Laudes adduntur Suffragia.

5. Tempore Paſchali ad Nocturnum dicuntur tantùm tres Pſalmi, prout aſſignantur in Feria occurrente. Cætera ut per annum, addendo *Alleluia* ad Antiphonas, ℣. & ℟.

CAPUT QUARTUM.

De Dominicis.

1. DOminicæ omnes in tres Claſſes diſtribuuntur, ut in præcedenti Tabula enumeratæ ſunt. Prima eſt earum quæ excludunt quæcumque Feſta, etiam Annualia. Secunda earum eſt quæ non admittunt niſi Solemniamajora & ſuprà. Tertia eſt cæterarum anni Dominicarum quæ admittunt Duplicia ſecundæ Claſſis & ſuprà, & excludunt quæcumque Feſta inferioris gradûs; exceptis tamen Feſtis tertiæ Claſſis quæ ſunt Feſta Domini, vel feriantur à populo ex toto, vel ex parte: de iis enim propter honorem Domini, vel propter publicam Feſtivitatem fit Officium in Dominicis tertiæ Claſſis.

2. Dominicale Officium nec transfertur, nec omnino omittitur, niſi in quibuſdam caſibus inferiùs explicandis. Unde ſi in Dominicam inciderit Feſtum cui ſecundùm Regulas Officium Dominicæ cedere debeat, fiet Commemoratio Dominicæ in utriſque Veſperis & in Laudibus: & in Officio Nocturno ultima Lectio legetur de Homilia Dominicæ.

3. Cùm Dominicæ anni (licèt quoad ritum celebrentur in Choro ut Semiduplicia) quoad gradum Duplicibus tertiæ Claſſis annumerentur, ideò in Dominicis ad utrumque Completorium & ad Primam non dicuntur Preces; obſervatis inſuper cæteris quæ in Officio Duplici obſervari debent; excepto quòd Reſponſorium non habeant in primis Veſperis, niſi aliter notetur in Proprio.

4. Numquam dimidiantur Veſperæ in Dominicis. Unde ſi in Sabbato fiat Officium de Duplici tertiæ Claſſis, Veſperæ integræ erunt de Dominica propter illius dignitatem: quod ſimiliter obſervandum, ſi Dominica concurrat in ſecundis Veſperis cum Feſto Duplici tertiæ Claſſis Feriâ ſecundâ celebrando: niſi tamen illud Feſtum ſit Feſtum Domini, vel Feſtum feriatum à populo; tunc enim Veſperæ integræ erunt de Feſto, cum Commemoratione Dominicæ.

5. Officium Noctis, extra Tempus Paſchale, tres habet Nocturnos; Tempore verò Paſchali unum cum ritu proprio. Cætera, quæ ſpectant ad Antiphonas, Lectiones, Verſiculos & Reſponſoria, vide in Pſalterio & in Proprio de Tempore.

6. Intra Octavas totum Officium fit de Dominica, incipiendo à primis Veſperis, cum Commemoratione Octavæ: in Dominicis tamen occurrentibus intra Octavas Feſtorum Domini, ſcilicet Nativitatis, Epiphaniæ, Aſcen-

ſionis, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, nulla fit Commemoratio de Octava, quia ipſum Officium Dominicæ pertinet ad Feſtum de quo eſt Octava.

7. Aſſignata ſunt Officia ſex Dominicarum poſt Epiphaniam, & viginti quatuor poſt Pentecoſten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quot ſcilicet eſſe poſſunt ab Epiphania ad Septuageſimam, & à Pentecoſte ad Adventum. Si autem aliquæ ſuperſint de ſex Dominicis poſt Epiphaniam propter occurſum Septuageſimæ, tum Officia Dominicarum quæ ſuperſunt, reſumuntur poſt Dominicam vigeſimam quartam à Pentecoſte, eo ordine qui deſcribitur in Proprio de Tempore. Quando verò Septuageſima cadit in Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam, ritus ille obſervetur qui ordinatus eſt in Proprio ad Sabbatum præcedens dictam Dominicam.

CAPUT QUINTUM.

De Octavis.

1. Officium Octavæ ſuum ſumit gradum à Feſto cujus eſt Octava: unde aliæ ſunt Octavæ primi ordinis privilegiatæ; aliæ ejuſdem ordinis non privilegiatæ; aliæ ſecundi ordinis; aliæ tertii ordinis. Quænam verò Octavæ ad illos varios gradus pertineant, quodnamve Feſtum admittant, vel excludant, habes in præcedenti Tabula, quæ hîc conſulenda eſt.

2. De Octava fit officium per octo dies continuos, vel ſaltem Commemoratio, quando ſcilicet aliquo Feſto, vel Dominicâ impeditur.

3. Tempus Quadrageſimæ nullam admittit Octavam: hinc ſi aliquod Feſtum, quod celebrari ſolet cum Octava, paulò ante Feriam quartam Cinerum evenerit, & jam per aliquot dies de eadem Octava factum ſit Officium; adveniente ſupra dictâ Feriâ quartâ Cinerum, nihil fit amplius de Octava, nequidem Commemorat. Idem obſerva de Octavis nondum abſolutis, quando ſupervenerit Vigilia Pentecoſtes, & dies 17. Decembris.

4. Si duæ Octavæ ſimul occurrant, fiet Officium de digniori. Dignitas autem Octavæ attendenda eſt, non à ſolemnitate tantùm, ſed à dignitate Feſti; & ideò ſi Octavæ Feſtorum Domini quæcumque, & Octava Patroni primarii occurrant ſimul, Officium erit de Octava Domini, etiamſi ſit inferioris ordinis; & fiet Commemoratio Octavæ patroni; & ſic in ſimilibus.

5. Officium Octavæ unicum habet Nocturnum, ſcilicet (extra Tempus Paſchale) novem Pſalmos de Feria occurrente ſub tribus Antiphonis, Verſiculum, tres Lectiones, & totidem Reſponſoria. Antiphonæ autem, ℣. & ℟. ſumuntur ex uno de Nocturnis Feſti juxta Feriam: id eſt, Feriâ II. & V. ex primo Nocturno: Feriâ III. & VI. ex ſecundo Nocturno: Feriâ IV. & Sabbato ex tertio Nocturno. Lectiones ſic ordinantur: Prima & ſecunda de Scriptura occurrente (duabus ultimis in unam junctis), tertia de Octava; niſi legenda ſit aliqua Lectio de Simplici, vel de Vigilia; tunc enim pro prima Lectione legitur tota Scriptura; ſecunda erit de Octava, tertia de Simplici, vel de Vigilia; *Te Deum* ſemper dicitur.

6. Ad Laudes & Veſperas dicuntur Pſalmi de Feria ſub una & prima Antiphona, ut notatur in Proprio. Reliquum Officii ut in die, præter Pſalmos qui ſunt Feriales ad omnes Horas.

7. Tempore Paſchali ad Officium Noctis dicuntur tantùm tres Pſalmi in Feria aſſignati. Cætera ut per annum, obſervato ritu Paſchali.

8. In Octavis ad Horas breves aſſumuntur Antiphonæ de Laudibus ut in die; id eſt, eodem ordine; ſcilicet 1. Antiphona ad Primam, & ſic deinceps, omiſsâ quartâ. In eo autem Rubrica antiqua mutata eſt, ut conſervetur relatio & connexio quæ in Officiis obſervata eſt Antiphonas inter & Capitula ac ℟. br. Horarum.

9. Intra Octavas non dicuntur Suffragia, neque Preces ad Primam & Completorium.

10. Si Feſtum habens Octavam transferatur, cum eo quoque transfertur Octava.

CAPUT SEXTUM.

De Feriis.

1. Ferias diſtinximus alias Majores alias Minores: & inter Majores Ferias, alias privilegiatas quæ nullum Officium admittunt, alias non privilegiatas de quibus fit ſemper Commemoratio, quando omittuntur. De his conſule præcedentem Tabulam.

2. Officium Feriale incipit ubi deſinit Officium præcedens; & ibi termi-

gloris gradûs; & transfertur Feſtum inferioris gradûs, ſi transferri poſſit, & debeat. Quòd ſi ſint ejuſdem gradûs, Officium fit de digniori, & transfertur minùs dignum in diem non impeditam Feſto Duplici, vel Semiduplici, vel Dominicâ, vel Octavâ quæ Feſta translata illius ordinis excludat. Ab hac regula excipe 1. Feſtum Nativitatis S. Joannis-Baptiſtæ, quod occurrens eodem die cum Feſto Sanctiſſimæ Euchariſtiæ celebratur craſtino cum Commemoratione de Octava Corporis Chriſti. Sequentibus autem diebus fit Officium de Octava Sanctiſſimi Sacramenti, & Commemoratio de Octava S. Joannis, cujus Vigilia anticipatur in Feriam IV. præcedentem. 2. Feſtum Annuntiationis Beatæ Mariæ occurrens in Majorem Hebdomadam transfertur poſt Paſcha, & de eo fit Officium & Feſtum Feria II. poſt Dominicam in Albis, translato quocumque alio Feſto in illam diem occurrente.

3. Feſta I. Claſſis per totam Diœceſim celebrata hoc gaudent privilegio, ut quodcumque Feſtum etiam Patroni in eis occurrens transferatur in proximiorem diem non impeditam.

4. Dominicæ & dies Octava cujuſque Feſti non anticipantur, nec transferuntur: unde ſi de iis non fiat Officium, fieri debet Commemoratio juxta Rubricas. Ab hac regula excipe 1. Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam, quandoque Sabbato anticipandam, ut ordinatum eſt in Proprio. 2. Diem Octavam Sanctiſſimi Sacramenti, in qua fit Officium de Sacerdotio Chriſti; quod Officium anticipatur ad diem præcedentem, ſi Feſtum S. Joannis-Baptiſtæ, aut Feſtum Sanctorum Petri & Pauli occurrat in diem Octavam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Anticipato autem dicto Officio, propter Feſtum occurrens, nihilominus in die Octava fiet Commemoratio de ea per Antiphonas & Verſus de Octava.

5. Feſtum Simplex numquam transfertur: & ideò vel fit Commemoratio de eo (ſi per Rubricas liceat) vel omnino prætermittitur. Quando autem de Simplici fit Commemoratio, ultima Lectio erit de eo, ſi habeat propriam; modò tamen non legenda ſit pro ultima Lectione Homilia Dominicæ, vel Vigiliæ, &c. vel alia Lectio quæ anteponi debeat.

6. Quando transfertur Officium in quo fieri debet Commemoratio alia qua, non ideò Commemoratio transfertur; ſed fit ſuo die, ſi ſolemnitas patiatur; ſecus omittitur eo anno.

7. Cùm transfertur Feſtum primæ Claſſis quod totâ die feriatur à populo, transfertur quoque Feſtivitas; ſecus de Feſtis aliis quæ feriantur tantùm ex parte, aut quæ ſunt inferioris gradûs.

8. Si Feſtum S. Marci quod feriatur ex parte, incidat in Dominicam (non tamen in Albis) fit Officium de S. Marco ipsâ die juxta Rubricam; abſtinentia verò à carnibus, Litania, & Supplicatio (non translatâ Feſtivitate) transferuntur in diem ſequentem, niſi aliquâ aliâ publica feſtivitate impediatur.

9. Quando Feſtum S. Matthiæ (quod nunc celebratur ſine Vigilia & jejunio) incidit in Quadrageſimam, anticipatur ad Feriam II. poſt Quinquageſimam. Alia Feſta, ſive Patroni, ſive Dedicationis quæ occurrunt in Quadrageſima, transferuntur poſt Dominicam in Albis, exceptis Feſtis S. Joſeph, Annuntiationis B. M. V. & ejus Compaſſionis.

10. In Feſtis translatis is ordo attendatur, ut de iis fiat ſucceſſivè ſecundùm gradum & dignitatem uniuſcujuſque; ſcilicet de Feſtis Domini, Beatæ Mariæ, & Apoſtolorum ante alia ejuſdem gradûs, de Duplicibus ante Semiduplicia, &c. Si autem æqualis ſint gradûs & dignitatis, de iis fiet eo ordine quo inſcripta ſunt in Calendario.

CAPUT XI.

De Concurrentia.

1. Concurrere dicuntur duo Officia, quando alterum ante incipit, quàm alterum terminari extra concurſum debeat; quod ſcilicet intelligitur de præcedenti in ſecundis Veſperis cum ſequenti in primis Veſperis, & viciſſim.

2. In Concurrentia Officiorum duo conſideranda ſunt, gradus & dignitas. Gradus dignoſcitur per denuntiationem Claſſis aut ſolemnitatis poſitam in Calendario. Dignitas attendenda eſt ab eo cujus eſt Officium: ſic inter Officia æqualis gradûs Feſta Domini præſtant aliis quibuſcumque Feſtis; Feſta Beatæ Mariæ Virginis Feſtis

Angelorum; Feſta Angelorum Feſtis Sanctorum; & inter Sanctos Feſta Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Cætera autem Officia, ſcilicet Martyrum, Confeſſorum, Pontificum, &c. ſunt ejuſdem inter ſe dignitatis.

3. Si Feſta concurrentia ſint inæqualis gradûs aut dignitatis, Veſperæ integræ dicuntur de ſuperiori aut digniori, & ſit Commemoratio de inferiori aut minùs digno, modò per præcedentes Rubricas liceat. Hinc in concurſu Duplicis primæ Claſſis cum alio Duplici inferioris gradûs, Veſperæ erunt de Duplici primæ Claſſis, & ſic de cæteris.

4. Feſta concurrentia quæ ſunt inter ſe æqualis gradûs & dignitatis dimidiant Veſperas; id eſt, in Veſperis ſit de præcedenti uſque ad Capitulum excluſive, & de ſequenti à Capitulo uſque ad finem cum Commemoratione præcedentis: niſi tamen ex illis Feſtis æqualis gradûs & dignitatis unum ſit Feſtivum, aliud non; in eo enim caſu Veſperæ integræ dicentur de Feſtivo, & ſiet Commemoratio alterius.

5. Dominica numquam dimidiat Veſperas: unde ſi concurrat cum Feſto æqualis gradûs, Veſperæ integræ erunt de Dominica cum Commemoratione Feſti; niſi tamen ſit Feſtum Domini, aut feriatum à populo; tunc enim Veſperæ integræ erunt de Feſto, & Commemoratio de Dominica.

6. Concurrente Semiduplici, quod celebratur Feriâ VI. cum Officio de Beata quod ſit in Sabbato, Veſperæ integræ erunt de Beata cum Commemoratione de Semiduplici; ſecus ſi Feſtum præcedens fuerit Duplex, ut dictum eſt ſuprà, ubi de Officio B. M. in Sabbato.

PARS SECUNDA.

De Horis Officii.

Officium eſt Nocturnum, vel Diurnum. Officium Nocturnum, quod etiam Vigiliarum nomine nuncupatur, inſtitutum eſt ut celebretur noctu: nunc quia in pleriſque locis, ex conſenſu Eccleſiæ, manè perſolvitur, dicitur vulgato nomine Matutinum. Officium Diurnum (ſic dictum quòd per diem celebrari ſoleat) in ſeptem Horas dividitur; quæ ſunt, Laudes Matutinæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Completorium.

De his Horis ſingillatim agendum ſequentibus Capitibus.

CAPUT PRIMUM.

De Officio Nocturno.

1. AD Officium Noctis hæc per ordinem dicuntur (niſi aliter notetur) *Pater*, *Ave*, *Credo*, ſecretò: deinde altâ voce Celebrans dicit: *Domine*, *labia mea*, *&c.* pollice ſignando ſibi os ſigno Crucis: tum manu extenſâ ſignando ſe à fronte ad pectus, & à ſiniſtro humero ad dexterum (quod ſervatur initio omnium Horarum) dicit, *Deus*, *in adjutorium*, *&c.* & dicto *Alleluia*, vel, *Laus tibi*, *&c.* dicitur Invitatorium conveniens cum Pſalmo *Venite*, eo modo quo in Pſalterio præſcribitur.

2. In Eccleſiis ubi ex fundatione approbata, vel de peculiari Mandato Ordinarii inchoantur Horæ a Salutatione Angelica I. dicto ſecretò, *Pater*, ſtatim dicitur altâ voce *Ave Maria*, *&c.* & omiſſo ℣. *Sancta Maria*, cætera ſequuntur ut ſupra.

3. Poſt dictum Pſalmum *Venite* & repetitum Invitatorium, in Duplicibus, Dominicis, & Semiduplicibus (extra tempus Paſchale) dicuntur novem Pſalmi de Feria (præterquam in Duplicibus primæ Claſſis) ſub totidem Antiphonis cum tribus Verſiculis, novem Lectionibus ac Reſponſoriis per tres Nocturnos diſtinctis, eo qui ſequitur modo.

4. In primo Nocturno dicuntur tres Pſalmi ſub tribus Antiphonis & abſoluta tertiâ Antiphonâ, Verſiculus, poſt quem dicitur ſecretò *Pater*, uſque ad ℣. *Et ne nos*; *&c.* quod clarè voce pronuntiatur. Sequitur Abſolutio; quâ factâ, ante quaslibet Lectiones Lector dicit, *Jube*, *Domine*, *&c.* tum dicuntur Benedictiones poſitæ poſt Pſalterium, ſingulæ ad ſingulas Lectiones quæ ſunt de Scriptura occurrente (exceptis Feſtis primæ Claſſis in quibus aſſignantur propriæ.) In fine omnium Lectionum dicitur, *Tu autem*, *Domine*, *&c.* excepto Triduo ante Paſcha, & Officio Defunctorum, in quibus non dicuntur Abſolutiones, nec Benedictiones, & Lectiones terminantur per ſolam vocis intercidentiam. Poſt quaslibet Lectiones dicitur unum Reſponſorium conveniens; ſi de Tempore, ut in Proprio de Tempore; ſi de Sancto, ut in Proprio, vel

Communi (etiamſi Lectiones ſint de Tempore) & in fine tertij Reſponſorii cujuſque Nocturni dicitur *Gloria Patri, &c.* cum reclamatione Reſponſorii, niſi aliter in propriis locis notetur.

5. In ſecundo Nocturno dicuntur alii tres Pſalmi ſub totidem Antiphonis, Verſ. *Pater*, Abſolutione; Lectiones ſumuntur de aliquo Sermone, vel Tractatu Sanctorum Patrum, aut de vita illius Sancti de quo fit Officium; quamlibet Lectionem præcedente Benedictione, illamque ſubſequente Reſponſorio, ut ſuprà.

6. In tertio Nocturno alii dicuntur tres Pſalmi eodem ritu ut ſuprà; & leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium de Tempore, vel de Feſto (niſi pro ultima Lectione legendum ſit de Sancto, vel de alia Homilia) quælibet Lectio cum ſuo Reſponſorio: & poſt ultimum Reſponſorium dicitur Hymnus *Te Deum*, niſi aliter notetur.

7. Intra Octavas poſt Invitatorium (quod ſumitur ex Feſto ut plurimùm) dicuntur (extra Tempus Paſchale) novem Pſalmi de Feria ſub tribus Antiphonis, tres videlicet Pſalmi ſub una Antiphona: deinde ℣. Abſolut. &c.& tres Lectiones cum totidem Reſponſoriis. Lectiones autem ordinantur, ut dictum eſt in Capite de Officio Octavarum; & dicitur ſemper *Te Deum*.

8. Ad Officium Nocturnum in Simplicibus dicuntur novem Pſalmi de Feria ſub unica Antiphona quæ eſt prima de Communi: Verſus, Lectiones & Reſponſoria ut ordinantur in prima Parte, Capite de Simplicibus.

9. In Feriis poſt Invitatorium dicuntur novem Pſalmi, tres Antiphonæ, & Verſus ut in Pſalterio aut Proprio de Tempore: Abſolutiones & Benedictiones ut poſitæ ſunt poſt Pſalterium: tres Lectiones de Scriptura occurrente, & Reſponſoria ut in Proprio de Tempore. Si tertia Lectio legenda ſit de Sancto, ut contingit in Feriis Adventûs, ex ſecunda & tertia Lectione de Scriptura occurrente fiet una.

10. Tempore Paſchali, id eſt, à Paſchate ad Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis excluſivè, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, unicum Nocturnum dicitur, conſtans tribus Pſalmis, totidem Lectionibus & Reſponſoriis. Pſalmi autem variantur, & dicuntur ſub una vel tribus Antiphonis, ut notatur in Proprio.

CAPUT SECUNDUM.

De Laudibus.

1. AD Laudes (dictis ſecretò *Pater*, *Ave*, ſi ab Officio Nocturno ſeparentur) poſt Verſum Sacerdotalem, qui eſt Verſus apertionis Laudum, Hebdomadarius dicit, *Deus in adjutorium*, *&c.* deinde dicuntur Antiphonæ, Pſalmi & Canticum, ut habentur in Pſalterio pro unoquoque die Hebdomadæ, vel ut notatur in Proprio de Tempore, aut de Sanctis. In Duplicibus & Semiduplicibus dicuntur quinque Antiphonæ; in Simplicibus & Octavis una tantùm quæ eſt prima de Laudibus ex Communi, vel Proprio. Pſalmi autem in Duplicibus primæ Claſſis ſunt proprii: in aliis Feſtis inferioris gradûs Pſalmi ad omnes Horas ſunt Feriales.

2. Poſt Pſalmos (niſi aliter notetur) dicitur Capitulum, Verſus, Canticum *Benedictus* cum Antiphona & Oratione conveniente. Preces, quando dicendæ ſunt, dicuntur poſt Antiphonam ad *Benedictus*.

3. Ante Orationem dicitur, *Dominus vobiſcum*, *&c.* poſtea *Oremus*, & ſtatim Oratio cum integra concluſione. Poſt Orationem repetitur *Dominus vobiſcum*: deinde *Benedicamus Domino*: & ſecretò *Fidelium*, *&c.*

4. Si Commemorationes ſint faciendæ, fiunt poſt *Benedicamus*, eo ſcilicet modo: dictâ Antiphonâ, non dicitur *Dominus vobiſcum*, ſed Verſiculus; poſt Verſiculum Oratio; & poſt Orationem iterum dicitur *Dominus vobiſcum*, *&c. Benedicamus*, *&c.*

5. Quando plures Commemorationes faciendæ ſunt, ultima tantùm Oratio Commemorationis terminatur integrâ concluſione: aliæ verò concluduntur breviori modo, ut infrà dicetur, ubi de Oratione.

CAPUT TERTIUM.

De Prima.

1. AD Primam, dictis ſecretò *Pater*, *Ave*, dicitur *Deus*, *in adjutorium*, & Hymnus: poſt Hymnum imponitur Antiphona conveniens, ſub quâ dicuntur tres Pſalmi in Pſalterio vel Proprio deſignati. In Dominica & in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis

additur Symbolum *Quicumque*. Sequitur Capitulum & ℟. br. *Chriſte Fili, &c.* in quo Verſus mutatur pro varietate Temporum & Feſtorum, ut in propriis locis notatur.

2. In Dominicis & Feſtis pro Capitulo ſemper dicitur *Regi ſæculorum.* In Feriis verò ſumitur Capitulum ex Pſalterio, niſi mutetur in Proprio de Tempore.

3. Poſt ℣. *Exurge*, dicuntur Preces, vel omittuntur pro qualitate Officii, eo modo quo ordinantur in Pſalterio. Ad ℣. *Adjutorium*, quilibet ſignat ſe ſigno crucis, & ad *meâ culpâ* ter percutitur Pectus.

4. Poſt Orationem dicto *Benedicamus*, legitur in Choro Martyrologium: deinde ℣. *Pretioſa*, *&c.* cum reliquis ut in Pſalterio. Ad has autem Preces tenentur etiam qui extra Chorum Horas recitant.

5. Dictâ Oratione *Dirigere*, *&c.* poſt concluſionem Lector petit Benedictionem, ut habetur in Pſalterio; & deinde legit Canonem qui pro ſingulis diebus aſſignatur in Proprio de Tempore, & quandoque mutatur in Feſtis; in cujus fine dicitur *Tu autem*, *Domine*, *&c.* Reliqua ut in Pſalterio diſponuntur.

CAPUT QUARTUM.

De Horis, Tertia, Sexta & Nona.

1. AD Tertiam, Sextam, & Nonam, dictis ſecretò *Pater*, *Ave*, dicitur *Deus*, *in adjutorium*, & Hymnus: deinde imponuntur Antiphonæ convenientes, & dicuntur Pſalmi per Ferias diſtributi; præterquam in Duplicibus primæ Claſſis, in quibus ſunt Proprii, vel de Dominica.

2. Poſt Pſalmos ſequitur Ant. Capit. ℟. br. & ℣. poſt quem dicitur *Dominus vobiſcum*, & Oratio quæ concluditur ut dictum eſt ad Laudes.

CAPUT QUINTUM.

De Veſperis.

1. AD Veſperas, dictis ſecretò *Pater*, *Ave*, dicitur *Deus*, *in adjutorium*: deinde quinque Pſalmi ſub quinque Antiphonis (niſi aliter notetur:) poſtea Capitulum, Hymnus, ℣. Canticum *Magnificat* cum ſua Antiphona; & Oratio quæ præceditur & concluditur, ut ad Laudes dictum eſt.

2. Preces, quando dicendæ ſunt, dicuntur poſt Antiphonam ad *Magnificat.*

3. Si fiant Commemorationes, vel Suffragia dicantur, ſervetur idem ordo qui in Laudibus ſuprà.

CAPUT SEXTUM.

De Completorio.

AD Completorium *Pater*, *Ave* ſecretò: deinde *Converte nos*, *&c.* pollice pectus infimum ſignando; tum *Deus*, *in adjutorium.* Quatuor Pſalmi dicuntur ſine Antiphona, quibus finitis additur *Alleluia*, vel *Laus tibi*, *&c.* poſtea Hymnus & Capitulum, quæ quandoque variantur ut ſuis locis notatur. Per Quadrageſimam dicitur poſt Capitulum ℟. in omnibus Sabbatis & Feſtis Duplicibus ad primum Completorium. ℣. *Cuſtodi nos*, *&c.* non mutatur. Antiphona ad *Nunc dimittis* variatur pro varietate Temporum, & quandoque in Feſtis Majoribus. Poſt Antiphonam dicuntur Preces, ſi dicendæ ſint juxta Rubricam, & Oratio *Viſita*, *&c.* Reliqua ut in Pſalterio aſſignantur.

PARS TERTIA.

De Horarum Partibus.

CAPUT PRIMUM.

De Invitatorio.

1. INvitatorium ſemper dicitur ad Officium Nocturnum (præterquam in die Epiphaniæ & Triduo ante Paſcha) cum Pſalmo *Venite*, *&c.*

2. Variatur Invitatorium pro qualitate Officii, & repetitur eo ordine qui in principio Pſalterii deſcribitur.

3. Tempore Paſchali ad Invitatorium additur unum *Alleluia.*

CAPUT SECUNDUM.

De Antiphonis.

1. AD Horas omnes, præter Completorium, dicuntur Antiphonæ ſuper Pſalmos, una vel plures pro diverſitate Officiorum & Horarum.

2. In Dominicis & Feriis dicuntur ut in Pſalterio, quando aliæ non aſſignantur in Proprio de Tempore. In

Feſtis verò ſumuntur de Proprio, vel de Communi.

3. In Duplicibus & Semiduplicibus regulariter dicuntur quinque Antiphonæ ad Laudes & utraſque Veſperas; præterquam Tempore Paſchali, quo in omni Officio Duplici vel Semiduplici una tantùm dicitur Antiphona in primis Veſperis.

4. Intra Octavas & in Simplicibus una tantùm Antiphona dicitur ad Laudes & Veſperas ut jam obſervatum eſt.

5. Ad Horas br. ſumuntur Antiphonæ de Laudibus, quartâ omiſsâ: & hoc obſervandum etiam in Octavis & Simplicibus, ut ſervetur relatio Antiphonarum cum Capitulis & ℟. br. Horarum.

6. Toto Tempore Paſchali additur unum *Alleluia* ad Ant.

CAPUT TERTIUM.

De Pſalmis.

1. PSalmi eo modo & ordine quo ſunt in Pſalterio diſtributi dicuntur ſingulis diebus ad omnes Horas, non ſolùm in Officio de Tempore, ſed etiam in Officio de Sanctis; præterquam in Duplicibus primæ Claſſis, quibus proprii in ſuo Officio Pſalmi aſſignantur. In cæteris omnibus inferioris gradûs dicuntur Pſalmi Feriales. Excipitur Officium Tridui ante Paſcha, in quo dicuntur Pſalmi prout in propriis locis notantur.

2. In fine Pſalmorum & ad quamlibet Pſalmorum diviſionem ſemper dicitur *Gloria Patri*, &c. præterquam in Officio Tridui ante Paſcha, in quo nihil dicitur in fine Pſalmorum; & in Officio Defunctorum, in quo poſt Pſalmos, loco *Gloria Patri*, dicitur *Requiem*, &c.

CAPUT QUARTUM.

De Canticis.

1. CAntica dicuntur in Officio tam de Tempore quàm de Sanctis, ad Laudes, Veſperas, & Completorium, ut in Pſalterio diſtribuuntur; niſi alia aſſignentur in Proprio.

2. Canticum ad Laudes aliud aſſignatur pro Officio Feriali, aliud pro Officio Feſtorum & Sanctorum: quandoque etiam variatur pro diverſitate Officii; & tunc in Proprio notatur.

3. Quando in Proprio Canticum ad Laudes aſſignatur pro Feſto, illud aſſumitur quotidie in Octava Feſti, omiſſo Cantico quod in Officio Feriali pro Feſtis poſitum eſt.

4. In fine Canticorum omnium dicitur *Gloria Patri*, præterquam ad Canticum *Benedicite* in Laudibus Dominicæ, ad cujus finem loco *Gloria*, additur *Benedicamus Patrem*, &c. Excipe etiam Triduum ante Paſcha & Officium Defunctorum, in quibus idem ritus ſervetur, qui ſuprà in Pſalmis.

CAPUT QUINTUM.

De Verſiculis.

1. VErſiculi dicuntur eo modo & ordine quo diſtribuuntur ad Horas in Pſalterio, vel in Proprio, vel in Communi.

2. In Officio Simplici & intra Octavas inde ſumitur ℣. Nocturni, unde ſumuntur Antiphonæ & ℟. ℟. ℟.

3. Quando fit aliqua Commemoratio, ſemper dicitur ℣. qui in ejus Officio de quo fit Commemoratio diceretur ad Laudes poſt Capitulum, & ad Veſperas poſt Hymnum.

4. Tempore Paſchali in fine ℣. additur *Alleluia*, non tamen ad Verſiculos Precum, nec ad *Pretioſa*, &c.

CAPUT SEXTUM.

De Abſolutionibus & Benedictionibus.

ABſolutiones & Benedictiones in quolibet Officio dicuntur eo modo quo diſponuntur in fine Pſalterii: ſcilicet poſt ℣. cujuslibet Nocturni, dicto ſecretò *Pater*; deinde clarâ voce *Et ne nos*, &c. fit Abſolutio, & dantur Benedictiones variæ pro diverſitate & qualitate Officiorum; præterquam in Officio Tridui ante Paſcha, & Defunctorum.

CAPUT SEPTIMUM.

De Lectionibus.

1. LEctiones leguntur in quolibet Nocturno eo ritu qui ſuprà ordinatus eſt.

2. In Duplicibus, Semiduplicibus, & Dominicis (extra Tempus Paſchale) dicuntur novem Lectiones, tres ſcilicet in quolibet Nocturno. In Simplicibus autem, in Feriis, intra Octavas, in Officio de Beata, & totô

Tempore Paſchali tres tantùm dicuntur Lectiones.

3. Ad Officium novem Lectionum, in primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura ſacra, quæ per ordinem ſuâ quâque die in Officio de Tempore occurrunt, niſi aliæ ſuis locis aſſignentur. In ſecundo Nocturno leguntur Lectiones deſignatæ in Proprio. In tertio Nocturno leguntur de Homilia in Evangelium diei, vel Feſti. Excipiuntur ab hoc Lectionum Ordinario Officium Tridui ante Paſcha & Officium Commune Defunctorum, in quibus non leguntur Homiliæ.

4. Omnia Feſta primæ Claſſis habent in primo Nocturno proprias de Scriptura ſelectas Lectiones. In Feſtis inferioris gradûs legitur ſemper de Scriptura occurrente.

5. Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo Libri de quo ſumuntur, niſi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam ſecundi Nocturni, quando ſunt de aliquo Sermone, Tractatu, Epiſtolâ, aut alio quovis Libro Sanctorum Patrum, leguntur cum nomine & titulo auctoris; aliàs minimè. Similiter in tertio Nocturno præponitur principium Evangelii quod eo die legitur in Miſſa; & deinde titulus & nomen auctoris cujus eſt Homilia.

6. In Officio trium Lectionum (ut nulla prorſus ſit dies in qua ad Officium Nocturnum non legatur de Scriptura ſacra, & ut tota ſemper legatur Scriptura occurrens) ordinantur Lectiones, ut ſequitur. Si Feſtum habet duas Lectiones proprias, prima Lectio erit de Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; ſecunda & tertia de Feſto: ſi unam tantùm habeat Lectionem propriam, prima de Scriptura occurrente legitur ut eſt in Proprio: ad ſecundam Lectionem junguntur ſimul & ſub uno tenore Lectiones 2. & 3. Scripturæ occurrentis: tertia Lectio de Feſto: quod etiam obſervatur in Officio de Beata in Sabbato & intra Octavas. In Feriali verò Officio tres Lectiones erunt de Scriptura occurrente, niſi legenda ſit Homilia pro tertia Lectione, aut alia de Sancto qui ſolam habeat Commemorationem; tunc enim tres Lectiones de Scriptura occurrente contrahentur in duas, ut ſuprà.

7. Tempore Paſchali in Duplicibus & Semiduplicibus, prima Lectio eſt de Scriptura, tribus in unam junctis, ſecunda de Feſto, tertia de Evangelio illius Officii cum ejus Homilia. In aliis autem Feſtis, vel diebus, Lectiones ordinantur ut dictum eſt ſuprà de Officiis trium Lectionum.

8. Quando initium libri Scripturæ occurrentis legi non poteſt propter aliquod Officium habens Scripturam propriam, ut ſunt Duplicia primæ Claſſis, tunc dictum initium ponitur die ſequenti non impeditâ, & leguntur tres Lectiones ex dicto initio, modò tamen de eodem libro Scripturæ legendum ſit in Lectionibus hujus diei; aliàs enim omittitur eo anno.

9. De Abſolutionibus, Benedictionibus, & terminatione Lectionum, obſerventur quæ ſuprà dicta ſunt ubi de Officio Nocturno.

CAPUT OCTAVUM.

De Reſponſoriis.

1. POſt quamlibet Officii Nocturni Lectionem dicitur ℟. Præterea in Duplicibus dicitur ℟. poſt Capitulum in primis Veſperis & ad Tertiam.

2. In Officio de Tempore Reſponſoria ſumuntur de Dominica, vel de Feſto. In Officiis Sanctorum ſumuntur de Proprio, vel de Communi: in Officio Feriali ſumuntur de Dominica præcedenti: in diebus intra Octavas ex Officio Feſti, niſi aliter notetur, vel propria aſſignentur.

3. In Feriali Officio, in Simplicibus, intra Octavas, & toto Tempore Paſchali ſumuntur Reſponſoria hoc modo: Feriâ ſecundâ & quintâ ex primo Nocturno: Feriâ tertiâ & ſextâ ex ſecundo Nocturno: Feriâ quartâ & Sabbato ex tertio Nocturno.

4. Dicuntur Reſponſoria eo modo quo ponuntur in ſuis locis cum ſua Reclamatione ad Aſteriſcum *. In ultimo Reſponſorio cujuſque Nocturni dicitur *Gloria Patri*, *&c.* & repetitur Reclamatio ad primum vel ſecundum Aſteriſcum, prout notatur in Proprio vel in Communi. Tempore Paſchali ultima Reclamatio tertii Reſponſorii ſit ſemper ad *Alleluia*.

CAPUT NONUM.

De Cantico Te Deum.

1. IN omnibus Feſtis Duplicibus & Semiduplicibus per annum, intra quamcumque Octavam, in Offi-

tio de Beatâ, ac in Dominicis à Paſchate uſque ad Adventum, & à Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam, dicitur *Te Deum*, poſt ultimum Reſponſorium Officii Nocturni; præterquam in Feſto (non autem die Octavâ) Sanctorum Innocentium, niſi cadat in Dominicam.

2. In Simplicibus, in Vigiliis, in Feriali Officio, & in Dominicis Adventûs, Septuageſimæ & ſequentibus uſque ad Paſcha non dicitur *Te Deum*.

CAPUT DECIMUM.

De Hymnis.

1. HYmni dicuntur ad omnes Horas, præterquam in Officio Nocturno, & in Laudibus, ac Triduo ante Paſcha, Octavâ Paſchæ, & Officio Defunctorum. Dicuntur autem ad Horas br. poſt *Deus, in adjutorium;* ad Veſperas poſt Capitulum vel Reſponſorium; & ad Completorium poſt Pſalmos.

2. Quando ad Horas br. ſumuntur Pſalmi de Dominica, ut in Officio Duplici primæ Claſſis, etiam ſumuntur Hymni de Horis br. Dominicæ.

CAPUT XI.

De Capitulis & Canone.

1. CApitula dicuntur ad Laudes, Horas & Veſperas, dictis Pſalmis & Antiphonis; ad Completorium verò poſt Hymnum. In fine omnium Capitulorum reſpondetur *Deo gratias.*

2. In Dominicis & Feriis Capitula ſumuntur ex Pſalterio, niſi alia in Proprio de Tempore aſſignentur. In Feſtis ſumuntur ex Proprio, vel Communi Sanctorum.

3. Ad Primam in Feſtis omnibus & Dominicis dicitur Capitulum *Regi ſæculorum, &c.* In Feriali autem Officio variatur pro Tempore.

4. Triduò ante Paſcha, & deinceps uſque ad Dominicam in Albis non dicuntur Capitula ad Horas.

5. Ad Primam legitur Canon eâ die quâ occurrit, niſi alius aſſignetur in Feſto, vel in Proprio Sanctorum. Non dicitur Canon Triduo ante Paſcha.

CAPUT XII.

De Reſponſoriis brevibus.

1. REſponſoria brevia ad Horas minores poſt Capitulum dicuntur, & ſumuntur aut ex Pſalterio, aut ex Proprio, vel Communi Sanctorum. Excipiuntur dies à Feria quinta in Cœna Domini uſque ad Dominicam in Albis excluſivè, & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, in quibus ad Horas non dicuntur Reſponſoria brevia.

2. Reſponſorium breve *Chriſte Fili, &c.* ad Primam numquam mutatur: Verſus autem variatur aliquando. Alia Reſponſoria brevia ad Horas mutantur pro diverſitate Officiorum.

3. A Dominica Paſſionis incluſivè uſque ad Paſcha, in Reſponſoriis tam brevibus quàm prolixis non dicitur *Gloria Patri*: ſed poſt Verſiculum & ejus Reclamationem repetitur Reſponſorium ab initio uſque ad Verſiculum.

4. In omnibus Feſtis primæ Claſſis (niſi ſit Quadrageſima) & toto Tempore Paſchali ad Reſponſorium breve adduntur duo *Alleluia*, à quibus fit Reclamatio; & unum *Alleluia* ad Verſiculum qui dicitur poſt Reſponſorium breve.

CAPUT XIII.

De Oratione ſeu Collecta.

1. ORatio in Laudibus & Veſperis dicitur poſt Antiphonam ad *Benedictus* & *Magnificat*; niſi dicendæ ſint Preces; tunc enim in fine illarum dicitur Oratio. Ad Horas dicitur poſt Reſponſorium breve & Verſiculum, niſi Preces dicendæ ſint.

2. Ad Primam & Completorium non mutatur Oratio quæ habetur in Pſalterio, præterquam in Triduo ante Paſcha, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. In aliis Horis dicitur Oratio quæ aſſignatur in Proprio.

3. Oratio præcedentis Dominicæ ſemper dicitur in Feriali Officio per Hebdomadam, niſi propria aſſignetur.

4. In Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Feriis Rogationum Oratio diei quæ dicta eſt in Laudibus, dicitur tantùm ad Horas breves. In Veſperis autem ſequentibus, ſi fiat de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadrageſima, vel Dominicæ præcedentis, ut in Feriis.

5. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiſcum*; non tamen ab eo qui non eſt ſaltem in Ordine Diaconatûs, nec

à Diacono præſente Sacerdote, niſi de illius licentia; ſed ab iis qui ad Diaconatum non pervenerint dicitur, *Domine, exaudi orationem*, &c. Deinde *Oremus*. In fine Orationis, repetitur *Dominus vobiſcum*, vel *Domine, exaudi*, &c. poſtea *Benedicamus*, &c. & ℟. *Deo gratias*: quod ſemper obſervatur in fine primæ Orationis, ſive unica, ſive plures dicantur.

6. Quando Oratio dirigitur ad Patrem, ſic concluditur; *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* Si ad Filium, ſic concluditur; *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.* Si in principio, vel decurſu Orationis fiat mentio Filii, dicitur, *Per eumdem Dominum noſtrum*, &c. Si in fine Orationis, dicitur; *Qui tecum vivit & regnat in unitate*, &c. ſi fiat mentio Spiritûs ſancti, dicitur; *in unitate ejuſdem Spiritûs ſancti Deus*, &c.

7. Quando plures dicendæ ſunt Orationes, ratione ſcilicet Commemorationis, ante quamlibet dicitur Antiphona & ℣. ſine *Dominus vobiſcum*: deinde *Oremus*: & poſt ultimam iterum repetitur *Dominus vobiſcum*, vel *Domine, exaudi*, &c. *Benedicamus*, &c. & ſecretò (ſi aliud Officium non ſequatur) *Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

8. Cùm plures dicuntur Orationes, prima tantùm & ultima terminantur per integram concluſionem: Intermediæ autem ſic concluduntur: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen*: vel *Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum*: vel *Qui vivis & regnas Deus*: vel *Qui tecum vivit & regnat Deus*: & ℟. *Amen.*

CAPUT XIV.

De Precibus.

1. PReces conſtant aliquot Verſiculis qui dicuntur ante Orationem, præmiſſo *Kyrie, eleiſon*, *Pater noſter*, cui additur *Credo* ad Primam & Completorium.

2. Preces ad Primam & Completorium non dicuntur in Dominicis, in Duplicibus, intra Octavas (etiamſi fiat Officium de Semiduplici) nec in Vigiliis Nativitatis Domini & Epiphaniæ, nec in Feria ſexta & Sabbato poſt Octavam Aſcenſionis, quamvis Officium in dicta Feria ſexta fieret de Semiduplici.

3. Preces Feriales ad Laudes, Veſperas & Horas dicuntur flexis genibus in Feriis Adventûs, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliis. Excipiuntur 1. Vigiliæ Quatuor Temporum Pentecoſtes, necnon Vigiliæ Nativitatis, Epiphaniæ & Aſcenſionis Domini, in quibus ad omnes Horas non flectitur genu. 2. Feriæ Adventûs quæ habent Antiphonas O ad *Magnificat*: in iis enim non dicuntur Preces ad Veſperas tantùm: ſecus ad alias Horas.

4. Ad explicationem præcedentis regulæ obſerva quòd in Feriis Quatuor Temporum non dicantur Preces flexis genibus in Veſperis, niſi quando Veſperæ ſint de Feria: in aliis verò Vigiliis non flectitur genu ad Veſperas.

CAPUT XV.

De Suffragiis.

1. SUffragia ſunt Commemorationes communes, quæ ponuntur in fine Laudum & Veſperarum ad Feriam ſecundam in Pſalterio.

2. Ab Octava Corporis Chriſti ad Adventum in Laudibus & Veſperis quando fit de Feria, vel de Simplici, quinque fiunt Commemorationes: Prima de Cruce; ſecunda de Beata; tertia de Patrono; quarta de Omnibus Sanctis; ultima de Pace.

3. Per Adventum ceſſant dicta ſuffragia uſque ad diem Octavam Epiphaniæ. Ab Octava autem Epiphaniæ uſque ad Feriam IV. Cinerum fiunt in Officio Feriali, vel de Simplici quatuor Commemorationes, 1. de Beata, 2. de Patrono, 3. de Sanctis, 4. de Pace.

4. A Feria IV. Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis fiunt quinque Commemorationes, ut notantur in Pſalterio ad Partem Vernam.

5. Tempore Paſchali, unica tantùm fit Commemoratio de Cruce, quæ poſita eſt in Proprio Feriâ II. poſt Dominicam in Albis.

6. Si facienda ſit Commemoratio alicujus Feſti, fit ſemper ante omnia Suffragia.

PSALTERIUM
DISPOSITUM
PER HEBDOMADAM,

Cum Ordinario Officii de Tempore.

DOMINICA

Dies eſt Domino ſacra Reſurrectione Chriſti, & Spiritûs ſancti effuſione.

OFFICII FINIS.

Deus cultu publico colendus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur ſecretò :

PATER noſter qui es cœlis, ſâctificétur nomẽ tuũ: advéniat regnum tuũ: fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: panem noſtrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita noſtra, ſicut & nos dimíttimus debitóribus noſtris: & ne nos indúcas in tentatiónem; ſed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6. *à* 9. *ad* 14.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum; Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jeſus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen. *Luc.* 1. 28. 42.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ: Et in Jeſũ Chriſtum Filium ejus únicũ, Dominum noſtrũ: qui concéptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex María Vírgine: paſſus ſub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus & ſepultus, deſcéndit ad ínferos; tértiâ

die reſurréxit à mórtuis: aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum ſanctum, ſanctam Eccléſiam Cathólicã, Sanctórum communiónem, remiſſiónẽ peccatórum, carnis reſurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur.

DOmine, lábia mea apéries; ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Pſ. 50. v. 17.*

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ. 69. v. 2.*

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia.

A Septuageſima ad Paſcha, loco Allelúia *dicitur*: Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

In Dominicis totius anni, Invitatorium, Antiphona, & Verſus dicuntur ut infrà; niſi aliter notetur in Proprio.

Invit. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus. 2. *Eſdr. Cap. 8. v. 9.*

PSALMUS 94.

Deus, Dominus eſt noſter, adoratione & obſequio colendus.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo ſalutári noſtro: præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne, & in pſalmis jubilémus ei. (*Repetitur.*) Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus ſuper omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem ſuam, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipſe cónſpicit. (*Repetitur*) Veníte, adorémus.

Quóniam ipſíus eſt mare, & ipſe fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum, plorémus corám Dómino qui fecit nos; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter: nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, ſicut in exacerbatióne ſecúndùm diem tentatiónis in deſérto, ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde: ipſi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiem meam. Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui ſancto: ſicut erat in princípio, & nunc, & ſem-

per, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Veníte, adorémus. *Deinde reſumitur.* Dies ſanctificátus eſt Dómino Deo noſtro; * Veníte, adorémus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Beátus vir.

PSALMUS I.

Beatitudo juſtorum: malorum calamitas.

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, * & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárum, * quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo;

Et fóliū ejus non défluet; * & ómnia quæcúmque fáciet, proſperabúntur.

Non ſic ímpii, non ſic; * ſed tamquam pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

Ideò non reſúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórum;

Quóniam novit Dóminus viam juſtórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui ſancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculórum. Amen.

Sic Glória Patri *cum* ſicut erat *dicitur in fine uniuscujuſque Pſalmi, niſi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir qui in lege Dómini meditábitur die ac nocte; erit tamquam lignum quod plantátum eſt ſecus decúrſus aquárum. *v.* 1. 2. 3.

Ant. t. 1. D. Cum exárſerit.

PSALMUS 2.

Chriſti reſurrectio, & imperium.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínã,* nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cum exárſerit in brevi ira ejus, * beati omnes qui confídunt in eo.

Glória Patri, &c.

Ant. Cùm exárſerit ira ejus, beáti omnes qui confídunt in eo. *v.* 13.

Ant. *t.* 2. *D.* Dicunt.

PSALMUS 3.

Salus in ſe ſperantium Dominus.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ:* Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum; * & exurréxi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine; ſalvum me fac, Deus meus;

Quóniam tu percuſſíſti omnes adversántes mihi ſine cauſa; * dentes peccatórum contrivíſti.

Domini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, &c.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus: tu autem, Dómine, ſuſcéptor meus es. *v.* 3. 4.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine;

℟. Et cuſtodívi legem tuam. *Pſal.* 118. 55.

Poſt Verſiculum cujuslibet Nocturni, dicitur ſecretò:

Pater noſter, &c. *& altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde Abſolutiones, & Benedictiones, ut habentur poſt Pſalterium. Tres Lectiones cum ℟. ℟. ℟. *ut habentur in Proprio de Tempore.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. *t.* 3. *a.* Lætábimur.

PSALMUS 19.

Ut Chriſti preces, & ſacrificium ſuis applicentur, rogat Eccleſia.

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis; * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto,* & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrifícii tui, * & holocáuſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecúndùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiones tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus dexteræ ejus.

Hi in curribus, & hi in

equis: * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt: * nos autem ſurréximus, & erécti ſumus.

Dómine, ſalvum fac Regẽ; * & exáudi nos in die quâ invocavérimus te.

Ant. Lætábimur in ſalutári tuo, & in nómine Dei noſtri magnificábimur. *v.* 6.

Ant. t. 3. *a.* Exaltáre.

PSALMUS 20.

Chriſti, poſt ſuum de inimicis triumphum, gratiarum actio.

DOmine in virtúte tua lætábitur Rex; * & ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter.

Deſidérium cordis ejus tribuíſti ei, * & voluntáte labiórum ejus non fraudáſti eum;

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * poſuíſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te, * & tribuíſti ei longitúdinem diérum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſæculum ſæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo:

Quóniam Rex ſperat in Dómino;* & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanũ ignis in témpore vultûs tui: * Dóminus in ira ſua conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * & ſemen eórum à fíliis hóminum;

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitáverunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre;

Quóniam pones eos dorſum; * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

Ant. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: cantábimus & pſallémus virtútes tuas. *v.* 14.

Ant. t. 4. *A.* Dóminus.

PSALMUS 28.

Ad adorationem & ſacrificium vocantur filii Dei.

AFférte Dómino, fílii Dei, * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit; * Dóminus ſuper aquas multas.

Vox Dómini in virtúte; * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confrigéntis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani;

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

VoxDñi intercidéntis flammã ignis: * vox Dñi concutiéntis deſértum; & commovébit Dñus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénſa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; * Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace.

Ant. Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace. *v.* 11.

℣. Médiâ nocte ſurgébam,

℟. Ad confiténdum tibi, Dómine. *Pſ.* 118. 62.

Pater noſter *ſecretò.. altâ voce*: Et ne nos, &c.

Abſolutio, Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut habentur in Proprio de Tempore.

IN III. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. *a.* Cantet.

PSALMUS 29.

Poſt ſuos in paſſione labores, & ſuam in reſurrectione victoriam, gratias agit Chriſtus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam ſuſcepíſti me;* nec delectáſti inimícos meos ſuper me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & ſanáſti me.

Dómine, eduxíſti ab inférno ánimam meam: * ſalváſti me à deſcendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, ſancti ejus; * & confitémini memóriæ ſanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad véſperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Domine, in voluntáte tua * præſtitíſti decóri meo virtútem.

Avertíſti fáciem tuam à me, * & factus ſum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in ſánguine meo, * dum deſcéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & miſértus eſt mei; * Dóminus factus eſt adjútor meus.

Convertíſti planctũ meum in gáudium mihi, * conſcidíſti ſaccum meum, & circumdedíſti me lætítiâ,

Ut cantet tibi gloria mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Cantet tibi glória mea, & non compúngar: Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi. *v.* 13.

Ant. t. 6. *f.* Cogitátio.

PSALMUS 75.

Exaltandum magnum Chriſti nomen, per quem ſalus Eccleſiæ facta eſt.

NOtus in Judæa Deus; * in Iſrael magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuũ, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpátione tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſíſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium; * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ:

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Cogitátio hóminis confitébitur tibi, & relíquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi. *v.* 11.

Ant. t. 5. *a.* Buccináte.

PSALMUS 80.

Feſta piè celebranda, hinc Dei favor.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum, * pſaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in inſígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terra Ægypti: * linguam quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cóphino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, populus meus, & conteſtábor te; * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndum deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambulâſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Buccináte in Neoménia tubâ, in insigni die ſolemnitátis veſtræ; quia præcéptum in Iſrael eſt. *v.* 4. 5.

℣. In nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta;

℟. Et benedícite Dóminum. *Pſ.* 133. 2.

Pater noſter *ſecretò, ut ſuprà.*

Abſolutio & Benedict. ut habentur poſt Pſalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio de Tempore.

Poſt ultimum Reſponſorium, dicitur, (niſi aliter notetur in Proprio.)

TE Deum laudámus; * te Dóminũ confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, & univérſæ poteſtátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * inceſſábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, Dóminus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra * majeſtátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apoſtolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * ſancta confitétur Eccléſia

Patrẽ * imménſæ majeſtátis:

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Chriſte:

Tu Patris * ſempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum ſuſceptúrus hóminem, * non horruíſti Vírginis úterum;

Tu, devicto mortis acúleo, * aperuíſti credéntibus regna cœlórum;

Tu ad déxteram Dei ſedes, * in glória Patris.

Judex créderis * eſſe ventúrus.

Te ergo, quæſumus, fámulis tuis ſúbveni, * quos pretióſo ſánguine redemíſti.

Ætérnâ fac * cum ſanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuũ, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos uſque in ætérnum.

Per ſíngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuũ in ſæculum, * & in ſæculum ſæculi.

Dignáre, Domine, die iſto * ſine peccáto nos cuſtodíre.

Miſerére noſtrì, Dómine, * miſerére noſtrì.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

In te, Dómine, ſperávi; * non confúndar in ætérnum.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis*. Ad te orábo, Dómine, ℟. Manè exáudies vocem meam. *Pſ.* 5. 4.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculórum. Amen. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, *ut ſuprà notatum eſt*.

Ant. t. 8. *C.* Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Chriſtus in regno ſuo, & ſua lege.

DOminus regnávit, decórem indutus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam:

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris; * mirabilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérũ. Glória Patri, &c.

Ant. Mirábilis in altis Dóminus; teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Introíte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, * in ætérnum miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Introíte portas ejus in confeſſióne, atria ejus in hymnis. *v.* 4.

Ant. t. 3. *E.* Mélior eſt.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primâ deſiderat juſtus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea:* quàm multiplíciter tibi caro mea!

In terra deſérta, & ínvia, & inaquóſa, ſic in ſancto appárui tibi, *ut vidérem virtútem tuã, & glóriam tuã.

Quóniam mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî ſuper ſtratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuíſti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæſit ánima mea poſt te; * me ſuſcépit déxtera tua.

Ipſi verò in vanum quæſiérunt ánimam meam;* introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obſtrúctum eſt os loquéntium iníqua.

Ant. Mélior eſt miſericórdia tua ſuper vitas; lábia mea laudábunt te. *v.* 4.

Ant. t. 5. *a.* Omnia.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino; * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino, * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminũ;* laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Domino.

Benedícite, cete & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedicat Iſrael Dñum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Míſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Hîc non dicitur Glória Patri.

Ant. Omnia ópera Dómini, laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. *v.* 57.

Ant. t. 6. f. Laudáte.

PSALMUS 150.

Deus omni muſicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus. *v.* 2.

Capitulum. Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro, in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. *v.* 148.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.*

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu

inimicórum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus,* in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto;

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Glória Patri, &c.

Ant. & Oratio, ut in Proprio.

Deinde dicitur: ℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo gratias.

Fit commemoratio de ſimplici, ſi occurrat.

In fine cujuſque Officii, ſi aliud non ſequatur, additur ſubmiſſâ voce: ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiã Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Pater noſter. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, *ut ſuprà ad Laudes.*

HYMNUS.

Umbras fugávit æthere,
Sol ortus; & ſolémnia
Sacræ diéi præcipit
Feſtis obíre cántibus.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet;
In ore ſimplex véritas.
In corde regnet cháritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Chriſte! ne, qui círcuit,
Illúdat hoſtis ſénſibus,
Cuſtos tuére pérvigil.

Supérba ne nimis caro
Menti licénter ímperet,
Pugnáre da, da víncere,
Teſtis, Deus, certáminis.

Deo Patri ſit glória
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. t. 7. A. Deus meus.

PSALMUS 117.

Gratias agit Eccleſia quòd ſalutem per Chriſtum ſit conſecuta.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc Iſrael quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aáron, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum; * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego deſpíciã inimícos meos.

Bonum eſt confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Bonum eſt ſperáre in Dómino, * quàm ſperáre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Circumdedérunt me ſicut apes, & exarsérunt ſicut ignis in ſpinis: * & in nómine Dómini quia ultus ſum in eos.

Impúlſus evérſus ſum ut cáderem, * & Dóminus ſuſcépit me.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; * & factus eſt mihi in ſalútem.

Vox exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórũ.

Déxtera Dómin ifecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Caſtigans caſtigávit me Dóminus, * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Domino: * hæc porta Dñi, juſti intrabunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudiſti me, * & factus es mihi in ſalutem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud, * & eſt mirábile in óculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dóminus; * exultémus, & lætémur in ea.

O Dómine, ſalvum me fac, ô Dómine, bene proſperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illúxit nobis.

Conſtitúite diem ſolémnem in condénſis, * uſque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudíſti me, * & factus es mihi in ſalútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 118.

Mandatorum Dei laus.

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui ſcrutántur teſtimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandáſti * mandáta tua cuſtodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ * ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandatis tuis.

Confitébor tibi in directione cordis, * in eo quòd

didici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelínquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiéndo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquiſívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine; * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & cõſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíſcar ſermónes tuos.

Glória Patri, &c.

I. Diviſio Pſalmi 118.

Retríbue ſervo tuo; vivífica me; * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos; * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra; * non abſcóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpáſti ſupérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia teſtimónia tua exquiſívi,

Etenim ſedérunt príncipes, & advérsùm me loquebántur; * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis;

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & conſíliũ meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit paviménto ánima mea; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudíſti me; * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio; * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miſerére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatáſti cor meum.

Glória Patri, &c.

Quando fit Officium de Dominica, dicitur Symbolum ſequens.

Quicúmque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt, ut téneat cathólicam fidem,

Quam niſi quiſque íntegram, inviolatámque ſervárit, * abſque dúbio in ætérnum peribit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in Unitáte venerémur,

Neque confundéntes persónas, * neque ſubſtántiam ſeparántes.

Alia eſt enim persóna Patris, ália Filii, * ália Spíritûs ſancti:

Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs ſancti una eſt Divínitas, * æquális glória, coætérna majéſtas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus ſanctus.

Increátus Pater, increátus Filius, * increátus Spíritus ſanctus.

Imménſus Pater, imménſus Filius, * imménſus Spíritus ſanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus ſanctus;

Et tamen non tres ætérni; * ſed unus ætérnus:

Sicut non tres increáti, nec tres imménſi; * ſed unus increátus, & unus imménſus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Filius, * omnípotens Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres omnipoténtes, * ſed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius: * Deus Spíritus ſanctus.

Et tamen non tres dii; * ſed unus eſt Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus ſanctus:

Et tamen non tres dómini; * ſed unus eſt Dóminus.

Quia ſicut ſingillátim unamquámque persónam, Deum ac Dóminum confitéri chriſtiánâ veritáte compéllimur; * ita tres deos aut dóminos dícere, cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo eſt factus, * nec creátus, nec génitus.

Fílius à Patre ſolo eſt; * non factus, nec creátus, ſed génitus.

Spíritus ſanctus à Patre & Fílio; * non factus, nec creátus, nec génitus, ſed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres; unus Fílius; non tres filii; * unus Spíritus ſanctus, non tres ſpíritus ſancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut poſtérius, nihil majus aut minus; * ſed totæ tres persónæ coætérnæ ſibi ſunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, ſicut jam ſuprà dictum eſt, * & Unitas in Trinitáte, & Trínitas in Unitáte veneránda ſit.

Qui vult ergo ſalvus eſſe, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed neceſſárium eſt ad ætérnam ſalútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini noſtri Jeſu Chriſti fidéliter credat.

Eſt ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Fílius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtántia Pa-

tris ante ſæcula génitus; * & homo eſt ex ſubſtántia Matris in ſæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne ſubsíſtens.

Æquális Patri ſecúndùm divinitátem; * minor Patre ſecúndùm humanitátem.

Qui licèt Deus ſit & homo; * non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.

Unus autem non converſióne divinitátis in carnem; * ſed aſſumptióne humanitátis in Deum.

Unus omnínò, non confuſióne ſubſtántiæ; * ſed unitáte persónæ;

Nam ſicut ánima rationális & caro unus eſt homo; * ita Deus & homo unus eſt Chriſtus:

Qui paſſus eſt pro ſalúte noſtra, deſcéndit ad ínferos, * tértiâ die reſurréxit à mórtuis:

Aſcéndit ad cœlos, ſedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis, * inde ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus advéntum omnes hómines reſúrgere habent cum corpóribus ſuis, * & redditúri ſunt de factis própriis ratiónem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc eſt fides cathólica, * quam niſi quiſque fidéliter firmitérque credíderit, ſalvus eſſe non póterit.

Glória Patri, &c.

Ant. Deus meus es tu, & confitébor tibi, Deus meus es tu, & exaltábo te. *Pſalm.* 117. *v.* 28.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 17.

REgi ſæculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. *breve.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. (*repetitur*) Chriſte, &c. ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris; (*repetitur*) Miſerére nobis. *Matth.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Hebr.* 1. 3.

Aliquando Verſus mutatur, & tunc notatur in Proprio.

Glória Patri, &c. (*reſumitur*) Chriſte, &c.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſalm.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenìre feciſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigátur cogitatiónes & ópera; Per Dñum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs ſancti Deus;

ti Deus, per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini,

℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et abſolutè ſine Oremus:*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, *ſecretò: altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige filios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

O R E M U S.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvator mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcríbat eas. *Hebr.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Canonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlũ & terrã. *Pſ.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſal.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. *Hebr.* 13. 20. 21.

Secretò: Fidelium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

HYMNUS.

O Cháritas, quâ férvidus
Homo Dei fit párticeps!
Et méntium ſis una lux,
Et unus ignis córdium.

Nos nulla labes ínquinet;
Nos nulla cæcet vánitas;
Diémque ſacram díligens,
Te dante, fervor ímpleat.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. t. 1. *F.* Portio.

2. *Diviſio Pſalmi* 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intelléctũ, & ſcrutábor legem tuã, * & cuſtódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclína cor meũ in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem; * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce cõcupívi mandáta tua; * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine, * ſalutáre tuum ſecúndum elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne aúferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi; * & exercébar in juſtificatiónibus tuis. Glória Patri, &c.

3. *Diviſio Pſalmi* 118.

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant uſquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à ſæculo, Dómine; * & conſolátus ſum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſ-

tificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui noćte nóminis tui, Dómine, * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi; * quia juſtificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, Cuſtodíre legem tuam.

Deprecátus ſum fáciem tuã in toto corde meo; * miſerére mei ſecúndùm elóquium tuũ.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in teſtimónia tua.

Parátus ſum, & non ſum turbátus, * ut cuſtódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi ſunt me; * & legem tuã non ſum oblítus.

Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi, * ſuper judícia juſtificatiónis tuæ.

Párticeps ego ſum ómniũ timéntium te, * & cuſtodiéntium mandáta tua.

Miſericórdiâ tuâ, Dómine, plena eſt terra; * juſtificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, &c.

4. *Diviſio Pſalmi* 118.

BOnitátem fecíſti cum ſervo tuo, Dómine, * ſecúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & diſciplínam, & ſciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priuſquàm humiliárer ego delíqui; * proptérea elóquium tuum cuſtodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me juſtificatiónes tuas.

Multiplicáta eſt ſuper me iníquitas ſuperbórum; * ego autem in toto corde meo ſcrutábor mandáta tua.

Coagulátum eſt ſicut lac cor eorum; * ego verò legem tuam meditátus ſum.

Bonum mihi quia humiliáſti me, * ut diſcam juſtificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * ſuper míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me; * da mihi intelléctum, & diſcam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliáſti me.

Fiat miſericórdia tua ut conſolétur me, * ſecúndùm elóquium tuum ſervo tuo.

Véniant mihi miſeratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea eſt.

Confundántur ſupérbi, quia injuſtè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt teſtimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, * ut non confúndar. Glória, &c.

Ant. Pórtio mea, Dómine, dixi, Cuſtodíre legẽtuã. *v.* 57.

Capitulum Hebr. 4. 9. 10.

FRatres, Relínquitur ſabbatíſmus pópulo Dei: qui enim ingréſſus eſt in ré-

quiem ejus, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In teſtimónia tua: *Repetitur.* Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me: (*Rep.*) In teſtimónia tua. Glória Patri, &c. (*Reſum.*) Inclína. *Pſ.* 118. 36. 37.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum;

℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAm ſolis áureum jubar
Pleno corúſcat lúmine:
Tu vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refúlge ſénſibus.

O Dux ſalútis & via!
O vita! quos doces, rege:
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perénnis gaúdia.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. 1. 3. *E.* Adjuva me.

5. *Diviſio Pſalmi* 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes; Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificationes tuas non ſum oblitus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * Quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua

Omnia mandáta tua véritas: * iníque perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulo minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam omnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periíſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquiſívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Glória &c.

6. *Diviſio Pſalmi* 118.

QUómodo diléxi legem tuam, Dómine, * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos pru-

déntem me fecíſti mandato tuo; * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuíſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mãdátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnẽ viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatores láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória, &c.

7. Diviſio Pſalmi 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declinate à me, malígni; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndum elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Spreviſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiã; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum; * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine; * diſſipavérunt legem tuam.

quiem ejus, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In teſtimónia tua: *Repetitur.* Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me: (*Rep.*) In teſtimónia tua. Glória Patri, &c. (*Reſum.*) Inclína. *Pſ.* 118. 36. 37.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum;

℟. Quia ipſam vólui. *Pſ.* 118. 35.

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Jam ſolis áureum jubar
Pleno corúſcat lúmine:
Tu vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refúlge ſénſibus.

O Dux ſalútis & via!
O vita! quos doces, rege:
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perénnis gaúdia.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. 1. 3. *E.* Adjuva me.

5. *Diviſio Pſalmi* 118.

Defécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes; Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruína; * juſtificationes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * Quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulationes; * ſed non ut lex tua

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulo minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periiſſem in humilitáte mea.

In æternum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificáſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquiſívi.

Me expectaverunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Glória &c.

6. *Diviſio Pſalmi* 118.

Quómodo diléxi legem tuam, Dómine, * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos pru-

déntem me fecíſti mandato tuo; * quia in ætérnum mihi eſt.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuíſti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mãdátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnẽ viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine; * vivífica me ſecúndùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis ſemper, * & legem tuam non ſum oblítus.

Poſuérunt peccatores láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi teſtimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei ſunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas juſtificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória, &c.

7. *Diviſio Pſalmi* 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & ſuſcéptor meus es tu; * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Declinate à me, malígni; * & ſcrutábor mandáta Dei mei.

Súſcipe me ſecúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & ſalvus ero; * & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper.

Sprevíſti omnes diſcedéntes à judíciis tuis; * quia injúſta cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ídeò diléxi teſtimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & juſtítiã; * non tradas me calumniántibus me.

Súſcipe ſervum tuum in bonum; * non calumniéntur me ſupérbi.

Oculi mei defecérunt in ſalutáre tuum; * & in elóquium juſtítiæ tuæ.

Fac cum ſervo tuo ſecúndùm miſericórdiam tuam; * & juſtificatiónes tuas doce me.

Servus tuus ſum ego; * da mihi intelléctum, ut ſciam teſtimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine; * diſſipavérunt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua, * ſuper aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar; * omnē viam iníquam ódio hábui.

Glória, &c.

Ant. Adjuva me, & ſalvus ero; & meditábor in juſtificatiónibus tuis ſemper. *v.* 117.

Capitulum. Epheſ. 5. 18. 19.

Fratres, Implémini Spíritu ſancto, loquéntes vobiſmetípſis in pſalmis, & hymnis, & cánticis ſpirituálibus, cantántes & pſalléntes in córdibus veſtris Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. (*Repet.*) Confitébor. ℣. In concílio juſtórū & congregatióne. (*Rep.*) In toto. Glória. *Reſumitur* Confitébor. *Pſalm.* 110. 1.

℣. Confitébor tibi in Eccléſia magna; ℟. In pópulo gravi laudábo te. *Pſ.* 34. 18.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

Recédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus ſupérnam júgiter
Suſpíret ardor pátriam.

Dic, Deus, quâ præcipis
Te diligámus plénius;
Nec ora ceſſent débitas
Grates canéndo ſólvere.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. 1. 4. *E.* Aſpice.

8. *Diviſio Pſalmi* 118.

Mirabília teſtimónia tua; * ídeò ſcrutáta eſt ea ánima mea.

Declarátio ſermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi ſpíritum; * quia mandáta tua deſiderábam.

Aſpice in me, & miſerére meî, * ſecúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Greſſus meos dírige ſecúndùm elóquium tuum, * & non dominétur meî omnis injuſtítia.

Rédime me à calúmniis hóminum; * ut cuſtódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum, * & doce me juſtificatiónes tuas.

Exítus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non cuſtodiérunt legem tuam.

Juſtus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandáſti juſtítiam teſtimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéſcere me fecit zelus meus; * quia oblíti ſunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter; * & ſervus tuus diléxit illud.

Adoleſcéntulus ſum ego, & contémptus; * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Juſtítia tua, juſtítia in æ-

térnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angúſtia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea eſt.

Æquitas teſtimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam. Glória, &c.

9. *Diviſio Pſalmi* 118.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me, Dómine; * juſtificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, ſalvum me fac, * ut cuſtódiā mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua ſuperſperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi ſecúndùm miſericórdiam tuam, Dómine, * & ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt perſequéntes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti ſunt.

Propè es tu, Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de teſtimóniis tuis; * quia in ætérnum fundáſti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine, * ſecúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui perſequúntur me, & tribulant me; * à teſtimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in miſericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia juſtítiæ tuæ. Glória, &c.

10. *Diviſio Pſalmi* 118.

PRíncipes perſecúti ſunt me gratis; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non eſt illis ſcándalum.

Expectábam ſalutáre tuū, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conſpéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuū da mihi intelléctum.

Intret poſtulátio mea in

conſpéctu tuo : * ſecúndùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me juſtificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut ſalvet me; * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi ſalutáre tuum, Dómine; * & lex tua meditátio mea eſt.

Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi ſicut ovis quæ périit; * quære ſervum tuum, quia mandáta tua non ſum oblítus. Glória, &c.

Ant. Aſpice in me, & miſerére mei, & non dominétur mei omnis injuſtitia. *v.* 132. 133.

Capitulum. Hebr. 13. 15.

PEr Jeſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtiū nómini ejus.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Cantábiles mihi erant * Juſtificatiónes tuæ. (*Repetitur*) Cantabiles, ℣. In loco peregrinatiónis meæ, (*Repet.*) Juſtificatiónes tuæ. Glória (*Reſum.*) Cantábiles *Pſ.* 118. 54.

℣. Sépties in die laudem dixi tibi, ℟. Super judícia juſtítiæ tuæ. *Pſ.* 118. 164.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutóriū m.

Ant. t. 1. *D.* Dixit Dñs.

PSALMUS 109.

Chriſti generatio, ſacerdotium, & poteſtas.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllū pedū tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacerdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multorū.

De torrente in via bibet; * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, &c.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis. *v.* 1.

Ant. t. 4. *D.* Fidélia.

PSALMUS 110.

Laus Deo qui Eccleſiæ tot beneficia contulit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dñi, * exquiſíta in omnes volūtátes ejus.

Confeſſio & magnificéntia opus ejus, * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum miséricors & miſerátor Dóminus: * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtaménti ſui: * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo,

Ut det illis hæreditátem géntiū. * Opera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſæculum ſæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo, * mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in ſæculum ſæculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſæculum ſæculi. *v.* 8.

Ant. t. 5. Qui timet.

PSALMUS III.

Juſto proſperantur omnia, impio tabeſcente.

BEátus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis; * miſéricors, & miſerátor, & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, diſpónet ſermónes ſuos in judício; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit juſtus; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dño, confirmátum eſt cor ejus; * non commovebitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéribus; juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi; * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabéſcet; * deſidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis. *v.* 1.

Ant. t. 7. *C.* Sit nomen Dómini.

PSALMUS II2.

Deus ſuper omnia excelſus, & exaltans humiles.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomē Dñi.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, *

Dixit Deus: Fiat firmamentum. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Creator Deus in ſua omnipotentia adorandus: hinc timor Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea.

Deus, in adjutórium, &c. *ut in Dominicâ, & ſic in cæteris Feriis.*

Invitator. Unus eſt Altíſſimus, Creátor omnípotens;* Veníte, adorémus. *Eccli.* 1. 8. *Pſalm.* 94. Veníte.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, novem Pſalmi poſiti ad ſingulas Ferias, dicuntur per modum unius Nocturni. In Officiis autem novem Lectionum, iidem Pſalmi dicuntur ſub novem Antiphonis de Proprio vel de Communi, & Lectionibus poſt unumquodque Nocturnum dicendis.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Quàm admirábile.

PSALMUS 8.

In operibus ſuis mirabilis Dominus.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem propter inimícos tuos; * ut déſtruas inimícum & ultorẽ.

Quóniã vidébo cœlos tuos, ópera digitórũ tuórũ; * lunã & ſtellas, quæ tu fundáſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quoniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minus ab Angelis, gloriâ & honóre coronáſti eum, * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi.

Volucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Domine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 18.

Creaturæ omnes omnipotentiam Creatoris prædicant.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diei erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiã.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eorum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquã ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſti-

mónium Dómini fidele, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans oculos.

Timor Domini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Domini vera, juſtificáta in ſemetipſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretioſum multum; * & dulciora ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 32.

Creatorem ſuum timeat omnis terra: ipſe benignè ſaluti juſtorum invigilat.

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara; * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene pſállite ei in vociferatione;

Quia rectum eſt verbum Domini; * & omnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judíciū: * miſericordiâ Domini plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt; * & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris; * ponens in theſaúris abyſſos.

Tímeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandavit, & creáta ſunt.

Dominus díſſipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consilia príncipum.

Consílium autem Domini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generationem.

Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; * pópulus quē elégit in hæreditátē ſibi.

De cœlo reſpéxit Dóminus; * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo ſuo * reſpexit ſuper omnes qui hábitant terram;

Qui finxit ſingillátim corda eorum; * qui intélligit ómnia opera eorum.

Non ſalvátur rex per multam virtútem; * & gigas non ſalvábitur in multitudine virtútis ſuæ.

Fallax equus ad ſalútem; * in abundántia autem virtú-

tis ſuæ non ſalvábitur.

Ecce óculi Domini ſuper metuéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima noſtra ſuſtinet Dóminum; * quóniam adjútor & protéctor noſter eſt;

Quia in eo lætábitur cor noſtrũ, * & in nómine ſancto ejus ſperávimus.

Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, * quemádmodum ſperávimus in te.

Ant. Quàm admirábile eſt nomen tuum, Domine, in univérſa terra! *Pſ.* 8. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. Annunti buat.

PSALMUS 49.

Dominium Dei in omnia: non ex cæſis victimis, ſed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus eſt; * & vocávit terram à ſolis ortu uſque ad occáſum.

Ex Sion ſpécies decóris ejus. * Deus maniféſtè véniet: Deus noſter, & non ſilébit.

Ignis in conſpéctu ejus exardéſcet; * & in circúitu ejus tempéſtas válida.

Advocábit cœlum deſúrſum, & terram, * diſcérnere pópulum ſuum.

Congregáte illi ſanctos ejus, * qui ordinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia.

Et ãnuntiabũt cœli juſtítiã ejus; * quoniã Deus judex eſt.

Audi, pópulus meus, & loquar; Iſraël, & teſtificábor tibi; * Deus, Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrifíciis tuis árguam te; * holocaúſta autem tua in conſpéctu meo ſunt ſemper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ ſunt omnes feræ ſylvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulchritúdo agri mecum eſt.

Si eſuríero, non dicam tibi; * meus eſt enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut ſanguinem hircorum potábo?

Immola Deo ſacrifícium laudis; * & redde Altíſſimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatori autem dixit Deus: * Quare tu enárras juſtítias meas, & aſſúmis teſtaméntum meum per os tuũ?

Tu verò odíſti diſciplínam, * & projeciſti ſermónes meos retrórsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portionem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebaris, & adversùs

filium matris tuæ ponébas ſcándalum: * hæc fecíſti, & tácui.

Exiſtimáſti, iníque, quòd ero tuî ſimilis; * árguam te, & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui oblivíſcímini Deum; * nequándo rápiat, & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * & illìc iter, quo oſténdã illi ſalutáre Dei.

PSALMUS 52.

Deum non eſſe, fruſtra ſibi dicit impius, ut peccet; quondam ulciſcitur Deus.

DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in iniquitátibus: * non eſt qui fáciat bonum.

Deus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt; * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Nonne ſcient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérũt; * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus diſſipávit oſſa eórum qui homínibus placent: * confúſi ſunt, quóniam Deus ſprevit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

PSALMUS 74.

Deus eſt mundi rector, & futurus judex: hinc quantùm metuendus.

COnfitébimur tibi, Deus, * confitébimur, & invocábimus nomen tuum: narrábimus mirabília tua.

Cùm accépero tempus, * ego juſtítias judicábo.

Liquefácta eſt terra, & omnes qui hábitant in ea; * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu veſtrum, * nolíte loqui advérsùs Deum iniquitátem;

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, * neque à deſértis móntibus.

Quóniam Deus judex eſt, * hunc humíliat, & hunc exáltat:

Quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto; * & inclinávit ex hoc in hoc;

Verúmtamen fæx ejus non eſt exinaníta; * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in ſæculum; * cantabo Deo Jacob:

Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabúntur córnua juſti.

Ant. Annuntiabunt cœli juſtítiam ejus; quóniam

Deus judex eſt. *Pſ.* 49. 6.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1.6. Memor ero.

PSALMUS 76.

Conſolatio ſpiritalis ex operibus Dei ſumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non ſum deceptus.

Rénuit conſolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus ſum, & exercitátus ſum, & defécit ſpíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus ſum, & non ſum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus ſum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & ſcopébam ſpíritū meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non apponet ut complacítior ſit adhuc?

Aut in finem miſericórdiam ſuam abſcíndet, * à generatióne in generatiónē?

Aut oblivíſcétur miſeréri Deus? * aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas?

Et dixi: Nunc cœpi; * hæc mutátio déxteræ Excélſi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercebor.

Deus in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtutem tuam; * redemiſti in bráchio tuo pópulum tuū, fílios Jacob, & Joſeph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ ſunt ábyſſi.

Multitúdo ſónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim ſagíttæ tuæ tránſeunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; * commóta eſt, & contrémuit terra.

In mari via tua, & ſémitæ tuæ in aquis multis; * & veſtígia tua non cognoſcéntur.

Deduxíſti ſicut oves pópulum tuum; * in manu Móyſi & Aaron.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelſior, & eorum judex Dominus

DEus ſtetit in Synagoga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Uſquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatorum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & paúperem juſtificáte.

Erípite paúperē, * & egénū de manu peccatóris liberáte.

Neſciérunt,

Neſciérunt, neque intel-lexérunt, in ténebris ámbu-lant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii eſtis, * & fílii Excélſi omnes.

Vos autem ſicut hómines moriémini, * & ſicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica ter-ram; * quóniam tu hæredi-tábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 96.

Sculptilium vanitas: ſoli Deo laus, quia ſolus Dominus.

DOminus regnávit, exúl-tet terra, * læténtur ín-ſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcé-det, * & inflammábit in cir-cúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus or-bi terræ: * vidit, & commó-ta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxé-runt à fácie Dómini; * à fá-cie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſ-títiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes An-geli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt fíliæ Ju-dæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus al-tíſſimus ſuper omnem ter-ram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtodit Dó-minus ánimas ſanctórum ſuó-rum; de manu peccatóris li-berábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rec-tis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómi-no, * & confitémini memó-riæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Memor ero ab inítio mirabílium tuórum: & me-ditábor in ómnibus opéribus tuis. *Pſ.* 76. 12. 13.

℣. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter?

℟. Tu es Deus qui facis mirabília. *Pſ.* 76. 14. 15.

Pater noſter, *ſecretò*:

℣. Et ne nos indúcas, &c.

Abſol. Benedict. ut poſt Pſal-terium. Lectiones & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio: & ſic in cæte-ris Feriis.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* In matutínis, Dómine, meditábor in te;

℟. Quia fuiſti adjútor meus. *Pſ.* 62. 7. 8.

℣. Deus, in adjutórium, &c. *Et ſic in omnibus Feriis.*

Ant. t. 4. *B.* Quàm ma-gnificáta ſunt.

PSALMUS 91.

Collaudandus Deus, quia in operibus magnificus, & in ju-diciis juſtus judex.

BOnum eſt confitéri Dó-mino, * & pſállere nó-mini tuo, Altíſſime;

Ad annuntiándũ manè mi-ſericórdiam tuam, * & ve-

ritátem tuam per noctem,

In decachórdo pſaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectáſti me, Dómine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ:

Vir inſípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres ſicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operàntur iniquitátem, ut intéreant in ſæculum ſæculi.:

Tu autem Altíſſimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi: * & benè patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

Ant. Quàm magnificáta ſunt opera tua, Dómine! nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ. *v.* 6.

Ant. t. 3. *E.* Dómini.

PSALMUS 23.

Dei in omnia dominium, & regnum.

DOmini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis eſt iſte rex glóriæ? * Dñus virtútũ ipſe eſt rex glóriæ.

Ant. Dómini eſt terra, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & univerſi qui hábitant in eo. *v.* 1.

Ant. t. 7. *C.* Dóminus.

PSALMUS 46.

Deus omnis terræ Dominus: ipſi pſallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus; * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excélſus, terríbilis; * Rex magnus ſuper omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes ſub pédibus noſtris.

Elegit nobis hæreditátem ſuam, * ſpéciem Jacob quam diléxit.

Aſcéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo noſtro, psállite; * psállite Regi noſtro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite ſapiénter.

Regnábit Deus ſuper gentes: * Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Príncipes populórum congregáti ſunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti ſunt.

Ant. Dóminus excélſus, terríbilis; Rex magnus ſuper omnem terram. *v.* 3.

Ant. t. 5. Non eſt ſanctus.

CANTICUM ANNÆ. 1. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino; * & exaltátum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos; * quia lætáta ſum in ſalutári tuo.

Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus; neque enim eſt àlius extra te; * & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolíte multiplicáre loqui ſublímia, * gloriántes.

Recédant vétera de ore veſtro; quia Deus ſcientiárum Dóminus eſt; * & ipſi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium ſuperátus eſt, * & infírmi accíncti ſunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus ſe locavérunt; * & famélici ſaturáti ſunt,

Donec ſtérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta eſt.

Dominus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat; * humíliat & ſúblevat.

Súſcitat de púlvere egénum, * & de ſtércore élevat paúperem,

Ut ſedeat cum princípibus, * & ſóliũ glóriæ téneat.

Dómini enim ſunt cárdines terræ, * & póſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſanctórum ſuórum ſervábit, & ímpii in ténebris conticéſcent; * quia non in fortitúdine ſuâ roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & ſuper ipſos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium

regi ſuo, & ſublimábit cornu Chriſti ſui. Glória.

In Feſtis dicitur Canticum ſequens. 1. *Paralip.* 29. 10.

Ant. Non eſt ſanctus, ut eſt Dóminus : non eſt fortis ſicut Deus noſter. 1. *Reg.* 2. 2.

BEnedíctus es, Dómine, Deus Iſrael patris noſtri * ab ætérno in ætérnum.

Tua eſt, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus:

Cuncta enim quæ in cœlo ſunt, & in terra, * tua ſunt:

Tuum, Dómine, regnum; * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua eſt glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noſter, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum. Glória.

Ant. t. 1. *B.* Senes cum junióribus.

PSALMUS 148.

Ad laudandum Creatorem ſuum, invitantur omnes creaturæ.

LAudáte Dóminum, de cœlis; * laudáte eum in excélſis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus;

Laudáte eum, ſol & luna; * laudáte eum, omnes ſtellæ & lumen;

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Dómini;

Quia ipſe dixit, & facta ſunt; * ipſe mandávit & creáta ſunt.

Státuit ea in ætérnum, & in ſæculum ſæculi : * præcéptum póſuit & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyſſi;

Ignis, grando, nix, glácies, ſpíritus procellárum, * quæ faciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béſtiæ, & univérſa pécora, * ſerpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes, & vírgines, ſenes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus, * fíliis Iſrael, pópulo appropinquánti ſibi.

Ant. Senes cum junióribus laudent nomen Dómini; quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *v.* 12. 13.

Capitulum. Judith. 16. 16. 17.

DOmine, magnus es tu, & præclárus in virtúte

tua, & quem ſuperáre nemo poteſt; tibi ſérviat omnis creatúra; quia dixíſti, & facta ſunt: miſíſti ſpíritum tuum, & creáta ſunt. ℟. Deo grátias.

℣. Timor Dómini ſanctus, ℟. Pérmanens in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 18. 10.

Ad Bened. Ant. 3. *A.* De manu.

Canticum Zachariæ. Luc, 1. Benedíctus Dóminus, &c.

Ant. De manu inimicórum noſtrórum liberáti, ſerviámus illi. *v.* 74.

In Feriis Adventûs & Quadrageſimæ, & in Vigiliis, Preces dicuntur flexis genibus, ut infra.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter *ſecreto*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî; ℟. Sana ánimam meam; quia peccávi tibi. *Pſal.* 40. 5.

℣. Convertere, Dómine, úſquequò; ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Dómine, ſalvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Pſ.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℟. Quam poſſedíſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

℣. Orémus pro frátribus noſtris abſéntibus: ℟. Miríſica miſericórdias tuas, qui ſalvos facis ſperántes in te. *Pſ.* 16. 7.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant juſtítiam ejus. *Matth.* 4. 16. *Mich.* 7. 9.

Deinde dicitur Pſalmus De profúndis: *& in fine* Glória Patri: *in Veſperis illius loco, dicitur*: Miſerére, *poſt Pſalmum dicitur*:

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et oſténde fáciem tuam, & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuũ. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

. Dicto, Benedicámus, *fiunt*

commemorationes ſanctorum, ſi quæ faciendæ ſunt. Deinde ſuffragia, ut infra.

De sancta Cruce.

Ant. Peccáta noſtra Chriſtus pértulit in corpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui, juſtítiæ vivámus. 1. *Petri.* 2. 24.

℣. Ipſe rédimet Iſrael,

℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129. 8.

Oremus.

Auxiliáre, Dómine, pópulo tuo; & quos per lignum ſanctæ crucis redímere dignátus es, perpétuis defende ſubsídiis; Per Chriſtum. ℟. Amen.

De sancta Maria.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, María, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

℣. Elégit eam Dóminus,

℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oremus.

Concéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitate gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præsénti liberári triſtítiâ, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Chriſtum. ℟. Amen.

De Patrono vel Titulari Ecclesiæ.

Idque ſecundùm Rubricas.

In Cathedrali de sancto Stephano.

Stéphanus plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia, & ſigna magna in pópulo. *Act.* 6. 8.

℣. Magna eſt glória ejus,

℟. In ſalutári tuo. *Pſ.* 20. 6.

Oremus.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicáſti; tríbue, quæſumus, ut pro nobis intercéſſor exiſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. ℟. Amen.

In Ecclesia Cathedrali de Sanctis Leucorum Præsulibus. &c.

Ant. Sit memória illórum in benedictióne, & oſſa eórum púllulent de loco ſuo; & nomen eórum permáneat in ætérnum, pérmanens ad fílios illórum ſanctórum virórũ glória. *Eccli.* 46. 14. 15.

℣. Juſti exúltent in conſpéctu Dei; ℟. Et delecténtur in lætítia. *Pſ.* 67. 4.

Oremus.

Propitiáre, quæſumus, Dómine, fámulis tuis, ut ſanctórum noſtrórum Antíſtitum, & eórum quorum relíquiæ in hac Eccléſia tua quiéſcunt, atque ómnium ſanctórum méritis glorióſis & interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur advérſis; Per Chriſtum.

℟. Amen

Per Diœcesim de omnibus sanctis.

Ant. Réddidit Deus juſtis

mercédem labórum ſuórum; & dedúxit illos in via mirábili. *Sap.* 10. 17.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti; ℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Pſ.* 31. 11.

ORÉMUS.

TRíbue, quæſumus, Dómine, omnes ſanctos tuos júgiter oráre pro nobis; & eos ſemper cleménter dignéris audíre; Per Chriſtum.

℟. Amen.

DE PACE.

Ant. Deus qui fecit nobíſcum ſecúndum ſuam miſericórdiam, det nobis fieri pacem in diébus noſtris. *Eccli.* 50. 24. 25.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Pſ.* 121. 7.

ORÉMUS.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera; da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla; Per Dóminum... qui tecum vivit, &c. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Benedicámus, *&c.* Fidélium, *&c.*

Ab Epiphania uſque ad Feriam quartam Cinerum, omiſſâ Commemoratione de Cruce, prima erit de Beata, ut ſequitur.

Ant. Péperit María Fílium ſuum primogénitum; & vocávit nomen ejus Jeſum. *Matt.* 1. 25.

℣. Homo natus eſt in ea; ℟. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ.* 86. 5.

ORÉMUS.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humano géneri præmia præſtitíſti; tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. ℟. Amen.

A Feria quarta Cinerum incluſivè; & per Quadrageſimam, loco Commemorationis de Cruce, prima erit:

Ant. Vivo ego, dicit Dóminus Deus; Nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur à via ſua, & vivat. *Ezech.* 33. 11.

℣. Numquid in ætérnum iraſcéris, Dómine? ℟. Aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem? *Pſ.* 84. 6.

ORÉMUS.

DEus, qui non mortem, ſed pœniténtiam deſíderas peccatórum, pópulum tuum, quæſumus, ad te convérte propítius: ut dum tibi devótus extíterit, iracúndiæ tuæ ab eo flagélla amóveas; Per Chriſtum. ℟. Amen.

Aliæ Commemorationes ut ſuprà.

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Et ſic in cæteris Horis & Feriis.

HYMNUS.

MUndo renáſcens ſol, novo
Terris recúrrit lúmine:
O Chriſte, lux & véritas!
Noſtris oríre ſémitis.

Tu, ſpes ſalútis, áctuum
Sis finis, & primórdium:
Te proſequámur áuſpice,
Quæ, te favénte, cœpimus.

Ne lege membris ínſitâ
Victus gravétur ſpíritus,
Tuo ſalúbri pércitas
Carnes timóre comprime.

Curas geret dum plúrimas
Foris miníſtrans déxtera;
Cor intus ad te pérvigil
Suſpíret ætérnas domos.

Orbem voléndo qui creas,
Tibi, Pater cum Fílio
Sancto ſimul cum Spíritu,
Sit ſumma laus in ſæcula.

Ant. t. 1. F. Narrábo.

PSALMUS 9.

Mirabilis in operibus Deus: impiorum everſor; & defenſor pauperum.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * pſallam nómini tuo, Altíſſime,

In converténdo inimícum meum retrórſum: * infirmabúntur, & peribunt à fácie tua;

Quoniam fecíſti judícium meum, & cauſam meam; * ſedíſti ſuper thrónum, qui júdicas juſtítiam.

Increpáſti gentes, & périit ímpius: nomen eórum deléſti in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum deſtruxíſti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dominus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit populos in juſtítia.

Et factus eſt Dominus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſpérent in te, qui novérunt nomen tuum; * quoniam non dereliquíſti quæréntes te, Domine.

Pſallite Domino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus;

Quóniam requírens ſánguinem eórum recordátus eſt: * non eſt oblítus clamórem pauperum

Gloria Patri, &c.

DIVISIO PSALMI 9.

MIſerere meî, Dómine; * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudationes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in ſalutári tuo: * infíxæ ſunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo iſto quem ab-

ſcondérunt, * comprehénſus eſt pes eórum.

Cognoſcetur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum ſuárum comprehénſus eſt peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviſcúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis? * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conſpéctu tuo.

Conſtítue, Dómine, legiſlatórem ſuper eos; * ut ſciant gentes quóniā hómines ſunt.

Glória Patri, &c.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

UT quid, Dómine, receſſíſti longè, * déſpicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum ſupérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant;

Quóniam laudátur peccátor in deſidériis ánimæ ſuæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminū peccátor, * ſecúndùm multitúdinem iræ ſuæ non quæret.

Non eſt Deus in conſpéctu ejus; * inquinátæ ſunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum ſuórum dominábitur.

Dixit enim in corde ſuo: * Non movébor à generatióne in generatiónem ſinè malo.

Cujus maledictióne os plenum eſt, & amaritúdine, & dolo: * ſub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt: * inſidiátur in abſcóndito, quaſi leo in ſpelúnca ſua.

Inſidiátur ut rápiat paúperem; * rápere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo ſuo humiliábit eum; * inclinábit ſe, & cadet, cùm dominátus fuerit paúperum.

Dixit enim in corde ſuo; Oblítus eſt Deus; * avértit fáciem ſuam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * ne obliviſcáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde ſuo: Non requíret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus eſt pauper; * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & malígni; * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Deſidérium paúperū exaudívit Dóminus; * præpara-

tiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre ſe homo ſuper terram.

Ant. Narrábo ómnia mirabília tua; pſallam nómini tuo, Altíſſime. *v.* 3. 2.

In Feſtis dicitur Capitulum 1. *Tim.* 1. 17.

Regi ſæculórum immortáli, invisíbili, ſoli Deo honor & glória in ſæcula ſæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

In feriali Officio Capitulum. Iſa 45. 11. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus ſanctus Iſrael; Ego feci terram; & hóminem ſuper eam creávi ego: manus meæ tetendérunt cœlos, & omni milítiæ eórum mandávi: ego ſuſcitávi eum ad juſtítiam, & omnes vias ejus dírigam. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Chriſte Fili Dei vivi, * Miſerére nobis (*Repetitur*) Chriſte, ℣. Qui ſedes ad déxteram Patris; (*Repetitur*) Miſerére. Glória. (*Reſumitur*) Chriſte. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Heb.* 1. 3. *Quando mutatur Verſus, id notatur in Proprio.*

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſalm.* 43. 26.

PRECES.

In Feriali Officio, in Simplici, in Semiduplici dicuntur Preces ad Primam: Quando autem Preces dictæ ſunt ad Laudes, ſequentes dicuntur flexis genibus:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum. *Secreto*:

℣. Carnis reſurrectiónem:

℟. Vitam ætérnã. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87. 14.

℣. Repleátur os meum laude, ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuã à peccátis meis, ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me. *Pſ.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confírma me. *Pſalm.* 50. 14.

Adjutórium, &c. *ut infra.*

Quando Preces dicuntur flexis genibus adduntur ſequentes ℣. ℣.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58. 2.

℣. Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi, ℟: Ut reddam vota mea de die in diem. *Pſ.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus ſalvátor meus. *Pſ.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſ.* 69. 2.

℣. Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt. *Pſ.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus. *Pſ.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivíſci omnes retributiónes ejus. *Pſ.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, ℟ Qui ſanat omnes infirmitátes tuas. *Pſ.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, ℟. Qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus. *Pſ.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis deſidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Pſ.* 102. 5.

℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dñi, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſ.* 123. 8.

Hebdomadarius facit confeſſionem, mediocri voce dicens:

Confíteor Deo omnipoténti beátæ Maríæ ſemper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptíſtæ, ſanctis Apóſtolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis fratres;) quia peccavi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam ſemper Vírginem, beátum Michaelem Archángelum, beátum Joánnē Baptiſtam, ſanctos Apóſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos (& vos fratres,) oráre pro me ad Dóminum Deum noſtrum.

Chorus dicit:

Miſereátur tuî omnípotens Deus; & dimiſſis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius reſpondet.* Amen:

Deinde Chorus facit confeſſionem dicens: Confíteor Deo, &c. *& ubi dictum eſt,* Vobis fratres, *dicit* Tibi pater, & ubi dictum eſt vos fratres dicit: te pater.

Facta confeſſione à Choro. Hebdomadarius dicit:

Miſereátur veſtrî omnípotens Deus; & dimíſſis peccátis veſtris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Indulgéntiam, abſolutiónem & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem Hebdomadarius dicit:

℣. Exaúdi nos, Deus ſalutáris noſter, ℟. Spes óm-

nium finium terræ. *Pſ. 64. 6.*

℣. Miſerére noſtrî, Dómine, ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122. 3.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos; ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſalm.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

ORÉMUS.

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecíſti, tuâ nos hódie ſalva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátũ, ſed ſemper ad tuam juſtítiam faciéndam noſtra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, ℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ.* 115. 15. *Et abſolutè ſinè Oremus.*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórũ. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meũ inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter, *ſecretò, altà voce*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réſpice in ſervos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

ORÉMUS.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Poſtea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcríbat eas. *Heb.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Canonis, ut habetur in Proprio de Tempore, pro ſingulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, miſerére noſtrî. ℟. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Pſalm.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſalm.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. *Heb.* 13. 20. 21.

Secretó: Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

AUctor ſacrórum múnerum,
Precámur, alme Spíritus,
Si quando curæ díſtrahunt,
Nuſquã malis nos ímplicent.

Denſis in umbris náſcimur;
Cæcos ab ortu ſúſcipe:
Tuámque funde grátiam
Noſtro medélam vúlneri.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes ſacris
Lucent, & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. 1. 3. *D.* Quis Deus.

PSALMUS 17.

Quanta prodigia operatus eſt Deus, cum Chriſto & Eccleſiæ de inimicis ſuis victoriam dedit.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dñus firmaméntũ meũ, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & ſperábo in eum.

Protéctor meus, & cornu ſalútis meæ, * & ſuſcéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis ſalvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis cõturbavéruntme.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo ſancto ſuo vocem meam; * & clamor meus in conſpéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta eſt & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta ſunt, & cõmota ſunt, * quóniam irátus eſt eis.

Aſcéndit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exárſit: * carbónes ſuccénſi ſunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & deſcéndit: * & calígo ſub pédibus ejus.

Et aſcéndit ſuper Chérubim, & volávit * volávit ſuper pennas ventórum.

Et póſuit ténebras latíbulum ſuum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebróſa aqua in núbibus äëris.

Præ fulgóre in conſpéctu ejus nubes tranſiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus,& Altíſſimus dedit vocem ſuam: * grando & carbónes ignis.

Et miſit ſagíttas ſuas, & diſſipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta ſunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine ,* ab inſpiratióne ſpíritûs iræ tuæ.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 17.

MIſit de ſummo (Dóminus,) & accépit me; * & aſſúmpſit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíſſimis , & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti ſunt ſuper me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus eſt Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * ſalvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndùm juſtítiam meam, * & ſecúndùm puritátem mánuum meárũ retríbuet mihi.

Quia cuſtodívi vias Dómini, * nec ímpiè geſſi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conſpéctu meo, * & juſtítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obſervábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus ſecúndum juſtítiam meam, * & ſecúndum puritátem mánuum meárum in conſpéctu oculórum ejus.

Cum ſancto ſanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris:

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérſo pervertéris;

Quóniam tu pópulum húmilem ſalvum fácies, * & óculos ſuperbórum humiliábis;

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine, * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo tranſgrédiar murum.

Glória Patri, &c.

Altera diviſio Pſalmi 17

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe;

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & póſuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & ſuper excélſa ſtátuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & poſuiſti ut

arcum æreum bráchia mea;

Et dediſti mihi protectiónem ſalútis tuæ; * & déxtera tua ſuſcépit me.

Et diſciplína tua corréxit me in finem; * & diſciplína tua ipſa me docébit.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me, * & non ſunt infirmáta veſtígia mea.

Pérſequar inimícos meos, & comprehéndam illos; * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt ſtare; * cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxíſti me virtúte ad bellum; * & ſupplantáſti inſurgéntes in me ſubtus me.

Et inimícos meos dedíſti mihi dorſum, * & odiéntes me diſperdidíſti.

Clamavérunt, nec erat qui ſalvos fáceret: * ad Dóminum; nec exaudívit eos.

Et comminuam eos, ut púlverem ante fáciem venti, * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * conſtitues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, ſervívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti ſunt mihi, * fílii aliéni inveteráti ſunt, & claudicavérunt à ſémitis ſuis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus ſalútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & ſubdis pópulos ſub me, * liberator meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab inſurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo pſalmum dicam.

Magníficans ſalútes regis ejus, * & fáciens miſericórdiam chriſto ſuo David, & ſémini ejus uſque in ſæculum.

Ant. Quis Deus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum noſtrum? *v.* 32.

Capitulum Apoc. 14. 7.

Timéte Dóminum, & date illi honórem; & adoráte eum, qui fecit cœlum, & terram, mare & fontes aquárum. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi * Pópuli omnes. (*Repet.*) Confiteántur. ℣. Et métuant eum omnes fines terræ: (*Repet.*) Pópuli. Glória. (*Reſum.*) Confiteántur. *Pſ.* 66. 6. 8.

℣. Sanctum & terríbile nomen ejus:

℟. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini. *Pſ.* 110. 9. 10.

Quando ad Laudes dictæ ſunt Preces; tunc ad Tertiam, & alias Horas breves, flexis genibus dicitur:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò*: Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos, ℟. Et oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dñe, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Pſ.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi ſolis accéndis faces,
Tu, ſplendor ætérni Patris,
Fili, tibi nos cónſecra
Amóris igne víctimas.

Regnet remótis lítibus,
Per te redux concórdia:
Sacróque fratres cháritas
Connéctat omnes fœdere.

Ætérna laus & glória
Uni ſit, & Trino Deo:
Pacíſque det nos mútuæ
Gaudere vinctos néxibus.
Amen.

PSALMUS 101.

Ant. *t.* 4. *B.* Tu Domine.

Vita brevis & miſera: ſolus, qui ab initio terram fundavit, Deus immutabilis.

DOmine, exaúdi oratiónem meã; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocavero te, * velóciter exaúdi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitùdinis; * factus ſum ſicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi; * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant;

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevãs alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalm. 101.

TU exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus;

Quóniam placuérunt ſervis tuis lapides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * & omnes

reges

reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creabitur laudábit Dóminũ;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut ſólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem,

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſérviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundáſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem pérmanes: * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent;

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Ant. Tu, Dómine, in ætérnum pérmanes, & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem. *v.* 13.

Capitulum. Act. 17. 24. 25.

DEus qui fecit mundum, & ómnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dóminus; non mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipſe det ómnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Cœli cœlórum, & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, * Laudent nomen Dómini: (*Repet.*) Cœli. ℣. Ipſe dixit, & facta ſunt; mandávit, & creata ſunt: (*Repet.*) Laudent.

Glória. (*Reſum.*) Cœli. *Pſ.* 148. 4. 5.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101. 16.

Preces ut ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

HYMNUS.

VErgens ad occáſum dies,
Vitæ fugáces éxhibet
Horas; Deus, ſic ómnia
Moves, movéri néſcius.

Dum lux & umbra mútuò
Tibi, Creátor, mílitant;
Fac alma nobis fúlgeat,
Umbris repúlſis, cháritas.

Tu ſola lapſus síderum
Immóta cernis, Trínitas;
Honóris ætérnam tibi
Decet repéndi glóriam.
Amen.

Ant. t. 5. Cognóſcant.

PSALMUS 82.

Ab inimicis ſuis Eccleſiam vindicat Deus; quia Omnipotens.

DEus, quis ſimilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Iſraël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * ſimul advérsùm te teſtaméntum diſpoſuérunt, tabernácula Idumæórum & Iſmahelítæ;

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum;

Etenim Aſſur venit cum illis, * facti ſunt in adjutórium filiis Lot.

Fac illis ſicut Mádian, & Siſaræ, * ſicut Jabin in torrénte Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte poſſideámus ſanctuáriū Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & ſicut ſtípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit ſylvam, * & ſicut flamma combúrens montes;

Ita perſequéris illos in tempeſtáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ? * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéſcant & conturbéntur in ſæculum ſæculi; * & confundantur, & péreant;

Et cognoſcant quia nomen tibi, Dóminus; * tu ſolus Altíſſimus in omni terra.

PSALMUS 102.

Laudandus Omnipotens ex operibus & beneficiis ſuis innumeris.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur omnibus iniquitátibus tuis; * qui ſanat omnes infirmitates tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus;

Qui replet in bonis deſidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi, * filiis Iſrael voluntates ſuas.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalm. 102.

MIſerátor & miséricors Dóminus; * longánimis, & multùm miſéricors.

Non in perpétuum iraſcétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis, * neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis;

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit miſericórdiam ſuã ſuper timéntes ſe:

Quantùm diſtat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Quómodo miſerétur pater filiórum, miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus; * homo ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorébit;

Quoniam ſpíritus pertranſíbit in illo, & non ſubsíſtet; * & non cognóſcet ámpliùs locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno, & uſque in ætérnum, * ſuper timéntes eũ;

Et juſtítia illíus in fílios filiórum, * his qui ſervant teſtaméntum ejus,

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * miníſtri ejus, qui fácitis voluntátẽ ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Cognóſcant quia nomen tibi, Dóminus; tu ſolus Altíſſimus in omni terra. *Pſ.* 82. 19.

Capitulum. Apoc. 19. 5.

VOx de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus: & qui timétis eum, puſílli, & magni.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Magnus Dóminus, * Et laudábilis nimis; (*Rep.*) Magnus. ℣. Terríbilis eſt ſuper omnes deos; (*Rep.*) Et laudábilis. Glória. (*Reſum.*) Magnus. *Pſ.* 95. 4.

℣. Non eſt símilis tuî in diis, Dómine;

℟. Et non eſt ſecúndùm ópera tua. *Pſ.* 85. 8.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. 1. 4. *B.* Sicut óculi.

PSALMUS 122.

Præter Altiſſimum, nullum eſt in tribulationibus refugium.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce ſicut óculi ſervórum * in mánibus dominórum ſuórum,

Sicut óculi ancíllæ in má-

nibus dóminæ ſuæ ;* ita óculi noſtri ad Dóminum Deũ noſtrum, donec miſereátur noſtrî.

Miſerére noſtrî, Dómine, miſerére noſtrî ;* quia multùm repléti ſumus deſpectióne;

Quia multùm repléta eſt ánima noſtra; * oppróbrium abundántibus, & deſpéctio ſupérbis.

Ant. Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ ſuæ; ita óculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum. *v.* 2.

Ant. t. 7. B. Niſi Dóminus.

PSALMUS 126.

Vani hominum labores, quibus non opitulatur Deus.

NIſi Dóminus ædificáverit domum,* in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſúrgere: * ſúrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis; * ita filii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

Ant. Niſi Dominus ædificáverit domum, in vanum laboravérunt qui ædíficant eam. *v.* 1.

Ant. t. 3. C. Qui timétis

PSALMUS 134.

Dei omnipotentia: Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudáte, ſervi, Dóminũ,

Qui ſtatis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * pſállite nómini ejus, quoniam ſuáve;

Quóniam Jacob elégit ſibi Dóminus, * Iſrael in poſſeſſiónem ſibi;

Quia ego cognóvi quòd magnus eſt Dóminus, * & Deus noſter præ ómnibus diis,

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit * in cœlo, & in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de theſáuris ſuis; * qui percúſſit primogénita Ægypti ab hómine uſque ad pecus;

Et miſit ſigna & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes ſervos ejus;

Qui percúſſit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Baſan, * & ómnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátẽ Iſrael pópulo ſuo.

Dómine, nomen tuum in

æternum : * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem;

Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſùis deprecábitur.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera manuum hóminum;

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * neque enim eſt ſpíritus in ore ipſórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſrael, benedícite Dómino : * domus Aáron, benedícite Dómino :

Domus Levi, benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúſalē.

Ant. Qui timétis Dóminum, benedícite Dómino. *v.* 20.

Ant. t. 5. Excélſus.

PSALMUS 137.

Ex veritate, omnipotentiâ, & miſericordiâ celebrandus Dominus.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi : * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérūt omnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, miſericórdia tua in ſæculum : ópera mánuum tuárum ne deſpícias.

Ant. Excélſus Dóminus, & humília réſpicit, & alta à longè cognóſcit. *v.* 6.

Ant. t. 8. *B* Meditátus ſum.

PSALMUS 142.

Præ Dei magnitudine humilians ſe anima, & ejus adjutorium in adverſis deprecatur.

DOmine, exaúdi oratiónem meam; aúribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua; * exaúdi me in tua juſtítia;

Et non intres in judíciū cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intenderunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra: * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eorum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit; * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 12.

Animæ fideli in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avertis fáciem tuam à me?

Quamdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Adjutórium meum à Dómino, qui ſalvos facit rectos corde. *Pſ. 7. v. 11.*

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 2. Providébam.

PSALMUS 15.

In Dei providentia ſpem collocat juſtus: reſurrectionis ſpes.

COnsérva me, Dómine, * quóniam ſperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hæreditátem meã mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * ínſuper & uſque ad noctem

increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe;

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

PSALMUS 22.

Pro beneficiis per Dei providentiam acceptis gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſéquetur me * ómnibus diebus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dñi,* in longitúdinem dierũ.

PSALMUS 27.

Deus justi tutela, ideò cum impiis non peribit.

AD te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas à me; * nequando táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me;

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus, * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea, *

& ex voluntáte mea confitébor ei.

· Dóminus fortitúdo plebis ſuæ; * & protéctor ſalvatiónum Chriſti ſui eſt.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos uſque in ætérnum.

Ant. Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear. *Pſalm.* 15. 8.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 4. D. Confitébor.

PSALMUS 51.

Fruſtrà in divitiis ſuis confidunt impii: ſalus eſt in Dominum ſperantibus.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injuſtítiam cogitávit lingua tua: * ſicut novácula acúta fecíſti dolum.

Dilexíſti malítiam ſuper benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexíſti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolóſa.

Proptérea Deus déſtruet te in finem, * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt juſti, & timébunt; & ſuper eum ridébunt; & dicent: * Ecce homo qui non póſuit Deum adjutórem ſuum;

Sed ſperávit in multitúdine divitiárum ſuárum; * & prævaluit in vanitáte ſua.

Ego autem ſicut olíva fructífera in domo Dei; * ſperávi in miſericórdia Dei in ætérnum, & in ſæculum ſæculi.

Confitébor tibi in ſæculum, quia fecíſti; * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpéctu ſanctórum tuórum.

PSALMUS 55.

Juſtus ſpe erectus in Deo ſolatium quærit.

MIſerére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellántes advérsùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te ſperábo.

In Deo laudabo ſermónes meos, in Deo ſperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur; * advérsùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abſcóndent: * ipſi calcáneum meū obſervábunt.

Sicut ſuſtinuérunt ánimam meam, pro níhilo ſalvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi; * poſuíſti lácrymas meas in conſpéctu tuo, ſicut & in promiſſióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsùm; * in quacúmque die invocávero te, ecce

cognóvi quóniã Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Dómino laudábo ſermónem: * in Deo ſperavi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, * laudationes tibi;

Quóniam eripuiſti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapſu; * ut pláceam coram Deo in lúmine viséntium.

PSALMUS 61.

Fruſtrà oppugnatur, qui, Deo ſubjectus, in ejus tutela manet.

NOnne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus, * ſuſceptor meus; non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérſi vos, tamquam paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repéllere, cucurri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjutor noſter in ætérnum.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hominum in ſtatéris, * ut decípiant ipſi de vanitáte in idipſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapinas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi affluant, nolíte cor apponere.

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Confitébor tibi in ſæculum, Dómine; & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt. *P.* 51. 11.

℣. In die clamávi, ℟. Et nocte coram te. *Pſ.* 87. 2.

Pater noſter. *Secretò.* ℣. Et ne nos indúcas. &c.

Lectiones & ℟. ℟. ℟. in Proprio.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* A cuſtódia matutína uſque ad nóctem,

℟. Speret Iſrael in Dómino. *Pſ.* 129. 6.

Ant. ·. 4. *D.* Ecce Deus ádjuvat me.

PSALMUS 53.

Oratio juſti adversùs hoſtes auxilium Dei ſperantis.

DEus, in nómine tuo ſalvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam; * aúribus pércipe

verba oris mei;

Quoniam aliéni inſurrexérunt advérsùm me, & fortes quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt Deum ante conſpéctum ſuum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus ſuſcéptor eſt animæ meæ.

Avérte mala inimícis meis,* & in veritate tua diſpérde illos.

Voluntáriè ſacrificábo tibi; & confitebor nómini tuo, Dómine,* quóniam bonū eſt;

Quoniam ex omni tribulatione eripuíſti me; * & ſuper inimícos meos deſpéxit óculus meus.

Ant. Ecce Deus ádjuvat me; & Dóminus ſuſcéptor eſt animæ meæ. *v. 6.*

Ant. t. 7. B. Valles.

PSALMUS 64.

Dei providentia, quantùm in homines benefica

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jeruſalem.

Exaudi oratiónem meam;* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórū prævaluérunt ſuper nos;* & impietátibus noſtris tu propitiaberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * ſanctum eſt templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndū maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni, & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis; * paráſti cibum illórum, quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundabunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Valles abundábunt fruménto: clamábunt, étenim hymnum dicent. *v. 14.*

Ant. t. 5. Audíte.

PSALMUS 65.

Ex mirabilibus operibus & beneficiis laudandus Dominus.

JUbiláte Deo, omnis terra, pſalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo; Quàm terribília ſunt ópera tua, Dómi-

ne! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, * pſalmum dicat nómini tuo.

Veníte & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis ſuper fílios hóminum,

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipſo,

Qui dominátur in virtúte ſua in ætérnum; óculi ejus ſuper gentes reſpíciunt: * qui exaſperant, non exalténtur in ſemetipſis

Benedícite, gentes, Deum noſtrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui póſuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probáſti nos, Deus; * igne nos examináſti, ſicut examinátur argéntum.

Induxíſti nos in láqueum, poſuíſti tribulatiónes in dorſo noſtro; * impoſuíſti hómines ſuper cápita noſtra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxíſti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaúſtis; * reddam tibi vota mea, quæ diſtinxérunt lábia mea;

Et locútum eſt os meum * in tribulatióne mea.

Holocaúſta medulláta ófferam tibi cum incénſo aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deū, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipſum ore meo clamávi, * & exaltavi ſub lingua mea.

Iniquitátem ſi aſpéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit orationem meam, & miſericórdiam ſuam à me.

Ant. Audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. 16.

Ant. 1. 5. Fortitúdo.

CANTICUM MOYSI. *Exod.* 15. 1.

Cantémus Dómino; glorióſè enim magnificatus eſt; * equum & aſcenſórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Iſte Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quaſi vir pugnátor; * Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare; * elécti príncipes ejus ſubmérſi ſunt in mari rubro.

Abyſſi operuérunt eos; * deſcendérunt in profúndum quaſi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta eſt in fortitudine; *

déxtera tua, Dómine, percúſſit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ depoſuíſti adversários tuos, * misíſti iram tuam quæ devorávit eos ſicut ſtípulam.

Et in ſpíritu furóris tui congregátæ ſunt aquæ; * ſtetit unda fluens, congregátæ ſunt abyſſi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérſequar, & comprehendam; * dívidam ſpolia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meũ, * interfíciet eos manus mea.

Flavit ſpíritus tuus, & opéruit eos mare; * ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî, in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in ſanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendíſti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuíſti in miſericórdia tua * pópulo quem redemíſti;

Et portáſti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum ſanctum tuum.

Aſcendérunt pópuli, & iráti ſunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philíſthiim.

Tunc conturbáti ſunt príncipes Edom; robúſtos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat ſuper eos formído & pavor: * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quaſi lapis;

Donec pertránſeat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránſeat pópulus tuus iſte quem poſſedíſti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíſſimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in ætérnum & ultrà.

Ingréſſus eſt enim eques Phárao cum cúrribus, & equítibus ejus in mare, * & redúxit ſuper eos Dóminus aquas maris:

Fílii autem Iſrael ambulavérunt per ſiccum * in médio ejus.

Ant. Fortitúdo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalútem. *Exod.* 15. 2.

In Feſtis loco ſuperioris Cantici, dicitur

CANTICUM *Eccli.* 39.

Collaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus ſuis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum veſtrórum, & in cantícis labiórum, & cítharis;

Et ſic dicétis in confeſſióne: * Opera Dómini univérſa bona valde.

In verbo ejus ſtetit aqua ſicut congéries: * & in ſer-

móne oris illíus ſicut excéptória aquárum;

Quóniam in præcépto illíus placor fit, * & non eſt minorátio in ſalúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * & non eſt quidquam abſcónditum ab óculis ejus.

A ſæculo uſque in ſæculum réſpicit, * & nihil eſt mirábile in conſpéctu ejus.

Glória, &c.

Ant. t. 6. Dat Dóminus.

PSALMUS 146.

Deus ex ſuâ in populum providentiâ celebratur.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus; * Deo noſtro ſit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit:

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt númerus.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne; * pſállite Deo noſtro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum;

Qui dat juméntis eſcam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

Ant. Dat Dóminus juméntis eſcam ipſórum, & pullis corvórum invocántibus eum. *v. 9.*

Capitulum. Eccle. 5. 5.

NE dicas coram ángelo: Non eſt providentia; ne fortè irátus Deus contra ſermónes tuos, diſſipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℣. Oculi Dómini ſuper metuéntes eum;

℞. Ut alat eos in fame. *Pſ. 32. 18. 19.*

Ad Bened. Ant. t. 1. A. Eréxit cornu ſalútis nobis, in domo David púeri ſui. *Luc. 1. 69.*

Preces ſi dicendæ ſint, habentur Feriâ ſecundâ ad Laudes.

Oratio conveniens.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvo redux dum lúmine
Sol pellit umbras: ô Deus!
Tu mentis erróres fuga;
Et corda ſurſum dírige.

Juſſu tuo, labóribus
Dum noſtra ſervit déxtera,
Inánibus da líberum
Curis, tibi cor mílitet.

Fac, hóſpites & ádvenæ
In valle dura flétuum,

Noſtris ſupérnæ córdibus
Spem nutriámus pátriæ.
Domum, Deus, das páſſeri,
Nidúmque turtur ínvenit:
Sinu tuo quiéſcere
Det ſpes ſalútis ánchora.
Tibi, Pater, cum Fílio,
Sanctóque ſit cum Spiritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. t. I. E. Utique.

PSALMUS 57.

Calumniatorum ſupplicia, bonorumque præmia juſtam Dei providentiam arguunt.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis; * ſicut áſpidis ſurdæ, & obturántis aures ſuas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſórum; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad nihilum devénient tamquam àqua decúrrens: * inténdit arcum ſuum donec infirméntur:

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercecidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priúſquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira abſórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique eſt fructus juſto; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

Glória &c.

PSALMUS 73.

In populi & templi calamitate, ex ſuis operibus magnis, in auxilium appellatur Deus.

UT quid, Deus, repuliſti in finem; * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſediſti ab initio.

Redemíſti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitáſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto!

Et gloriáti ſunt qui odérúnt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna, & non cognovérunt, * ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idípſum; * in ſecuri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum; * in terra polluérunt tabernáculum nominis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio

gnátio eórũ ſimul : * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra.

Signa noſtra non vídimus; jam non eſt prophéta ; * & nos non cognóſcet ámpliùs.

Glória, &c.

Divisio Pſalmi 73.

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adverſárius nomen tuũ in finem?

Ut quid avértis manum tuam & déxteram tuam * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem rex noſter ante ſæcula, * operátus éſt ſalútem in médio terræ.

Tu confirmáſti in virtúte tua mare; * contribuláſti cápita dracónum in aquis.

Tu confrégiſti cápita dracónis, * dedíſti eum eſcam pópulis Æthíopum.

Tu dirupíſti fontes, & torréntes ; * tu ſiccáſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox ; * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu fecíſti omnes términos terræ; * æſtátem & ver tu plaſmaſti ea.

Memor eſto hujus, inimícus improperávit Dómino ; * & populus inſipiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas paúperum tuórum ne oblivíſcaris in finem.

Reſpice in teſtaméntum tuum ; * quia repléti ſunt, qui obſcuráti ſunt terræ dómibus iniquitatum.

Ne avertátur húmilis factus confúſus : * pauper & inops laudábunt nomen tuũ.

Exúrge, Deus, júdica cauſam tuam ; * memor eſto improperiórum tuórum, eórũ quæ ab insipiénte ſunt totâ die.

Ne obliviſcáris voces inimicórum tuórum : * ſupérbia eórum qui te odérunt aſcéndit ſemper.

Glória, &c.

Ant. Utique eſt fructus juſto; útique eſt Deus júdicans eos in terra. *Pſ.* 57. 12.

In Feriali Officio Capitulum.

Sap. 6. 8.

NOn ſúbtrahet perſónã cujúſquam Deus : quóniam pusillum & magnum ipſe fecit, & æquáliter cura eſt illi de ómnibus.

Cætera ut in Feria ſecunda.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

AFfla, ſupérne, ſpíritum,
Quo mens agénda dírigat:
Fac nos fugácis túrbidas
Neſcíre curas ſæculi.

Quâ cervus ardens lympidos
Fontes ſiti deſíderat,
Da, fons ſupérni gaúdii,
Te poſſidéndum perſequar.

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui providâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. 1. 3. *E.* Spera.

PSALMUS 36.

Bonorum & malorum quàm diſpares ſunt & ſpes, & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátẽ;

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréſcent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuâ, & ſpera in eo; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam; & judícium tuum tamquam merídiem: * ſúbditus eſto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua; * in hómine faciénte injuſtítias.

Déſine ab ira, & derelínque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur, * ſuſtinéntes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc puſíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum, * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum ſuum,

Ut dejíciant paúperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipſórum, * & arcus eórum confringátur.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 36.

MElius eſt módicum juſto * ſuper divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem juſtos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis ſaturabúntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus deficient.

Mutuábitur peccátor, & non ſolvet: * juſtus autem miſerétur, & tríbuet;

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei diſperíbunt.

Apud Dóminum greſſus hóminis dirigéntur; * & viâ ejus volet.

Cùm cecíderit, non colli-

détur; * quia Dóminus ſuppónit manum ſuam.

Júnior fui, étenim ſénui; * & non vidi juſtum derelíctum, nec ſemen ejus quærens panem.

Totâ die miſerétur & cómmodat: * & ſemen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; * & inhábita in ſæculum ſæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet ſanctos ſuos; * in ætérnum conſervabúntur.

Injúſti puniéntur; * & ſemen impiórum períbit:

Juſti autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 36.

OS juſti meditábitur ſapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipſíus; * & non ſupplantabúntur greſſus ejus.

Cónſiderat peccátor juſtũ, * & quærit mortificáre eũ:

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & cuſtódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium ſuperexaltátum, * & elevátum ſicut Cedros Líbani.

Et tranſívi, & ecce non erat: * & quæsívi eum, & non eſt invéntus locus ejus.

Cuſtódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam ſunt relíquiæ hómini pacífico.

Injúſti autem diſperíbunt ſimul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem juſtórum à Dómino, * & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, & éruet eos a peccatóribus, & ſalvábit eos, * quia ſperavérunt in eo.

Glória Patri, &c.

Ant. Spera in Dómino, & fac bonitátem; & paſcéris in divítiis ejus. *v.* 3.

Capitulum. Philip. 4. 6.

NIhil ſollíciti ſitis: ſed in omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárũ actióne, petitiónes veſtræ innotéſcant apud Deum.

℟. *br.* Dóminus regit me, * Et nihil mihi déerit. Dóminus regit. ℣. In loco páſcuæ ibi me collocávit. * Et nihil. Glória Patri. Dóminus regit. *Pſ.* 22. 1. 2.

℣. Miſerátor & miſéricors Dóminus: ℟. Eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

SUmmo girat ſol æthere
Te, Chriſte, laudent témpora
Quæ, dante te, ſic úſibus
Paráta noſtris ſérviunt.

O quando mens levábitur
Graváte carnis ſárcinâ,

Et induétur lúmine,
Quo ſunt beáti cœlites!
Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

Ant. 5. Omnia.

PSALMUS 34.

Ab hoſtibus liberari per Dei providentiam rogat juſtus.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma, & ſcutum; * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui perſequúntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundántur & revereántur* quæréntes ánimam meã.

Avertántur retrórsùm, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti; * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum? * & Angelus Dómini pérſequens eos;

Quóniam gratis abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui; * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meã.

Veniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abſcondit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: * Dómine, quis ſímilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperem à diripiéntibus eum.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 34.

SUrgéntes teſtes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in ſinu meo convertétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam; * quaſi lugens, & contriſtátus ſic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagélla, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compúncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meã à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt oculis.

Quóniam mihi quidem pa-

efficè loquebántur; * & in iracúndia terræ, loquéntes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum: * dixérunt; Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidíſti, Dómine, ne ſíleas; * Dómine, ne diſcédas à me.

Altera Diviſio Pſalmi 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus & Dóminus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecúndùm juſtítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non ſupergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéſcant, & revereántur ſimul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confuſióne, & reveréntiâ, * qui magna loquúntur ſuper me.

Exúltent & lætétur qui volunt juſtítiam meam: * & dicant ſemper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Glória Patri, &c.

Ant. Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſímilis tibi? *v.* 10.

Capitulum. 2. Cor. 9. 10.

QUi adminíſtrat ſemen ſeminánti; & panem ad manducándum præſtábit, & multiplicábit ſemen veſtrum, & augébit increménta frugum juſtítiæ veſtræ.

℟. *br.* Oculi ómnium * In te ſperant, Dómine; Oculi.

℣. Et tu das eſcam illórum in témpore opportúno. * In te. Glória Patri. Oculi. *Pſ.* 144. 15.

℣. Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus;

℟. Et ſapiéntiæ ejus non eſt númerus. *Pſ.* 146. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol ad occáſum redit,
Fac, Chriſte, lumen córdiũ,
Spes firma ſacris móntibus
Inténta figat lúmina.

Inter procéllas naúfrago
Qui navigámus æquore,
Carína nos hæc ánxios
Ripæ ſalútis ápplicet.

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque ſit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidá
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

Ant. t. 6. Aperiénte te.

PSALMUS 103.

Deus ab opificio, & providentiâ benedicitur.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confeſſiónem & decórem induíſti, * amíctus lúmine ſicut veſtiménto;

Exténdens cœlum ſicut pellem; * qui tegis aquis ſuperióra ejus:

Qui ponis nubem aſcénſũ

tuum; * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos ſpíritus; * & miniſtros tuos ignem uréntem;

Qui fundáſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam; * non inclinábitur in ſæculum ſæculi.

Abyſſus, ſicut veſtiméntum, amíctus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcéndunt montes, & deſcéndunt campi * in locum quem fundáſti eis.

Términum poſuíſti quem non tranſgrediéntur; * neque converténtur operíre terrã.

Qui emíttis fontes in convállibus, * inter médium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri, * expectábunt ónagri in ſiti ſua.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis, * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam ſervitúti hóminum;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, * & Cedri Líbani quas plantávit;

Illic páſſeres nidificábunt, * heródii domus dux eſt eórum.

Montes excélſi cervis, * petra refúgium herinaciis.

Fecit lunam in témpora: * ſol cognóvit occáſum ſuum.

Poſuíſti ténebras, & facta eſt nox; * in ipſa pertransíbunt omnes béſtiæ ſylvæ;

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * & quærant à Deo eſcam ſibi.

Ortus eſt ſol, & congregáti ſunt, * & in cubílibus ſuis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus ſuum, * & ad operatiónem ſuam uſque ad véſperam.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 103.

QUàm magnificáta ſunt ópera tua, Dómine! ómnia in ſapiéntia fecíſti: * impléta eſt terra poſſeſſióne tuâ.

Hoc mare magnum, & ſpatióſum mánibus; * illic reptília quorum non eſt númerus, animália pusílla cum magnis.

Illic naves pertransíbunt, * draco iſte quem formáſti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant, * ut des illis eſcam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te mánum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciẽ, turbabúntur; * aúferes ſpíritum eórum, & defícient, & in púlverem ſuum reverténtur.

Emíttes ſpíritum tuum, & creabúntur; * & renovábis fáciem terræ. Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 103.

SIt glória Dómini in ſæculum; * lætábitur Dóminus in óperibus ſuis,

Qui réſpicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * pſallam Deo meo quámdiu ſum.

Jucúndum ſit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non ſint: * bénedic, ánima mea, Dño. Glória, &c.

Ant. Aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte. *v.* 28.

Capitulum Hebr. 4. 13.

NOn eſt ulla creatúra inviſíbilis in conſpéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta ſunt óculis ejus.

℟. *br.* Quò ibo, Dómine, * A ſpíritu tuo? Quò ibo. ℣. Et quò à fácie tuâ fúgiam?* A ſpíritu. Glória. Quò ibo. *Pſ.* 138. 7.

℣. Ténebræ non obſcurabúntur à te; ℟. Et nox ſicut dies illuminábitur. *Pſ.* 138. 12.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. *D.* Ecce.

PSALMUS 120.

Dominus cuſtos Eccleſiæ ſuæ providet.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtodit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſrael.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui cuſtódit Iſrael. *v.* 4.

Ant. t. 2. Benedíctus.

PSALMUS 123.

Eccleſiæ, per Dei providentiam à periculis ereptæ, gratiarum actio.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, * niſi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos.

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torréntem pertranſívit ánima noſtra, * fórſitan pertranſíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt * de láqueo venántium;

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Benedíctus Dóminus, qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum. *v.* 6.

Ant. t. 5. Dóminus.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipſe tutela: iniqui peribunt.

QUi confídunt in Dómino, ſicut mons Sion; * non commovébitur in ætérnũ, qui hábitat in Jeruſalem:

Montes in circúitu ejus, * & Dóminus in circúitu pópuli ſui ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum:

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum ſuper ſortem juſtórum, * ut non exténdant juſti ad iniquitátem manus ſuas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem; * pax ſuper Iſrael.

Ant. Dóminus in circúitu pópuli ſui ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *v.* 2.

Ant. t. 7 *D.* Suſcepíſti.

PSALMUS 138.

Inſignis Dei in nos à puero providentia.

DOmine, probáſti me, & cognovíſti me; * tu cognovíſti ſeſſiónem meam, & reſurrectiónem meam.

Intellexíſti cogitatiónes meas de longè; * ſémitam meam, & funículum meum inveſtigáſti;

Et omnes vias meas prævidíſti; * quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovíſti ómnia, noviſſima & antíqua: * tu formáſti me, & poſuíſti ſuper me manum tuam.

Mirábilis facta eſt ſciéntia tua ex me; * confortáta eſt, & non pótero ad eam.

Quò ibo à ſpíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si aſcéndero in cœlum, tu illìc es; * ſi deſcéndero in inférnum, ades;

Si ſúmpſero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me; * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórſitan ténebræ conculcábunt me, * & nox illuminátio mea in delíciis meis;

Quia ténebræ non obſcurabúntur à te, & nox ſicut dies illuminábitur; * ſicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſedíſti renes meos; * ſuſcepíſti me de

útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod feciſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus, * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerábo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur; * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri ſánguinum, declináte à me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

Ant. Suſcepíſti me, Dómine, de útero matris meæ.

℣. 13.

Ant. t. 6. Aperis tu.

PSALMUS 144.

Quàm benignè Deus providet omnibus.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Per ſíngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt:

Magnificéntiã glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt:

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miſéricors Dóminus; * pátiens, & multùm miſéricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur,

Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſæculórũ; * & do-

minátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dominus in omnibus verbis ſuis, * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes eliſos.

Oculi ómnium in te ſperant, Dñe, * & tu das eſcã illórũ in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

Propè eſt Dñs ómnibus invocántibus eũ, * ómnibus invocãtibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & ſalvos fáciet eos.

Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe; * & omnes peccatóres diſpérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Ant. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *v.* 16.

Capitulum, Heb. 4. 16.

ADeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

HYMNUS.

MIrámur, ô Deus! tuæ
Recens opus poténtiæ,
Aquis refúſis ímperas,
Siccáta tellus énatat.

En rura veſtis frúgibus,
Pomis gravántur árbores:
Herbæ virent, ſi décidant,
Suo reſúrgunt ſémine.

Cur aut amíctûs, aut cibi
Nos cura mordet ánxia?
Qui veſtit agri lília
Veſtem cibúmque próvidet.

Sũmo Patri quidquid placet
Sit cura primùm quærere:
Si quæris ultrò cætera
Voventis ad nutum fluent.

Ne flúctuet formídinis
Mens acta ſævo túrbine:
Portum quiétis póſcere
Det ſpes procéllis fórtior.

Oblíta terras, æthera,
Audáce pennâ, tránsvolet;
Secúmque curis líberas
Ad alta mentes érigat.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu
Deo perénni próvido
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, ℟. Et ipſe te enútriet. *Pſ.* 54. 23.

Ad Magnific. Ant. t. 3. *D.*

Eſuriéntes implévit bonis; & dívites dimíſit inánes. *Luc.* 1. 53.

FERIA QUARTA.

Dixit Deus: Fiant luminaria. &c. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus, lux vera mentium, in ſua veritate adorandus: hinc firma in Deum fides.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum qui eſt

lux vera, & veritas; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 9.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. 4. *E.* Elóquia.

PSALMUS 11.

Juſtorum paucitas: eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit ſanctus; * quóniam diminútæ ſunt veritates à fíliis hóminũ.

Vana locúti ſunt unuſquíſque ad próximum ſuũ; * lábia doloſa, in corde & corde locúti ſunt.

Diſpérdat Dóminus univérſa lábia dolóſa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt; Linguam noſtram magnificábimus, lábia noſtra à nobis ſunt: * quis noſter Dóminus eſt?

Propter misériam inopum & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dñs.

Ponam in ſalutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia caſta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, ſervábis nos: * & cuſtódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * ſecúndùm altitúdinem tuam multiplicáſti fílios hóminum.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia; ex adventu Chriſti ſalus exoptatur.

DIxit insípiens in corde ſuo, * Non eſt Deus.

Corrúpti ſunt, & abominábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Dóminus de cœlo proſpéxit ſuper fílios hóminum, * ut vídeat ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum; linguis ſuis dolósè agébant; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum eſt, * velóces pedes eórum ad effundéndum ſánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non eſt timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóſcent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne juſta eſt: * consílium ínopis confudíſtis, quóniam Dóminus ſpes ejus eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exultábit Jacob, & lætabitur Iſrael.

PSALMUS 24.

Vias Domini edoceri, & ejus auxilio protegi postulat justus.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſuſtinent te, non confundentur.

Confundántur omnes iníqua agentes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miſeratiónum tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiã tuã meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut maniſeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminum; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis meî multiplicátæ ſunt: * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam, quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi; * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Ant. Elóquia Dómini, elóquia caſta. *Pſ.* II. *v.* 7.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. 3. *B.* Emítte.

PSALMUS 42.

Veritatis divinæ invocatio: ſpes in Domino collocanda.

JUdica me, Deus, & diſcérne cauſam meam de gente non ſancta; * ab hó-

mine iníquo & dolóſo erue me ;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea ; * quare me repuliſti ? & quare triſtis incédo dum afflígit me inimícus ?

Emítte lucem tuam, & veritátem tuam : * ipſa me deduxérunt, & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei ; * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

.Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus : * quare triſtis es, ánima mea, & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 56.

De inimicis victoriam rogat juſtus : miſericordiæ & veritatis Dei commendatio.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî ; * quóniam in te confídit ánima mea ;

Et in umbra alárum tuárum ſperábo, * donec tránſeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altíſſimum * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me ; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam, & veritátem ſuam, * & eripuit ánimam meam de médio catulorum leónum ; dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & ſagittæ, * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus ; * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis ; * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meã fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum ; * cantábo & pſalmum dicam.

Exúrge, glória mea, exúrge, pſaltérium & cíthara ; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus ;

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua, * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

PSALMUS 63.

Vana impiorum conſilia : evangelii prædicatio.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor : * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexíſti me à convéntu malignantium, * à multitúdine operántium iniquitátẽ ;

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas ; * intendérunt arcum rem amáram, ut ſagíttent in occúltis immaculatum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequã.

Narravérunt ut abſconderent laqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Emítte lucem tuam, Dómine, & veritátem tuam. *Pſ.* 42. 3.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. Deduc me.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis: terris oriuntur miſericordia & veritas.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dominus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

PSALMUS 85.

Per fidem gentes illuminari rogat Chriſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus

meus, ſperántem in te.

Miſerere mei, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt ſimilis tuî in diis, Dómine; * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque feciſti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuũ.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruíſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericórdiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerére meî; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Psalmus 89.

Fugax hominum vita: gratiæ Dei ſplendor invocatur.

Dómine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúſquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis, * à ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixíſti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies heſtérna quæ prætériit, & cuſtódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè ſicut herba tránſeat, manè flóreat, & tránſeat; * véſperè décidat, indúret & aréſcat;

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbati ſumus.

Poſuíſti iniquitátes noſtras in conſpéctu tuo, * ſæculum noſtrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies noſtri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni noſtri, ſicut aránea meditabúntur: * dies annórum noſtrórum in ipſis, ſeptuagínta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor:

Quóniam ſupervénit manſuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit poteſtátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam ſic notam fac, * & cruditos corde in ſapiéntia.

Convértere, Dómine, úſquequò? * & deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos.

Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris.

Lætáti ſumus pro diébus quibus nos humiliáſti, * annis quibus vídimus mala.

Reſpice in ſervos tuos, & in opera tua; * & dírige fílios eórum.

Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos; * & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos; & opus mánuum noſtrarum dirige.

Ant. Deduc me, Domimine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua *Pſ.* 85. 11.

℣. Bonum eſt pſállere nómini tuo, Altiſſime; ℟. Ad annuntiándum veritátem tuā per noctem. *Pſ.* 91. 2. 3.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericordia tua; ℟. Et uſque ad nubes véritas tua. *Pſ.* 56. 11.

Ant. t. 1. *B.* Accédite ad eum.

PSALMUS 33.

Deus juſtorum lumen & tutela; impiorum everſor.

BEnedícam Dóminum in omni témpore; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * aúdiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dominum mecum; * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquiſívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet ángelus Dómini in circúitu timéntiū eum; * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus; * quóniam non eſt inopia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte,

Veníte, filii, audíte me: * timórē Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dñi ſuper juſtos; * & aures ejus in preces eórū.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala, * ut perdat de terra memóriā eórū.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima: * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum ſuórum; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Accédite ad eum, & illuminámini: & fácies veſtræ non confūdéntur *v. 6.*

Ant. t. 6. A. Cognoſcámus.

PSALMUS 66.

Ut ab omnibus gentibus cognoſcatur & laudetur Deus, exoptat anima.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî;

Ut cognoſcámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Cognoſcámus, Dómine, in terra viam tuam, in ómnibus géntibus ſalutáre tuum. *v. 3.*

Ant. t. 5. A. In colúmna

PSALMUS 98.

Chriſti poteſtas: ejus veſtigia adoranda: patribus locutus eſt.

DOminus regnávit, iraſcántur pópuli; * qui ſedet ſuper Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélſus ſuper omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & ſanctum eſt; * & honor regis judícium díligit.

Tu paráſti directiónes; *

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in in æquitáte.

Ant. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; in conſpéctu gentium revelávit juſtítiam ſuam. *v.* 2.

Capitulum. Rom. 13. 12. 13.

NOx præcéſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulémus.

℣. Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum,

℟. Et doce me juſtificatiónes tuas. *Pſ.* 118. 135.

Ad Benedic. *Ant. t.* 1. *F*

Illumináre his qui in ténebris ſedent, ad dirigéndos pedes noſtros. *Luc.* 1. 79.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

AD templa nos rurſum vocat
Suo redux ſol lúmine;
Nováſque pro læto monet
Reférre grates múnere.

Laudéris ætérnùm, Deus,
Qui veritátis lúmine
Mentis ténebras ámoves,
Salútis & monſtras viam.

Præſta, fides non óccubet,
Si cúltui deſit tuo,
Quid noſtra vox, ni tínniens
Vanas per auras cymbalum?

Vires leónum per fidem
Vicére ſancti: hoc manus
Protécta ſcuto, nóxios
Retúndat hoſtis ímpetus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. *C.* Quanta.

PSALMUS 77.

Ad audiendam legem Dei invitatio: beneficia Judæis præſtita.

ATténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem veſtram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum; * loquar propoſitiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres noſtri narravérunt nobis.

Non ſunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera;

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et ſuſcitávit teſtimónium in Jacob, * & legem póſuit in Iſrael.

Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis, * ut cognóſcat generátio áltera:

Fílii qui naſcéntur, & exúrgent, * & narrábunt fíliis ſuis;

Ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcántur óperum Dei, * & mandata ejus exquírant;

Ne fiant ſicut patres eórum, * generátio prava & exáſperans:

Generátio quæ non diréxit cor ſuum, * & non eſt créditus cum Deo ſpíritus ejus.

Diviſio Pſalmi 77.

FIlii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, *

converſi ſunt in die belli.

Non cuſtodierunt teſtaméntum Dei, * & in lege ejus noluerunt ambuláre.

Et oblíti ſunt benefactórum ejus, * & mirabílium ejus quæ oſténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, & perdúxit eos; * & ſtátuit aquas quaſi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo, * & adaquávit eos velut in abyſſo multa.

Et edúxit aquam de petra, * & dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et appoſuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excélſum in inaquóſo.

Et tentavérunt Deum in córdibus ſuis, * ut péterent eſcas animábus ſuis.

Et malè locúti ſunt de Deo; * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre menſam in desérto?

Quóniam percúſſit petram, & fluxérunt aquæ, * & torréntes inundavérunt,

Numquid & panem póterit dare? * aut paráre menſam pópulo ſuo?

Ideò audívit Dóminus, & diſtulit: * & ignis accénſus eſt in Jacob, & ira aſcéndit in Iſrael;

Quia non credidérunt in Deo, * nec ſperavérunt in ſalutári ejus.

Et mandávit núbibus déſuper, * & jánuas cœli apéruit;

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo; * cibária miſit eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit (Dóminus) Auſtrum de cœlo; * & indúxit in virtúte ſua Africum.

Et pluit ſuper eos ſicut púlverem carnes, * & ſicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio caſtrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſaturáti ſunt nimis, & deſidérium eorum áttulit eis; * non ſunt fraudáti à deſidério ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei aſcéndit ſuper eos.

Et occídit pingues eórum, * & eléctos Iſrael impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebántur, & dilúculò veniébant ad eum.

Et rememoráti ſunt quia Deus adjútor eſt eórum, * & Deus excélſus redémptor eórum eſt.

Et dilexérunt eum in ore ſuo : * & linguâ ſuâ mentíti ſunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti ſunt in teſtaménto ejus.

Ipſe autem eſt miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non diſpérdet eos.

Glória, &c.

Ant. Quanta mandávit pátribus noſtris nota fácere ea fíliis ſuis. *v.* 5.

In Feriali Officio Capitulum. Prov. 6. 23.

MAndátum lucérna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplínæ.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

VOtis favéto, Spíritus,
Promiſſa terris véritas;
Te luce, mundi prœmia
Noſtris nihil ſint méntibus.

Da, nos fides velócibus
Ad ſumma pennis évehat;
Solúmque, victrix ſénſuum,
Curet Deum te quærere.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. C. Pavit eos.

EX PSALMO 77. Et

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram ſuã, * & non accéndit omnem iram ſuam.

Et recordátus eſt quia caro ſunt, * ſpíritus vadens, & non rédiens.

Quoties exacerbavérunt eum in deſérto ? * in iram concitavérunt eum in inaquóſo ?

Et convérſi ſunt, & tentavérunt Deum, * & ſanctum Iſrael exacerbavérunt.

Non ſunt recordati manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis;

Sicut póſuit in Ægypto ſigna ſua, * & prodígia ſua in campo Táneos.

Et convértit in ſánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Miſit in eos cœnomyíam, & comédit eos; * & ranam, & diſpérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locúſtæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórũ in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & poſſeſſiónem eórum igni.

Miſit in eos iram indignatiónis ſuæ; * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immiſſiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ ſuæ, & non pepércit à morte animábus eorum, * & juménta eórum in morte conclúſit;

Et percúſſit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

ABſtulit (Dóminus) ſicut oves pópulũ ſuũ, * & perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in ſpe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & ſorte divíſit eis terram in funículo diſtributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Iſrael.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélſum; * & teſtimónia ejus non cuſtodiérunt.

Et avertérunt ſe, & non ſervavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérſi ſunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus ſuis, * & in ſculptílibus ſuis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & ſprevit, * & ad níhilum redégit valdè Iſrael.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum ſuum, ubi habitávit in hóminibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórũ, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúſit in gládio pópulum ſuum, * & hæreditátem ſuam ſprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * & vírgines eórum non ſunt lamentatæ.

Sacerdótes eorum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabántur.

Altera diviſio Pſalmi 77. Et

EXcitátus eſt tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percúſſit inimícos ſuos in poſterióra: * oppróbrium ſempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joſeph, * & tribum Ephraim non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit ſicut unicórnium ſanctifícium ſuum * in terra quam fundávit in ſæcula:

Et elégit David ſervum ſuum, * & ſúſtulit eum de grégibus óvium.

De poſt fœtántes accépit eum, * páſcere Jacob ſervũ ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.

Et pavit eos in innocéntia cordis ſui, * & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. Glória, &c.

Ant. Pavit eos Dóminus in innocéntia cordis ſui, & in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. *v.* 72.

Capitulum. I. *Joan.* I. 5.

HÆc eſt annuntiátio, quã audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux eſt, & ténebræ in eo non ſunt ullæ.

℟. *br.* Lucérna pédibus meis * Verbum tuum : Lucérna.

℣. Et lumen sémitis meis.* Verbum. Glória Lucérna. *Pſ.* 118. 105.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dòmine,

℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

FUlgens poli ſol cúlmine
Ignes, Deus, quot éxerit,
Tot vócibus te prædicat,
Tot penicíllis éxhibet.

At ígnibus qui píngeris,
Ignes amóris éxcita:
Illámque votis da fidem,
Cui comes ſit cháritas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. 1. 5. *A* Dóminus.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Chriſti victoriis, & de Eccleſiæ per Evangelii prædicationem diffuſione.

EXúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus:

Sicut déficit fumus, defíciant: * ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei, * & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, pſálmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui aſcéndit ſuper occáſum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conſpéctu ejus, * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco ſancto ſuo; * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo;

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * ſimíliter eos qui exáſperant, qui hábitant in ſepúlchris.

Deus, cùm egrederéris in conſpéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota eſt, étenim cœli diſtillavérunt à facie Dei Sínaï, * à facie Dei Iſrael.

Plúviam voluntáriam ſegregábis, Deus, hæreditáti tuæ; * & infirmáta eſt: tu verò perfeciſti eam.

Animália tua habitábunt in ea; * paráſti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Diviſio Pſalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum diléčti, diléčti; * & ſpeciéi domûs divídere ſpólia.

Si dormiátis inter médios cleros, * pennæ columbæ deargentátæ, & poſterióra dorſi ejus in pallóre auri.

Dum diſcérnit cœléſtis reges ſuper eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis, * mons coagulátus, mons pinguis:

Ut quid ſuſpicámini mon-

res coagulátos? * mons in quo beneplacitum eſt Deo habitáre in eo; étenim Dóminus hábitabit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántiũ: * Dóminus in eis in Sina, in ſancto.

Aſcendíſti in altum, cepíſti captivitátem: * accepíſti dona in homínibus:

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie; * próſperum iter fáciet nobis Deus ſalutárium noſtrórum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum ſuórum; * vérticem capílli perambulántium in delíctis ſuis.

Dixit Dóminus: Ex Baſan convértam, * convértam in profúndum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipſo.

Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, * ingréſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti pſalléntibus, * in médio juvenculárum tympaniſtriárum.

Altera diviſio Pſalmi 67.

IN Eccléſiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Iſrael.

Ibi Bénjamin adoleſcéntulus * in mentis excéſſu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuæ; * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúſalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórũ in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti ſunt argénto.

Díſſipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo, * psállite Dómino;

Psállite Deo, qui aſcéndit ſuper cœlum cœli ad Oriéntem, * ecce dabit voci ſuæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * ſuper Iſrael magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis; Deus Iſrael ipſe dabit virtútem, & fortitúdinem plebi ſuæ: * benedíctus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. *v.* 12.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucẽ ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei.

℞. *br.* Æquitas teſtimónia tua * In ætérnum. Æquitas.

℣. Intelléctum da mihi, & vivam. In ætérnum.

Glória. Æquitas. *Pſ.* 118. 144.

℣. Juſtítia tua, juſtítia in

ætérnum. ℟. Et lex tua véritas. *Pſ.* 118. 142.

AD NONAM.

HYMNUS.

LAbénte lucis ſídere,
Ne noſcat occáſum fides
Vigil; tuî nec ímmemor,
Umquam, Deus, ſit Núminis.

Inter procéllas ſæculi
Stet pulſa rupes æquore,
Præſtaque ſanctam dégener
Ne vita detúrpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Infúſa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. I. 6. *A.* Deus.

PSALMUS 70.

Se à Deo edoctam dicit Eccleſia: contra inimicos ſuos auxilium rogat.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum: * in juſtítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & ſalva me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut ſalvũ me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine; * Dómine, ſpes mea à juventúte mea.

In te confirmátus ſum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea ſemper.

Tamquam prodígium factus ſum multis, * & tu adjútor fortis.

Diviſio Pſalmi 70.

REpleátur os meum laude, * ut cantem glóriã tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore ſenectútis; * & cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me;

Quia dixérunt inimíci meĩ mihi; * & qui cuſtodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum; perſequímini, & comprehéndite eum; * quia non eſt qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me; * Deus meus, in auxílium meũ réſpice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ; * operiántur confuſióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperábo, * & adjíciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit juſtítiam tuam, * totâ die ſalutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

Altera diviſio Pſalmi 70.

DEus, docuíſti me à juventúte mea; * & uſ-

que nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et uſque in ſenéctam & ſénium, * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem bráchiū tuum * generatióni omni quæ ventúra eſt,

Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus, quis ſímilis tibi?

Quantas oſtendíſti mihi tribulatiónes multas & malas? * & convérſus, vivificáſti me, & de abyſſis terræ íterum reduxíſti me.

Multiplicáſti magnificéntiam tuam; * & convérſus conſolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus; * pſallam tibi in cíthara, Sanctus Iſrael.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemíſti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuā, * cùm confúſi & reveriti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Deus, docuíſti me à juventúte meâ; & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua. *v.* 17.

Capitulum. Coloſſ. 1. 12. 13.

GRátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine; qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum.

℟. *br.* Exórtum eſt in ténebris * Lumen rectis. Exórtum. ℣. Miſéricors, & miſerátor, (Dóminus) * Lumen. Glória. Exórtum. *Pſ.* 111. 4.

℣. Signátum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Dómine; ℟. Dedíſti lætítiam in corde meo. *Pſ.* 4. 7.

AD VESPERAS.

Ant. *t.* 1. *D.* Crédidi.

PSALMUS 115.

Ob firmam fidem, ſibi auxilium Dei ſpondet juſtus.

CRédidi, propter quod locútus ſum; * ego autem humiliátus ſum nimis.

Ego dixi in excéſſu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem ſalutáris accípiā, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretióſa in conſpéctu Dómini mors ſanctórum ejus.

O Dómine, quia ego ſervus tuus; * ego ſervus tuus & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupíſti víncula mea; * tibi ſacrificábo hoſtiam laudis, & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conſpéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jeruſalē.

Ant. Crédidi, propter quod locútus ſum. *v.* 10.

Ant. *t.* 2. *D* Confirmáta eſt.

PSALMUS 116.

Quod géntibus innotuerit véritas; Dei laudatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta eſt ſu-

per nos miſericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus; & véritas Dómini manet in ætérnum. *v.* 2.

Ant. t. 3. *A.* Magnificávit.

PSALMUS 125.

Apoſtolorum labores multi; ſed meſſis abundans.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes; * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mitténtes ſémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: facti ſumus lætántes. *v.* 3.

Ant. t. 3. *A.* Confitémini.

PSALMUS 135.

Ex operibus mirandis laudatur Dominus.

COnfitémini Dño quóniam bonus; * quóniam in ætérnũ miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna ſolus; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intelléctu; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui firmávit terram ſuper aquas; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui fecit lumінária magna; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Solem in poteſtátem diéi; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Lunam & ſtellas in poteſtátem noctis; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui percúſſit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui edúxit Iſraël de médio eórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

In manu poténti, & bráchio excélſo; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui divíſit mare rubrum in diviſiónes; * quóniam in ætérnũ miſericórdia ejus;

Et edúxit Iſraël per médium ejus; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et excúſſit Pharaónem, & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui tradúxit pópulum ſuũ

per deſértum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui percúſſit reges magnos; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et occídit reges fortes; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et Og regem Baſan; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditatem; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Hæreditátem Iſrael ſervo ſuo; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Quia in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî; * quóniã n ætérnum miſericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis noſtris; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Qui dat eſcam omni carni; * quoniã in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Confitémini Dómino dóminórum; * quóniam in ætérnum miſericórdia ejus;

Ant. Confitémini Dómino qui fecit ſolem in poteſtátem diéi; lunam & ſtellas in poteſtátem noctis. *v.* 1. 7. 8. 9.

Ant. t. 5. *A* Non fecit.

PSALMUS 147.

Eccleſia ad laudes Dei invitatur, quòd ei eloquia ſua commiſerit.

LAuda, Jeruſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedixit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacẽ; * & ádipe frumẽti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanã; * nébulam ſicut cínerẽ ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum ſuũ Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Non fecit táliter omni natióni; & judícia ſua non manifeſtávit eis. *v.* 20.

Capitulum. Eph. 6. 14. 16.

STate ergo ſuccíncti lumbos veſtros in veritáte, & indúti lorícã juſtítiæ, in ómnibus ſuméntes ſcutũ fídei.

HYMNUS.

O Quanta ſurgit glória
Tibi, Creátor síderũ!
His te Deum micántibus
Offers legéndum lítteris.

Vis: luna, ſolque pródeunt;
Stellæ repónunt, ádſumus;
Dedúcis hinc volúbiles
Naſcéntis ævi círculos.

At ſempitérna véritas,

Cùm per fidem nos édoces,
Ades, Deus, lux méntium
Noſtríſque lumen sémitis.
Caliginóſos ſæculi
Nos inter æſtus dírige,
Quæ te fidéli præviam
Lucérna nudas péctori.
Credo, Deus, ſed débilem
Auge fidem, quâ mílito:
Hæc lumen addat méntibus,
Cordíque robur ínſerat.
Scutum fides nos índuat,
Quo conſecrári mílites,
Divína Chriſti prælia
Non deſerámus transfugæ.
Sit ſumma Patri gloria:
Sit ſumma Nato, qui fidem
Cruóre quæsívit ſuo:
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Diſciplínam, & ſciéntiam doce me; ℟. Quia mandatis tuis crédidi. *Pſalm.* 118. 66.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 6. Exultavit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. *Luc.* 1. 47.

FERIA QUINTA.

Dixit Deus: Producant aquæ, &c. Gen. 1. *Eâdem die animæ cibum Chriſtus Euchariſtiam inſtituit.*

OFFICII FINIS.

Deus in ſua erga homines charitate adorandus: hinc amor Dei & proximi.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Deum, qui cháritas eſt, * Veníte, adorémus. 1. *Joan.* 4. 16.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 4. *E.* Ure.

PSALMUS 25.

Quàm ſuave puræ conſcientiæ teſtimonium: decorem domûs Dei diligit juſtus.

Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréſſus ſum; * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me: ure renes meos, & cor meum:

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis; * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium; * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enárrem univérſa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam; * & cum viris ſánguinum vitam meam,

In quórum mánibus iniquitátes ſunt; * déxtera eorum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréſſus ſum: * rédime, & miſerére meî.

Pes meus ſtetit in dirécto: * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 39.

Antiquarum hoſtiarum loco ſe ſubſtituit Chriſtus: ipſe obedientiæ typus.

EXpéctans expectávi Dóminũ, * & inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas; * & edúxit me de lacu miſériæ & de luto fæcis.

Et ſtátuit ſuper petram pedes meos: * & diréxit greſſus meos.

Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

Vidébunt multi & timébunt, * & ſperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus, * & non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas.

Multa feciſti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui símilis ſit tibi.

Annuntiávi & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

Sacrifíciũ & oblatiónẽ noluíſti;* aures autẽ perfeciſti mihi.

Holocaúſtum & pro peccáto non poſtulaſti; * tunc dixi; Ecce vénio.

In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuã: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna; * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti.

Juſtitiã tuam non abſcóndi in corde meo; * veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi.

Non abſcóndi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me: * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ ſunt ſuper capíllos cápitis mei; * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Domine, ut éruas me *: Dómine, ad adjuvándum me réſpice.

Confundántur & revereántur ſimul, qui quærunt ánimam meã, * ut aúferant eam.

Convertántur retrórſum, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféſtim confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent, & læténtur ſuper te omnes quæréntes te; * & dicant ſemper: Magnificétur Dominus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego autem mendícus ſum, & pauper: * Dóminus ſollícitus eſt meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale: Chriſti, & eccleſiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego

ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Specióſus formâ præ filiis hóminum; diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátẽ: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíſcere populum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet Rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes divites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intus, * in fímbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * proximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitébuntur tibi in ætérnum, * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Ure renes meos & cor meum, Domine. *Pſ.* 25. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant I. 7. *D.* Dóminus.

PSALMUS 45.

Eccleſia ex Dei tuteiâ & beneficiis inconcuſſa.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenerunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat

civitátem

civitátem Dei: * ſanctificá-vit tabernáculum ſuum Altiſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte opera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram; * auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dñus virtútum nobíſcum, * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Mirabilis Chriſti in Eccleſiam beneficentia.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eã.

Quóniam eccè reges terræ congregáti ſunt; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpiritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleótimini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 60.

Juſtus ab inimicis liberatus: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula; * prótegar

in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Permanet in ætérnum in conſpéctu Dei: * miſericordiam & veritátem ejus quis requiret?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dóminus virtútum nobíſcum, ſuſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 5. a. Grátiam.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum pacificum, amplum, & omni bonorum copiâ felix.

DEus, judícium tuum regi da; * & juſtítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia, * & paúperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo, * & colles juſtítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios paúperum, * & humiliábit calumniatórem;

Et permanébit cum ſole, & ante lunam; * in generatióne & generatiónem.

Deſcendet ſicut plúvia in vellus, * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare; * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent, * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes ſérvient ei;

Quia liberábit paúperem à poténte; * & paúperem cui non erat adjutor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum ſalvas faciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eorũ coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipſo ſemper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus: * & floróbunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſæcula: * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábũt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum; * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

PSALMUS 83.

Ex ſummis domûs Dei bonis, vehementer in atria Domini deſiderat juſtus.

QUàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivũ.

Etenim paſſer invenit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaúdi oratiónem meam; * auribus pércipe, Deus Jacob.

Protéćtor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui;

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjéćtus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

PSALMUS 86.

Quantùm Eccleſiam prædiligit Chriſtus.

FUndaménta ejus in móntibus ſanćtis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dićta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio eſt in te.

Ant. Grátiam & glóriam dabit Dóminus. *Pſ.* 83. 12.

℣. In die mandávit Dó-

minus miſericórdiam ſuam; ℟. Et noĉte cánticum ejus. *Pſ.* 41. 9.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia in te ſperávi. *Pſ.* 142. 8.

Ant. t. 1. d. Parátum

PSALMUS 107.

Ad Dei mutum paratum cor juſti: vana ſalus hominis; ſolus ſalvans Deus.

PArátũ cor meum, Deus, parátũ cor meum: * cantábo, & pſallã in glória mea.

Exúrge, glória mea: exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * exultábo & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos, * & non exíbis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

Ant. Parátum cor meum, Deus; cantábo, & pſallam in glória mea. *v.* 2.

Ant. t. 6. f. Laudáte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus; * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 5. a. Cibávit.

PSALMUS 80.

Exultandum Deo qui tot beneficia contulit.

EXultáte Deo adjutóri noſtro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite pſalmum, & date tympanum; * pſaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die ſolemnitátis veſtræ:

Quia præcéptum in Iſrael eſt, * & judícium Deo Jacob.

Teſtimónium in Joſeph póſuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguâ quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorſum ejus, * manus ejus in cophino ſerviérunt.

In tribulatióne invocáſti me, & liberávi te; * exaudívi te in abſcóndito tempeſtátis, probávi te apud aquã contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & conteſtábor te, * Iſrael, ſi audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim ſum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meã, * & Iſrael non inténdit mihi.

Et dimíſi eos ſecúndùm deſidéria cordis eórum, * ibunt in adinvẽtionibus ſuis.

Si pópulus meus audíſſet me, * Iſrael ſi in viis meis ambuláſſet,

Pro níhilo fórſitan inimícos eórum humiliáſſem, * & ſuper tribulántes eos miſíſſem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti ſunt ei; * & erit tempus eórum in ſæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle ſaturávit eos.

Ant. Cibávit eos ex ádipe fruménti; & de petra, melle ſaturávit eos. *v.* 17.

Ant. t. 3. *A.* Hauriétis.

CANTICUM ISAIÆ 12.

Confitebor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fontibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſrael.

Ant. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. *Iſ.* 12. 3.

In Feſtis dicitur, CANTICUM *Tob.* 13.

Benedícite Dñm, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúſalem cívitas Dei, * caſtigávit te Dóminus in opé-

ribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, * & bénedic Deum ſæculórum,

Ut reædíficet in te tabernáculum ſuum, & révocet ad te omnes captívos, * & gaúdeas in ómnia ſæcula ſæculórum.

Luce ſplendidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient: * & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum,

Et terram tuã in ſanctificatiónẽ habébunt. * Nomen enim magnũ invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictique erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabuntur ad Dóminum.

Glória Patri, &c.

Ant. t. 3. A. Regnábit.

PSALMUS 145.

Non hominibus fidendum, ſed Deo, cujus opera & beneficia narrantur.

Lauda, ánima mea, Dóminũ; * laudabo Dóminum in vita mea; pſallã Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos: * Dñus illúminat cæcos:

Dóminus érigit eliſos: * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula Deus tuus, Sion, * in generatiónẽ & generatiónem.

Ant. Regnábit Dóminus in ſæcula Deus tuus, Sion. *v.* 10.

Capitulum. Deut. 10. 12.

Israel, quid Dóminus Deus petit à te, niſi ut tímeas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota ánima tua?

℣. Quàm bonus Iſrael Deus,

℟. His qui recto ſunt corde! *Pſ.* 72. 1.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *F.* Eréxit cornu ſalútis nobis, in domo David púeri ſui. *Luc.* 1. 69.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

Terris redux ſol émicat;
Aris litándus mox adeſt
Chriſtus: miníſtri Núminis,

Hymnos ſacris præmittite.
Non læſa tortóris manu
Procúmbit inſons hóſtia:
Hæc incruénto cæditur
Amóris enſe víctima.

Qui charitáte præviâ
Nos, Chriſte, tantùm díligis,
Te quanta nobis óptimum
Probant paréntem pígnora!

Ad hunc canálē, quo fluūt
Noſtræ ſalútis rívuli,
Mens currat, & cæléſtium
Prælíbet undas flúminum.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúſa córdibus
Ardéſcit imis cháritas. Amen.

Ant. t. 5. a. Miſericórdias.

PSALMUS 88.

Miſericordia Dei canticum: promiſſiones Davidi factæ; Christum differri humilis querela.

MIſericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixíſti: In ætérnum miſericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Diſpóſui teſtaméntū eléctis meis; * jurávi David ſervo meo: Uſque in ætérnum præparábo ſemen tuum;

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * ſedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in eccléſia ſanctórum;

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino, * ſimilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio ſanctórū, * magnus & terríbilis ſuper omnes, qui in circúitu ejus ſunt.

Dómine Deus virtútum, quis ſímilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris poteſtáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliáſti ſicut vulnerátum, ſupérbum: * in bráchio virtútis tuæ diſperſíſti inimícos tuos.

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundáſti; * Aquilónem & mare tu creáſti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt; * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua; * juſtítia & judícium præparátio ſedis tuæ.

Miſericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 88.

BEátus pópulus, * qui ſcit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in juſtítia tua exaltabúntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu noſtrum:

Quia Dómini eſt aſſúmptio noſtra, * & ſancti Iſrael regis noſtri.

Tunc locútus es in viſióne ſanctis tuis, & dixíſti: * Póſui adjutórium in poténte, & exaltavi eléctum de plebe meâ.

Invéni David ſervũ meũ, * óleo ſancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non apponet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo; * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipſe invocábit me: * Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſcéptor ſalútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelſum præ régibus terræ;

In ætérnum ſervábo illi miſericórdiam meam, * & teſtaméntum meum fidéle ipſi.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, * & thronum ejus ſicut dies cœli.

Si autem dereliquerint fílii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si juſtítias meas prophanáverint, * & mandata mea non cuſtodierint:

Viſitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus péccata eórum:

Miſericórdiam autem meã non diſpérgam ab eo; * neque nocebo in veritate mea;

Neque profanábo teſtaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Glória Patri, &c.

Altera Divíſio Pſalmi 88.

SEmel jurávi in ſancto meo, ſi David méntiar; * Semen ejus in ætérnũ manébit:

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpéctu meo, & ſicut luna perfécta in æternum: * & teſtis in cœlo fidélis.

Tu verò repuliſti & deſpexíſti; * diſtuliſti Chriſtum tuum.

Evertíſti teſtaméntum ſervi tui, * profanáſti in terra ſanctuárium ejus.

Deſtruxíſti omnes ſepes ejus; * poſuíſti firmaméntum ejus formídinem:

Diripuérunt eum omnes tranſeúntes viam; * factus eſt oppróbrium vicínis ſuis.

Exaltáſti déxteram depriméntiũ eum; lætificáſti omnes inimícos ejus;

Avertíſti adjutórium gládii ejus, * & non eſt auxiliátus ei in bello;

Deſtruxíſti eum ab emundatióne; * & ſedem ejus in terram colliſiſti:

Minoráſti dies témporis

ejus : * perfudíſti eum confuſióne.

Uſquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéſcet ſicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea ſubſtántia : * numquid enim vanè conſtituíſti omnes fílios hóminum?

Quis eſt homo, qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam ſuam de manu ínferi.

Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Domine, * ſicut juráſti David in veritáte tua?

Memor eſto, Dómine, oppróbrii ſervórum tuórũ, * quod contínui in ſinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt cõmutatiónem Chriſti tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Glória, &c.

Ant. Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo. *v.* 2.

In Feriali Officio Capitulum. *Iſ.* 55. 1.

OMnes ſitiéntes, veníte ad aquas : & qui non habétis argéntum, properáte, émite, & comédite.

Reliqua ut ad Feriam 2.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Qui ſcates fons grátiæ,
Votis favéto, Spíritus;
Versáre mentes éfficax
Nutu, rebélles állice.

Tu pectus aufer sáxeum,
Tu cárneum pectus crea;
Nobíſque ſis, quâ férvidi
Te diligamus, cháritas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes ſacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. t. 3. *E.* Lætétur.

PSALMUS 104.

Beneficia Iſraeli collata enumerantur.

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine ſancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus ſemper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus & judícia oris ejus,

Semen Abraham, ſervi ejus; * fílii Jacob elécti ejus.

Ipſe Dóminus Deus noſter; * in univérſa terra judícia ejus.

Memor fuit in ſæculum teſtaménti ſui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod diſpóſuit ad Abraham; * & juraménti ſui ad Iſaac :

Et ſtátuit illud Jacob in præcéptum, * & Iſrael in teſtaméntum ætérnum;

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis veſtræ.

Cùm eſſent número brevi, paucíſſimi, * & íncolæ ejus;

Et pertranſiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere chriſtos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári. Glória.

Dviſio Pſalmi 104. Et

VOcavit (Dóminus) famem ſuper terram, * & omne firmaméntum panis contrívit.

Miſit ante eos virum; * in ſervum venúmdatus eſt Joſeph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránſiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum; * miſit rex; & ſolvit eum; princeps populórum, & dimíſit eum.

Conſtítuit eum Dóminum domûs ſuæ, * & príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ;

Ut erudíret príncipes ejus ſicut ſemetípſum, * & ſenes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Iſrael in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum ſuum vehemēter: * & firmávit eum ſuper inimícos éjus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in ſervos ejus. Glória.

Altera diviſio Pſalmi 104.

MIſit (Dóminus) Moyſen ſervum ſuum, * Aáron, quem elégit ipſum.

Póſuit in eis verba ſignórum ſuórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Miſit tenebras, & obſcurávit; * & non exacerbávit ſermónes ſuos.

Convértit aquas eórum in ſánguinē; * & occídit piſces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cíniphes * in ómnibus fínibus eórum.

Póſuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percúſſit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locúſta, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eorum.

Et percúſſit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro; * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta eſt Ægyptus in profectióne eórum, * quia incúbuit timor eórum ſuper eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum; * & ignem

ut lucéret eis per noctem.

Petiérũt, & venit cotúrnix;* & pane cœli ſaturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in ſicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi ſancti ſui, * quod hábuit ad Abraham púerum ſuum:

Et edúxit pópulum ſuum in exultatióne;* & electos ſuos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórũ poſſedérunt;

Ut cuſtódiant juſtificatiónes ejus, * & legem ejus requírant. Glória, &c.

Ant. Lætétur cor quæréntium Dóminum. *v.* 3.

Capitulum. I. *Joan.* 4. 16.

DEus cháritas eſt: & qui manet in charitáte in Deo manet, & Deus in eo.

℟. *br.* Díligam te, Dómine, * Fortitúdo mea. Díligam. ℣. Dóminus firmaméntum meum & refúgium meum. * Fortitúdo mea: Glória Patri, &c. Díligam *Pſal.* 17. 2. 3.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum eſt: ℟. Ponere in Dómino ſpem meam. *Pſ.* 72. 28.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUo dante ſol ardet, Deus,
Ignes malígnos cómprime;
Ne membra rixæ dívidant
Quæ panis unus cólligat.

Quæ Numen unum máximum
Simúlque fratres díligit,
Ramis duóbus múltiplex
Eſt una virtus charitas.

Tibi, Pater, ſit glória,
Par Fílio, cum Spíritu,
Qui pacis auctor mútuis
Fratres revíncis néxibus.
Amen.

Ant. t. 7. c. Víſita nos.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei: Judæorum ingratus animus.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui cuſtódiunt judícium, * & fáciunt juſtítiam in omni témpore.

Meménto noſtri, Dómine, in beneplácito pópuli tui, * víſita nos in ſalutari tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándũ in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tuâ. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 105.

PEccávimus cum pátribus noſtris, * injúſtè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres noſtri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis miſericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt aſcendéntes in mare * mare rubrum;

Et ſalvávit eos propter nomen ſuum: * ut notam fáceret poténtiam ſuam;

Et increpuit mare rubrum, & exſiccátum eſt; * & dedúxit eos in abyſſis ſicut in deſérto;

Et ſalvávit eos de manu odientium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et operuit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánſit.

Et crediderunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt; obliti ſunt óperum ejus; * & non ſuſtinuérunt consílium ejus;

Et concupiérunt concupiſcéntiam in deſérto; * & tentavérunt Deum in inaquóſo;

Et dedit eis petitiónem ipsorum, * & miſit ſaturitatem in ánimas eórum.

Et irritaverunt Móyſen in caſtris, * Aáron ſanctum Dómini.

Apérta eſt terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit ſuper congregatiónem Abiron;

Et exárſit ignis in ſynagóga eórum, * flamma combúſſit peccatóres.

Et fecerunt vítulum in Horeb; * & adoravérũt ſcúlptile;

Et mutavérunt glóriam ſuam * in ſimilitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti ſunt Deum qui ſalvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes eléctus ejus ſtetiſſet in confractióne, in conſpéctu ejus, ut avérteret iram ejus, ne diſpérderet eos;

Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilem: * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuravérũt in tabernáculis ſuis; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum ſuam ſuper eos, * ut proſtérneret eos in deſérto;

Et ut dejiceret ſemen eórum in natiónibus, * & diſpérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti ſunt Beélphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis: * & multiplicata eſt in eis ruina.

Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſſávit quaſſátio:

Et reputátũ eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem uſque in ſempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus eſt Móyſes propter eos;

Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus; * & diſtínxit in lábiis ſuis. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 105.

NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti ſunt inter gentes, * & didicérunt ópera eórum.

Et ſerviérunt ſculptílibus eórum; * & factum eſt illis in ſcándalum;

Et immolavérunt filios

ſuos, * & filias ſuas dæmóniis;

Et effudérunt ſánguinem innocéntem; * ſánguinem filiórum ſuórum, & filiárũ ſuárum, quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

Et inféĉta eſt terra in ſanguínibus, & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicati ſunt in adinventiónibus ſuis.

Et irátus eſt furóre Dóminus in populum ſuum,* & abominátus eſt hæreditátem ſuam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti ſunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti ſunt ſub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos: * ipſi autem exacerbavérunt eum in conſílio ſuo; & humiliáti ſunt in iniquitátibus ſuis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eórum;

Et memor fuit teſtaménti ſui; * & pœnítuit eum ſecúndùm multitúdinem miſericórdiæ ſuæ.

Et dedit eos in miſericórdias, * in conſpeĉtu ómniũ qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter, * & cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini ſanĉto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíĉtus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo & uſque in ſæculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat. Glória, &c.

Ant. Víſita nos in ſalutári tuo, Dómine, ad vidéndum in bonitáte eleĉtórum tuórum. *v.* 4. 5.

Capitulum. I. *Cor.* 10. 17.

Unus panis, unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane participámus.

℟. *br.* Propter fratres meos, & próximos meos, * Loquébar pacem de te. Propter.

℣. Propter domum Dómini Dei noſtri, quæſívi bona tibi. * Loquébar. Glória Patri. Propter. *Pſ.* 121. 8. 9.

℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, ℟. Habitáre fratres in unũ. *Pſ.* 132. 1.

AD NONAM.

HYMNUS.

Dum ſol recédit, próximo
Locum relínquens véſperi,
Ne delitéſce méntibus,
Lux vera, Chriſti grátia.

Erróris expers ámbulat
Quicúmque te currit duce,
A calle dévius perit
Te quiſquis amens ábdicat.

Laus ſit Patri cum Fílio:
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui luce greſſus præviâ
Noſtros benígnè dírigis.
Amen.

Ant. t. 6. f. Confitémini.

PSALMUS 106.

Deus ſuos bonis cumulare amat.

Confitémini Dño quóniam bonus, * quóniam in ſæculum miſericórdia ejus.

Dicant qui redémpti ſunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci:

Et de regiónibus congregávit eos: * à ſolis ortu & occáſu: ab aquilóne & mari:

Erravérunt in ſolitúdine in inaquóſo; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſuriéntes, & ſitiéntes; * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia ſatiávit ánimam inánem; * & ánimã eſurientem ſatiávit bonis;

Sedéntes in ténebris, & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; * & víncula eórum diſrúpit.

Confiteántur Domino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 106.

SUſcépit eos (Dóminus) de via iniquitatis eórum; * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem éſcam abomináta eſt ánima eórum; * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis;

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos

Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et ſacríficent ſacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcéndunt mare in návibus; * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & ſtetit ſpíritus procéllæ, * & exaltati ſunt fluctus ejus:

Aſcéndũt uſque ad cœlos, & deſcéndunt uſque ad abyſſos; * ánima eórum in malis tabeſcébat:

Turbáti ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius; * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt:

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de neceſſitátibus eórum edúxit eos:

Et ſtátuit procéllam ejus in auram, * & ſiluérunt fluctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus; * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in eccléſia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

Glória, &c.

Altera Diviſio Pſalmi 106.

POſuit, (Dóminus) flúmina in desértum; * & éxitus aquárum in ſitim:

Terram fructíferam in ſalſúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Póſuit desértum in ſtagna aquárum, * & terram ſine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illìc eſuriéntes, * & conſtituérunt civitátem habitationis;

Et ſeminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti ſunt nimis; * & juménta eorum non minorávit.

Et pauci facti ſunt, * & vexáti ſunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúſa eſt contémptio ſuper príncipes, * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & póſuit ſicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iníquitas oppilábit os ſuum.

Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? * & intélliget miſericórdias Dómini? Glória, &c.

Ant. Confitémini Dómino quóniam bonus; quóniā in ſæculum miſericórdia ejus. *v.* I.

Capitulum. Epheſ. 2. 4. 5. 7.

DEus, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam charitátem ſuā quâ diléxit nos, convivificavit nos in Chriſto; ut oſténderet in ſæculis ſuperveniéntibus abundántes divítias grátiæ ſuæ.

℞. *br.* Replébimur, Dñe * In bonis domûs tuæ. Replébimur. ℣. Sanctum eſt templū tuum; mirábile in æquitáte. * In bonis. Glória. Replébimur. *Pſ. 64. 5. 6.*

℣. Veníte, narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Pſ. 65. 16.*

AD VESPERAS.

Ant. t. I. D. Rogáte.

PSALMUS 121.

Eccleſiæ concordia, pietas, & dotes celebrantur.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jeruſalem;

Jeruſalem, quæ ædificátur ut cívitas; * cujus participátio ejus in idipſum:

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini; * teſtimónium Iſrael ad confitendum nómini Dómini;

Quia illic ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abūdántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquebar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

Ant. Rogáte quæ ad pacē ſunt Jerúſalem, & abundantia diligéntibus te. *v. 6.*

Ant. t. 3. E. Ecce.

PSALMUS 127.

Quàm proſperæ ſint res timentibus Deum.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui ſicut novéllæ olivárum * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo * qui timet Dominum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúſalem ómnibus diébus vitæ tuæ;

Et vídeas filios filiórum tuórū; * pacem ſuper Iſrael.

Ant. Ecce ſic benedicétur homo, qui timet Dóminum. *v. 4.*

Ant. t. 5. a. Elégit.

PSALMUS 131.

Oratio Eccleſiæ Chriſtum & ejus gratias depoſcentis.

MEménto, Dñe, David, * & omnis manſuetúdinis ejus;

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dedero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locū Dómino: * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta; * invénimus eam in campis ſylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdotes tui induántur juſtítiam; * & ſancti tui exúltent.

Propter David ſervū tuū, * non avértas fáciē Chriſti tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrabitur eum; * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum, * & teſtimónia mea hæc, quæ docébo eos;

Et filii eórum uſque in ſæculum * ſedébunt ſuper ſedem tuam;

Quóniam

Quóniam elégit Dóminus Sion; * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi; * hìc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam; * paúperes ejus ſaturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam ſalutári; * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illùc prodúcam cornu David; * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne: * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

Ant. Elégit Dóminus Sion, elégit eam in habitatiónem ſibi. *v.* 13.

Ant. t. 1. *irreg.* Illìc.

PSALMUS 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

ECce quàm bonum, & quàm jucúndum,* habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, quod deſcéndit in barbã, barbam Aáron; * quod deſcéndit in oram veſtiménti ejus:

Sicut ros Hermon; * qui deſcéndit in montem Sion:

Quóniam illìc mandávit Dóminus benedictiónem; * & vitam uſque in ſæculum.

Ant. Illìc mandávit Dóminus benedictiónem, & vitam uſque in ſæculum. *v.* 3.

Ant. t. 5. *A.* In quacúmque.

PSALMUS 137.

Beneficentia & veritas Dei exaltantur.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniã audiſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum;

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me: * multiplicábis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audierunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna eſt glória Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me; * Dómine, miſericórdia tua in ſæculum; ópera mánuũ tuárum ne deſpícias.

Ant. In quacúmque die invocávero te, multiplicábis in ánima mea virtútem. *v.* 3.

Capitulum. Heb. 4. 16.

ADeámus ergo cum fiducia ad thronum grá-

tiæ; ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniamus in auxílio opportúno.

Hymnus.

A Quæ vocáti flúctibus
Piſces natant, volant aves:
Utrúmque mortáli genus
Parátur eſca córpori.

Sed quis parátur cœlitùs
Menti cibus! vos Angeli,
Stupéte vero véſcimur,
Quo vos beáti Númine.

O mira Chriſti cháritas
Tantùm tuos quæ díligis!
Corpus, futúram víctimam,
Noſtris cibum das méntibus.

Splendóris ímmemor tuî
Noſtræ ſalútis ánxius,
Ut nos ad alta próvehas,
Ad ima deſcéndis, Deus.

Per mille fuſum vúlnera
Orbi rependis sánguinem:
Hoc fonte currens grátia
Terras inúndans írrigat.

Beata gens, quam pródigâ
Ditáre non ceſſas manu!
Amóris hæc memor tuî,
Amoris & reddat vices.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem reſúſa cordibus
Ardéſcit imis cháritas.
Amen.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus, Deus ejus; ℟. Pópulus, quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

Ad Magnificat: *Ant. t.* 1. *F.* Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. *Luc* 1. 49.

FERIA SEXTA.

Ait Deus: Faciamus hominem, &c: etiam Feriâ ſextâ hominem devium Chriſtus redemit.

OFFICII FINIS.

Deus in ſuâ erga peccatores miſericordiâ adorandus: hinc peccatorum pœnitentia; in adverſis patientia.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Redemptórem noſtrum Dóminum; * Veníte, adorémus. *Iſa.* 47. 4.

Pſ. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant t. 4. *A.* Eripe.

Psalmus 6.

Oratio pœnitentis miſericordiam Dei implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavabo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quoniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecationem meam: * Dóminus oratiónem meã ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valde velóciter.

P s a l m u s 31.

Pia adhortatio, ut quiſque ſe à peccatis abſtrahat.

BEáti quorum remíſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátũ, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quoniã tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * converſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitũ tibi feci, * & injuſtítiam meã non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meũ à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fíeri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eórum conſtrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

P s a l m u s 37.

Mala vitæ ſuſtinenda in peccatorum vindictam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tuâ corrípias me;

Quóniam ſagittæ tuæ infíxæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manum tuã.

Non eſt ſánitas in carne mea à facie iræ tuæ; * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meũ, * & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem; * totâ die contriſtátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei, * advérsùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærebant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non aúdiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo ſupergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum, * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátē meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me; * & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam ſequebar bonitatē.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Ant. Eripe, Dómine, ánimam meam; ſalvum me fac propter miſericórdiam tuā. *Pſ. 6. v. 5.*

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 8. C. Dixi: Dómine.

PSALMUS 40.

Eleemoſynæ meritum: Judæ proditio.

BEátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem; * in die mala liberabit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî; * ſana ánimā meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et ſi ingrediébatur ut vidéret, vana loquebatur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

Egrediebátur forìs; * & loquebatur in idipſum.

Advérsùm me ſuſurrábant

omnes inimíci mei; * advérſùm me cogitábãt mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſerére meî, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo, & uſque in ſæculum; * Fiat, fiat.

PSALMUS 54.

A fictis amicis ſervari erat Chriſtus.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam;* inténde mihi, & exaúdi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea; * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me; & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? * & volábo, & requiéſcam.

Ecce elongávi fúgiens; * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit * à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixíſſet mihi, * ſuſtinuíſſem útique;

Et ſi is, qui óderat me, ſuper me magna locútus fuiſſet, * abſcondíſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſénſu.

Véniat mors ſuper illos, * & deſcéndant in inférnum vivéntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus ſalvábit me.

Véſperè, & manè, & merídie narrábo & annũtiábo; *

& exaúdiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi ;* quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos ,.* qui eſt ante ſæcula.

Non enim eſt illis commutátio,& non timuérunt Deũ;* extendit manum ſuam in retribuéndo.

Contaminavérunt teſtamẽtum ejus, divíſi ſunt ab ira vultûs ejus ; * & appropinquavit cor illius.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper oleum ; * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet : * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritûs.

Viri sánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos ; * ego autem ſperábo in te, Dómine.

PSALMUS 58.

Eccleſiæ zelus adverſùs impios.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus ; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum ſalva me ;

Quia ecce cepérunt ánimam meam ; * irruérunt in me fortes ;

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine ; * ſine iniquitáte cucurri, & diréxi.

Exúrge in occúrſum meum ; & vide ; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſrael,

Inténde ad viſitándas omnes gentes : * non miſereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad véſperam ; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum ; * quóniam quis audívit ?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam, quia Deus ſuſcéptor meus es : * Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me.

Deus oſténdet mihi ſuper inimícos meos, * ne occídas eos, nequándo obliviſcántur pópuli mei.

Diſpérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum, * & comprehendántur in ſupérbia ſua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in conſummatióne, * in ira conſummatiónis, & non erunt.

Et ſcient, quia Deus dominábitur Jacob, * & fínium terræ.

Converténtur ad véſperam ; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipſi diſpergéntur ad manducándum ; * ſi verò non fúerint ſaturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultabo manè miſericórdiam tuam ;

Quia factus es ſuſcéptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi pſallam, quia Deus ſuſcéptor meus es ; * Deus meus, miſericórdia mea.

Ant. Dixi : Dómine, miſerére mei : ſana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. D. Da nobis.

PSALMUS 59.

Synagogæ afflictæ flebilis quærimonia : auxilii divini deprecatio.

DEus, repulíſti nos, & deſtruxíſti nos ; * irátus es, & miſértus es nobis.

Commovíſti terram, & conturbáſti eam : * ſana contritiónes ejus, quia commóta eſt.

Oſtendíſti pópulo tuo dura ; * potáſti nos vino compunctiónis.

Dedíſti metuéntibus te ſignificatiónem ; * ut fúgiant à fácie arcûs ;

Ut liberéntur dilécti tui : * ſalvum fac dexterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo ; * Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes, * & Ephraim fortitúdo cápitis mei ;

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum ; * mihi alienígenæ ſubditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis deducet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos ? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem ; * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

PSALMUS 69.

Chriſti ſibi opem poſcentis oratio.

DEus, in adjutórium meum inténde : * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum, & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi ; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te ; * & dicant ſemper : Magnificétur Dóminus, qui díligunt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper ſum ; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

PSALMUS 87.

Chriſtus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, ſe Deo commendat.

DOmine Deus ſalútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conſpéctu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta eſt malis ánima mea; * & vita mea inférno appropinquávit.

Æſtimatus ſum cum deſcendéntibus in lacum; * factus ſum ſicut homo ſine adjutório, inter mortuos liber;

Sicut vulneráti dormientes in ſepúlchris, quorum non es memor ámpliùs; * & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferióri, * in tenebróſis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus eſt furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Longè feciſti notos meos à me; * poſuérunt me abominatiónem ſibi

Tráditus ſum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inopia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici ſuſcitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua, * & juſtítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Domine, repéllis oratiónem meam, * avértis fáciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus ſum & conturbátus.

In me tranſiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me ſicut aqua totâ die; * circumdedérunt me ſimul.

Elongáſti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Da nobis auxílium de tribulatióne; quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

℣. Lavábo per ſíngulas noctes lectum meum, ℟. Lácrymis meis ſtratum meum rigábo. *Pſ.* 6. 7.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Manè aſtábo tibi, & vidébo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Pſ* 5 5.

Ant. t. 8. C. Cor contrítum.

PSALMUS 50.

Pœn tentis anima amara contritio.

MIſerére mei, Deus, * ſecúndùm magnã miſericórdiam tuam;

Et ſecundum multitúdi-

nem miſeratiónum tuarũ, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ, * & a peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátẽ meam ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor: * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principali confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dediſſem útique; * holocauſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntate tua Sion; * ut ædificentur muri Jeruſalẽ.

Tunc acceptábis ſacrifíciũ juſtítiæ, oblatiónes & holocaúſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies. *v.* 19.

In Feſtis loco Pſalmi Miſeréré, *dicitur Pſ.* 92. Dóminus regnávit decórem, &c. *in Dominicâ ad Laudes pag.* 9.

Ant. t. 7. C. Dómine.

PSALMUS 5.

Contra malignos auxilium deprecatur juſtus.

Verba mea auribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátẽ; * perdes om-

nes qui loquúntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus;

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui ſperant in te; * in ætérnum exultábunt; & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuũ; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, intéllige clamórem meum. *v.* 2.

Ant. t. 2. *D.* Citò.

PSALMUS 78.

Urbis & templi vaſtitas: perſecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum ſanctum tuum, * poſuérunt Jerúſalem in pomórum cuſtódiam.

Poſuérunt morticína ſervórum tuórum, eſcas volatílibus cœli, * carnes ſanctórum tuórum béſtiis terræ.

Effudérunt ſánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúſalem; * & non erat qui ſepelíret.

Facti ſumus oppróbrium vicínis noſtris; * ſubſannátio & illúſio his qui in circúitu noſtro ſunt.

Uſquequò, Dómine, iraſcéris in finem, * accendétur, velut ignis, zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus deſolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárum, citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; * quia páuperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; * & propítius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi eſt Deus eórum?

Et innotéſcat in natiónibus coram óculis noſtris * últio ſánguinis ſervórum tuórum, qui effúſus eſt:

Introëat in conſpéctu tuo gémitus compeditórum; *

ſecúndùm magnitúdinẽ bráchii tui póſſide fílios mortificatórum;

Et redde vicínis noſtris séptuplum in ſinu eórum; * impropérium ipſórum quod exprobravérunt tibi, Dñe.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſæculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; quia paúperes facti ſumus nimis. *v.* 8.

Ant t. 4. *A.* Cùm irátus.

CANTICUM Habacuc. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annorum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

Deus ab Auſtro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena eſt terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus:

Ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus: * ante fáciem ejus ibit mors;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus, * ſtetit, & menſus eſt terram.

Aſpéxit, & diſſólvit gentes; * & contríti ſunt montes ſæculi.

Incurváti ſunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui aſcéndes ſuper equos tuos; * & quadrígæ tuæ, ſalvátio.

Súſcitans ſuſcitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios ſcíndes terræ; vidérunt te, & doluérunt montes; * gurges aquárum tránſiit.

Dedit abyſſus vocem ſuã; * altitúdo manus ſuas levávit.

Sol & luna ſtetérunt in habitáculo ſuo: * in luce ſagittárum tuárum ibunt, in ſplendóre fulgurántis haſtæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * in furóre obſtupefácies gentes.

Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, * in ſalútem cum chriſto tuo.

Percuſsíſti caput de domo ímpii; * denudáſti fundaméntũ ejus uſque ad collum.

Maledixíſti ſceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad diſpergéndum me.

Exultátio eórum, * ſicut ejus qui dévorat paúperem in abſcóndito.

Viam feciſti in mari equis

tuis, * in luto aquárum multarum.

Audívi, & conturbátus eſt venter meus: * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óſſibus meis, * & ſubter me ſcáteat;

Ut requiéſcam in die tribulationis; * ut aſcendam ad pópulum accínctum noſtrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abſcindétur de ovíli pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jeſu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quaſi cervórum;

Et ſuper excélſa mea dedúcet me victor * in pſalmis canéntem. Glória.

Ant. Cùm irátus fúeris, miſericordiæ recordáberis. ℣. 2.

In Feſtis dicitur CANTICUM *Tob.* 13. 1.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * & in ómnia ſæcula regnum tuum;

Quóniam tu flagellas & ſalvas; dedúcis ad ínferos & redúcis: * & non eſt qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Iſrael, * & in conſpéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ideò diſpérſit vos inter gentes quæ ignórant eum; * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis ſcire eos, * quia non eſt álius Deus omnípotens præter eum.

Ipſe caſtigávit nos propter iniquitátes noſtras; * & ipſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam.

Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; * regemque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam oſténdit majeſtátem ſuam in gentem peccatrícem.

Convertímini itaque, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, * credéntes quòd fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuam.

Ego autem, & ánima mea * in eo lætábimur. Glória.

Ant. t. 7. A. Benedícite.

PSALMUS 95.

Cantatur per Chriſtum facta ſalus: ipſe judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; *

terríbilis eſt ſuper omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Confeſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra; * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniã venit judicáre terram:

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Benedícite nómini ejus; annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus. *v.* 2.

Capitulum. Iſa. 53. 5.

IPſe vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra: diſciplína pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanáti ſumus.

℣. Apud Dóminum miſericórdia: ℟. Et copióſa apud eum redémptio. *Pſ* 129. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Dóminus Deus Iſrael fecit redemptiónem plebis ſuæ. *Luc.* 1. 68.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvam redúxit ſol diem:
Mortis tuæ per grátiam,
O Chriſte, vitæ rédditos
Novis tuére víribus.

Livóre ſanátos tuo,
Tuóque lotos ſánguine,
Peccándo ne novam ſinas,
Paráre nos tibi crucem.

Per damna, per penúrias
Vitæque per diſcrímina,
Da, militémus súbditis
Tibi, Redémptor, córdibus.

Crux eſt gradus, quâ téndere
Ad alta fas eſt átria:
Cœli futúris álterum
Iter negátur cívibus.

O ſempitérna Trínitas,
Nos ferre lætos fac crucem:
Spinis coronátum caput
Membris rubéret mollibus.
Amen.

Ant. t. 8. *C.* Dómine.

PSALMUS 108.

Chriſtus Judæ proditori, aliiſque impiis dignas pœnas; ſibi autem ſalutem precatur.

DEus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolóſi ſuper me apértum eſt.

Locúti ſunt advérsùm me linguâ dolósâ, & ſermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratìs.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Glória Patri, &c.

Diviſio Pſalmi 108.

CONſtítue (Dómine) ſuper eum peccatórem; * & diábolus ſtet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & epiſcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & méndicent, * & ejiciántur de habitatiónibus ſuis.

Scrutétur fœnerátor omnem ſubſtántiam ejus, * & dirípiant alíeni labóres ejus.

Non ſit illi adjútor, * nec ſit qui miſereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam redeat iníquitas patrum ejus in conſpéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum ſemper; * & diſpéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non eſt recordátus facere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem ſicut veſtiméntum; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

Fiat ei ſicut veſtiméntum, quo operítur, * & ſicut zona quâ ſemper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsùs animam meã.

Et tu, Dómine, Domine, fac mecum propter nomen tuum; * quia ſuavis eſt miſericórdia tua. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 108.

LIbera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meum conturbatum eſt intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablatus ſum; * & excuſſus ſum ſicut locúſtæ.

Génua mea infirmata ſunt à jejúnio, * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

Et ego factus ſum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt capita ſua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * ſalvum me fac ſe-

tùndùm misericórdiam tuā.

Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, feciſti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui inſúrgunt in me, confundántur; ſervus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiántur ſicut diplóide confuſióne ſuâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia áſtitit a dextris paúperis, * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus animam meā.

Ant. Dómine, fac mecum propter nomen tuum; quia ſuávis eſt miſericórdia tua. *v.* 21.

In Feriali Officio Capitulum. 1. *Petr.* 2. 20. 21.

SI bene faciéntes patiénter ſuſtinétis; hæc eſt grátia apud Deum; in hoc enim vocáti eſtis.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Spíritus qui póſtulas
Miris gemens ſuſpíriis!
Chriſti fluéntis úberes
Fructus repende ſánguinis.

Cruóre dum litans ſuo
Fit noſtra Chriſtus víctima,
Deo placéntes hóſtias
Mentes amóre conſecra.

Laus ſit Patri, laus Fílio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Qui parta Chriſti ſánguine
Nobis repéndis præmia.
Amen.

Ant. 1. 4. *E.* In multitúdine.

PSALMUS 68.

Variæ paſſionis Chriſti circumſtantiæ.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meā.

Infíxus ſum in limo profúndi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempéſtas demérſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injúſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam; * & delícta mea à te non ſunt abſcóndita.

Non erubéſcant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſrael;

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium, * opéruit confúſio fáciem meam.

Extraneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtiméntum meũ cilícium; & factus ſum illis in parábolam.

Adversum me loquebántur qui ſedébant in porta; * & in me pſallébant qui bibebant vinum.

Ego verò oratiónem meã ad te, Dómine: * tempus beneplácíti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte ſalutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquarum.

Non me demérgat tempéſtas aquæ, neque abſórbeat me profúndum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. Gloria, &c.

Diviſio Pſalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna eſt miſericórdia tua; * ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropériũ meũ, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpéctu tuo ſunt omnes qui tríbulant me; * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit; * & qui conſolarétur, & non inveni

Et dedérunt in eſcam meã fel; * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcuréntur óculi eórum ne vídeant; * & dorſum eórum ſemper incúrva.

Effúnde ſuper eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deſérta; * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitatem eórum; * & non intrent in juſtitiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; & cum juſtis non ſcribántur. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 68.

EGo ſum pauper & dolens: * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant paúperes, & lætentur;

céntur: * quærite Deum, & vivet ánima veſtra;

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Glória, &c.

Ant. In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaúdi me, in veritáte ſalútis tuæ. *v.* 14.

Capitulum. I. *Tim.* 2. 5. 6.

UNus mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus.

℟. *br.* Redemptiónem miſit (Dóminus) * Pópulo ſuo. Redemptiónem.

℣. Mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum. * Pópulo ſuo. Glória. Redemptiónem. *Pſ.* 110. 9.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemíſti. *Pſ.* 70. 23.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi ſolis ignes das, Deus,
Ignes coërce nóxios:
Lethále virus éxulet,
Quo pectus ardet ínvidum.

Extíngue bella plúrimis
Exóſa jam cruóribus
Tuóque germen lítium
Agro nocívum ſúbmove.

O Trínitas, unus Deus,
Te deprecámur ſúpplices,
Unum quibus Chriſtus caput,
Uno movéri ſpíritu. Amen.

Ant. t. 2. *D.* Ne elongáveris.

PSALMUS 21.

Chriſtus moriturus Patrem in cruce obſecrat, ut ſibi adſit.

DEus, Deus meus, réſpice in me; quare me dereliquíſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſrael.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberáſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo, * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locúti ſunt labiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxíſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ;

In te projéctus ſum ex útéro; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 21.

NE diſcéſſeris à me, quóniam tribulátio próxima eſt, * quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum, * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum; * & diſpérſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liquéſcens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faúcibus meis; * & in pulverem mortis deduxíſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi vero conſideravérunt & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtiménta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongaveris auxílium tuum à me; * ad defenſiónem meã cónſpice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio eccléſiæ laudábo te.

Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſrael; * quóniam non ſprevit, neque deſpéxit deprecatiónem paúperis;

Nec avértit fáciem ſuam à me; * & cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna: * vota mea reddam in conſpéctu timéntiũ eum.

Edent paúperes, & ſaturabúntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcéntur & converténtur ad Dóminum * univérſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpéctu ejus * univérſæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini eſt regnum; * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & ſemen meum ſerviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * & annuntiábunt cœli juſtítiam ejus populo qui naſcétur, quem fecit Dóminus.

Glória, &c.

Ant. Ne elongáveris, Dómine, auxílium tuum à me. *v.* 20.

Capitulum. Heb. 12. 2. 3.

ASpiciéntes in Auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui propoſito ſibi gaúdio ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ: recogitáte eum.

℟. *br.* Ego dixi; Dómine, * Miſerére meî. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Miſerére. Glória. Ego. *Pſ.* 40. 5.

℣. Dixi; Confitébor injuſtítiam meam Dómino: ℟. Et tu remiſíſti impietátem peccáti mei. *Pſ.* 31. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

EN orbe noſtro ſol fugit:
Ætérne, tu ſplendor Patris,
Si, Chriſte, nobis óccubes,
Mox cordis umbrat cæcitas.

Quid ergo ceſſas? íngruunt.
Intus, foris perícula
Hoſtine præda línquimur,
Tuo redémpti ſánguine?

Turbáta quid mens flúctuat?
Curâ patérnâ nos regis;
Deus, patérnè quos amas
Tuo beábis lúmine. Amen.

Ant. t. 6. f. In manus tuas,

PSALMUS 30.

Ultima verba Chriſti morientis, & ſe Deo in morte committentis.

IN te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnū: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuā, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commméndo ſpíritum meum: * redemíſti me, Dómine Deus veritátis.

Odíſti obſervántes vanitátes * ſupervacuè.

Ego autem in Dómino ſperávi: * exultabo & lætábor in miſericórdia tua;

Quóniam reſpexíſti humilitátem meam, * ſalváſti de neceſſitátibus ánimam meā;

Nec concluſíſti me in mánibus inimíci; * ſtatuíſti in loco ſpatióſo pedes meos.

Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbriū, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde; * factus ſum tamquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent ſimul advérsùm me, accípere ánimam meam conſiliati ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum: * ſalvum me fac in miſericórdia tua.

Dómine, non confúndar quoniam invocávi te; * erubéſcant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolóſa, * quæ loquúntur advérsùs juſtum iniquitátem, in ſupérbia, & in abuſióne.

Gloria, &c.

Altera diviſio Pſalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abſcondíſti timéntibus te!

Perfeciſti eis qui ſperant in te, * in conſpéctu filiórum hóminum.

Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Proteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quoniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte muníta.

Ego autem dixi in excéſſu mentis meæ; * Projéctus ſum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudíſti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Diligite Dóminum, omnes ſancti ejus; * quoniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus ſupérbiam.

Viriliter ágite, & confortétur cor veſtrum, * omnes qui ſperátis in Dómino.

Gloria, &c.

Ant. In manus tuas commendo ſpiritum meum. *v.* 6.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 15.

PRo ómnibus mortuus eſt Chriſtus; ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mórtuus eſt.

℟. *br.* Ampliùs lava me * Ab iniquitátē mea. Ampliùs. ℣. Et à peccáto meo munda me. * Ab iniquitáte. Glória. Ampliùs. *Pſ.* 50. 4.

℣. Tibi ſoli peccávi, ℟. Et malum coram te feci. *Pſ.* 50. 6.

AD VESPERAS.

Ant. t. 4. *E.* Dominus.

PSALMUS 128.

Recentis eccleſiæ præſſura.

SÆpè expugnaverunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſrael.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres; * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum; * confundántur & convertántur retrórsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priùſquam evellátur, exáruit;

De quo non implévit manum ſuam qui metit; * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit;

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini ſuper vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Dóminus juſtus concídit cervices peccatórum. *v.* 4.

Ant. t. 8. *C.* Ipſe rédimet.

PSALMUS 129.

Redemptio pœnitenti à Chriſto promiſſa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaúdi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copioſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Ipſe rédimet Iſrael ex ómnibus iniquitátibus ejus. *v.* 8.

Ant. t. 2. *D.* Speret.

PSALMUS 130.

Humilitas, gratum Deo ſacrificium.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum; * neque eláti ſunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi animã meam;

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea:

Speret Iſrael in Dómino, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Speret Iſrael in Dómino. *v.* 3.

Ant. t. 8. C. Ne tradas.

PSALMUS. 139.

Se ab improbis defendi precatur Chriſtus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde; * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iniquis éripe me,

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos; * abſcondérunt ſupérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu; * exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbráſti ſuper caput meum in die belli:

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes; in ignem dejícies eos; * in miſeriis non ſubſíſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra; * virum injuſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen juſti confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccatóri. *v.* 9.

Ant. t. 7. C. Elevátio.

PSALMUS 140.

In adverſis patientia.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me; * inténde voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incénſum in conſpéctu tuo: * elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum.

Pone, Dómine, cuſtódiã ori meo, * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excuſándas excuſatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quóniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Abſórpti ſunt juncti petræ júdices eórum; * audient

verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram; * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecus inférnum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; * in te ſperávi, non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. Elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum. *v. 2.*

Capitulum. Hebr. 12. 5. 6.

VObis tamquam fíliis loquitur (Deus,) dicens: Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dominus, caſtígat.

HYMNUS.

HOmo creátur ínnocens,
Spirans imágo Núminis;
Terréſtre córporis lutum
Cœléſtis afflat Spíritus.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebéllis éxcutit,
Deo ſupérbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lædunt vúlnera!
Quanti labóres ópprimunt!
Ni, Chriſte, læſos ſúbleves,
Spes tota ſontes déſerit.

Amóris ô miráculum!
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocéntum ſúſtinet.

Tantone noſtra débuit
Salus parari pígnore?
Cur totus it venis cruor?
Guttam dediſſe ſúfficit.

Homo, valóre víctimæ
Culpæ reátum póndera;
Tanto redémpta ſanguine,
Quantis piánda lúctibus!

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque ſit laus víctimæ,
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succéndis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Ego in flagélla parátus ſum: ℟. Et dolor meus in conſpéctu meo ſemper. *Pſ.* 37. 18.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 8. *c.* Suſcépit Iſrael púerum ſuũ, recordátus miſericórdiæ ſuæ. *Luc.* 1. 54.

SABBATO.

Deus requievit ab omni opere, &c. Gen. 2.

OFFICII FINIS.

Deus remunerator in æterna, quam nobis paravit, requie laudandus: hinc æternæ beatitudinis deſiderium.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum qui inquiréntibus ſe remunerátor eſt,* Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 3. *a.* Quis requiéſcet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *

aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula,* & operátur juſtítiam;

Qui lóquitur veritatem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua,

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérſus próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malignus; * timéntes autem Dóminum gloríficat:

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecuniā ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocéntē non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 16.

Juſtus ab inimicis liberari poſcit: beatitudinis ſpes.

EXaúdi, Dómine, juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónē meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum prodeat: * oculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examinaſti; & non eſt invénta in me iníquitas;

Ut non loquátur os meū ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, * ut non moveántur veſtigia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclina aurem tuam mihi; & exaudi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam oculi.

Sub umbra alárum tuárū prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meā circumdedérunt; ádipem ſuū concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Domine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt filiis; * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparébo conſpéctui tuo: * ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo; æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appropiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo: * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meũ ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantábo, & pſalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelínquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; & confortétur cor tuum, * & ſúſtine Dóminum.

Ant. Quis requiéſcet in monte ſancto tuo? qui ingréditur ſine mácula. *Pſ.* 14. 1. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 6. f. Apud te.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia: juſtitia Dei: juſtorum gloria.

DIxit injúſtus, ut delínquat in ſemetípſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolósè egit in conſpéctu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus ; * noluit intellígere , ut bene ageret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubili ſuo ; áſtitit omni viæ non bonæ ; * malítiam autem non odívit.

Domine, in cœlo miſericórdia tua , * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei : * judícia tua abyſſus multa.

Hómines & juménta ſalvábis , Domine, * quemádmodum multiplicáſti míſericórdiam tuam , Deus.

Filii autem hominum, * in tégmine alárum tuárum ſperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ , * & torrénte voluptátis tuæ potábis eos ;

Quóniam apud te eſt fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Præténde miſericórdiam tuam ſciéntibus te, * & juſtítiam tuam his qui recto ſunt corde.

Non véniat mihi pes ſupérbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem ; * expúlſi ſunt , nec potuérunt ſtare.

PSALMUS 38.

Mundi contemptus : vitæ brevitas : æterni refrigerii deſiderium.

DIxi : Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquã in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm consíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui , & humiliátus ſum , & ſílui à bonis ; * & dolor meus renovátus eſt.

Concaluit cor meum intra me , * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locutus ſũ in lingua mea ; * Notum fac mihi , Domine , finem meum ,

Et númerum diérum meórũ , quis eſt , * ut ſciam quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos ; * & ſubſtántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas , * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imagine pertránſit homo ; * ſed & fruſtrà conturbátur :

Theſaurízat ; * & ignórat cui congregabit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea ? nonne Dóminus ? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me ; * oppróbriũ inſipiénti dediſti me.

Obmútui , & non apérui os meum , * quóniam tu feciſti.

Amove à me plagas tuas ; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuíſti hóminem , & tabéſcere feciſti ſicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas; quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

P S A L M U S 41.

Solatium juſti, ſpes melioris vitæ.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquarum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam;* quóniam transíbo in locum tabernaculi admirábilis, uſque ad domum Dei,

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epuléntis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat,* in voce cataractárum tuárum.

Omnĩa excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo; Suſcéptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies; * Ubi eſt Deus tuus?

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Apud te eſt fons vitæ; & in lúmine tuo vidébimus lumen. *Pſ.* 35. 10.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 4. *E.* Deus.

P S A L M U S 48.

Nihil contra infernum proſunt opes; juſtitia ſola ex eo eripit.

AUdíte hæc, omnes gentes: * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * ſimul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur ſapiéntiam; * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam; * apériam in pſaltério propoſitionē meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte ſua, * & in multitúdine divitiárum ſuárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placationem ſuam,

Et prétium redemptiónis ánimæ ſuæ: * & laborábit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit ſapiéntes moriéntes:

Simul insípiens & ſtultus períbunt; * & relínquent aliénis divítias ſuas;

Et ſepúlchra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina ſua in terris ſuis.

Et homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

Hæc via illórum ſcándalum ipſis: * & póſtea in ore ſuo complacébunt.

Sicut oves in inférno póſiti ſunt: * mors depáſcet eos.

Et dominabúntur eórum juſti in matutíno; * & auxílium eórum veteráſcet in inférno à glória eorum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non ſumet ómnia; * neque deſcéndet cum eo glória ejus:

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur; * confitébitur tibi cùm benefécerit ei.

Introíbit uſque in progénies patrum ſuórum; * & uſque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre eſſet, non intelléxit: * comparátus eſt juméntis inſipiéntibus, & símilis factus eſt illis.

PSALMUS 57.

Malorum ſupplicia, bonorumque prœmia, Deum juſtum arguent.

SI verè útique juſtítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injuſtítias manus veſtræ concínnant.

Alienáti ſunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero; * locúti ſunt falſa.

Furor illis ſecúndùm ſimilitúdinem ſerpéntis ; * ſicut áſpidis ſurdæ , & obturántis aures ſuas ,

Quæ non exaúdiet vocém incantántium , * & venéfici incantántis ſapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipſorum ; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum ſuum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * ſupercécidit ignis, & non vidérunt ſolem.

Priùsquam intellígerent ſpinæ veſtræ rhamnum, * ſicut vivéntes, ſic in ira absórbet eos.

Lætábitur juſtus cùm víderit vindíctam ; * manus ſuas lavábit in ſánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique eſt fructus juſto ; * útique eſt Deus júdicans eos in terra.

PSALMUS 79.

Miſeriarum finis per Chriſti adventum exoratur.

QUi regis Iſrael, inténde ; * qui deducis velut ovem, Joſeph :

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtare coram Ephraim, Bénjamin, & Manáſſe.

Excita potentiam tuam ; & veni, * ut ſalvos fácias nos.

Deus, convérte nos, * & oſténde fáciem tuam ; & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra ?

Poſuíſti nos in contradictiónem vicínis noſtris ; * & inimíci noſtri ſubſannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos ; * & oſténde fáciem tuam ; & ſalvi érimus.

Víneam de Ægypto tranſtulíſti : * ejecíſti gentes, & plantáſti eam.

Dux itíneris fuíſti in conſpéctu ejus ; * plantáſti radíces ejus ; & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus, * & arbúſta ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites ſuos uſque ad mare ; * & uſque ad flumen propágines ejus.

Ut quid deſtruxíſti macériam ejus ; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam ?

Exterminávit eam aper de ſylva, * & ſinguláris ferus depáſtus eſt eam.

Deus virtútum, convértere ; * réſpice de cœlo, & vide, & viſita víneam iſtam :

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & ſuper fílium hóminis quem confirmáſti tibi.

Incénſa igni, & ſuffóſſa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua ſuper virum déxteræ tuæ, * & ſuper fílium hóminis quem confirmáſti tibi.

Et non diſcédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos, * & oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus.

Ant. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me. *Pſ.* 48. 16.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte; ℟. Dum dícitur mihi quótídie: Ubi eſt Deus tuus? *Pſ.* 41. 4.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repléti ſumus manè miſericórdiâ tuâ:

℟. Et exultávimus, & delectáti ſumus ómnibus diébus noſtris. *Pſ.* 89. 14.

Ant. t. 1. *irreg.* Innocens.

PSALMUS 23.

Dei imperium in omnia: ſolus juſtus ſtabit in loco ſancto: Chriſti ad cælos aſcenſus.

Domini eſt terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérſi qui hábitant in eo;

Quia ipſe ſuper mária fundávit eum, * & ſuper flúmina præparávit eum.

Quis aſcéndet in montem Dómini? * aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimã ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo.

Hæc eſt generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, veſtras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis eſt iſte Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ.

Ant. Innocens mánibus, & mundo corde, hic accípiet benedictiónem à Dómino. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Tu reddes.

PSALMUS 61.

Vanus impii conatus adversùs juſtum: divitiæ contemnendæ: Deus juſtus remunerator.

Nonne Deo ſubjécta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum;

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus; * ſuſcéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúſque irrúitis in hóminem? * interfícitis uni-

vérſi vos, tamquam paríeti inclináto, & macériæ depúlſæ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repéllere; cucúrri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjécta eſto, ánima mea; * quóniã ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutare meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnũ.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in ſtatéris, * ut decípiãt ipſi de vanitáte in idípſũ.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi ábfluant, nolíte cor appónere.

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audívi; quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera ſua. *v.* 13.

Ant. t. 1. d. Pſallam.

PSALMUS 100.

Miſericordiæ & juſtitiæ divinæ laus: bene vivendi norma.

MIſericórdiã & judíciũ * cantábo tibi, Dómine. Pſallam, & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injúſtam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæſit mihi cor pravum: * declinántem à me malígnum non cognoſcébã.

Detrahéntem ſecrétò próximo ſuo, * hunc perſequébar.

Supérbo óculo & inſatiábili corde; * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut ſédeant mecum; * ámbulans in via immaculáta, hic mihi miniſtrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit ſupérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conſpéctu oculorum meórum.

In matutíno interficiébã omnes peccatóres terræ, * ut diſpérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Pſallam, & intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. *v.* 1. 2.

Ant. t. 6. f. Pars autem.

CANTICUM MOYSI *Deut.* 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

Concréſcat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros eloquium meum,

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo noſtro: * Dei perfécta ſunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & abſque ulla iniquitáte, juſtus & rectus; * peccavérunt ei, & non fílii ejus in sórdibus.

Generátio prava atque pervérſa, * hæccine reddis Dómino, pópule ſtulte & insípiens?

Numquid non ipſe eſt pater tuus, * qui poſſédit te, & fecit, & creávit te?

Meménto diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos; & dicent tibi:

Quando dividébat Altíſſimus gentes, * quando ſeparábat fílios Adam,

Conſtítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Iſrael.

Pars autem Dómini, pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis:

Circumdúxit eum, & dócuit, * & cuſtodívit quaſi pupíllam óculi ſui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos ſuos, * & ſuper eos vólitans,

Expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum, * atque portávit in húmeris ſuis.

Dóminus ſolus dux ejus fuit; * & non erat cum eo Deus alienus:

Conſtítuit eum ſuper excélſam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de ſaxo duríſſimo.

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Baſan:

Et hircos cum medúlla trítici; * & sánguinem uvæ biberet meracíſſimum.

Incraſſátus eſt diléctus, & recalcitrávit: * incraſſátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem ſuum, * & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominationibus ad iracúndiam concitavérunt:

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquíſti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus eſt; * quia provocavérunt eum fílii ſui, & fíliæ.

Et ait: Abſcóndam fáciem meam ab eis, * & conſiderábo noviſſima eórum:

Generátio enim pervérſa eſt,

eſt, * & infidéles filii:

Ipſi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitatibus ſuis;

Et ego provocábo eos in eo qui non eſt pópulus, * & in gente ſtulta irritábo illos.

Ignis ſuccénſus eſt in furore meo, * & ardébit uſque ad inférni noviſſima:

Devorabítque terram cum gérmine ſuo, * & móntium fundamenta combúret.

Congregábo ſuper eos mala; * & ſagíttas meas complébo in eis.

Conſumentur fame, * & devorábunt eos aves morſu amariſſimo:

Dentes beſtiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium ſuper terram, atque ſerpéntium.

Foris vaſtabit eos gládius, & intus pavor, * júvenem ſimul ac vírginem, lacténtem cum hómine ſene.

Dixi: Ubínam ſunt? * ceſſare fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum díſtuli; * ne fortè ſuperbírent hoſtes eórum,

Et dícerent: Manus noſtra excélſa, * & non Dóminus fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia: * útinam ſáperent, & intellígerent, ac noviſſima providérent!

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeò, quia Deus ſuus vendidit eos, * & Dóminus conclúſit illos?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum: * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum, uva fellis, * & botri amariſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſaúris meis?

Mea eſt últio, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxtà eſt dies perditiónis; * & adéſſe feſtinant témpora.

Judicábit Dominus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerébitur:

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſúmpti ſunt.

Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum:

Surgant, & opitoléntur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me:

Ego occídam, & ego vi-

vere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis;* & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagíttas meas sánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Glória, &c.

Ant. Pars autem Dómini, pópulus ejus; Jacob funículus hæreditátis ejus. *v.* 9.

In Feſtis dicitur: CANTICUM *Iſa.* 26.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion: * Salvátor pónetur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Speráſtis in Dómino in ſæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * détrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte:* ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundántur zelántes pópuli; * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.

Ant. t. 5. a. Exultábunt.

PSALMUS 149.

Deo ſanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo qui

ſecit eum; * & filii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dño in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in gloria; * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciendam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Exultábunt ſancti in glória; lætabúntur in cubílibus ſuis. *v.* 5.

Capitulum. Sap. 5. 15. 16.

SPes ímpii tamquam lanúgo eſt, quæ à vento tóllitur: juſti autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Pſ.* 41. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Serviámus illi in ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, ómnibus diébus noſtris. *Luc.* 174. 75.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

DUm ſolis orti lux micat,
Menti recúrrat hæc dies,
Quam vix adúmbrat ſpléndida
Flammántis aſtri cláritas.
Cadúca nobis præmia
Offert levis mundi favor:
Perénne pondus glóriæ
Æquantne nugæ ſæculi?
Quis det mihi velocibus
Pennis colúmbæ rémigem!
Surgam volatu líbero,
Mundi fugácis ímmemor.
Huc vota tendunt córdium:
Sed hæc negátur glória;
Ni férvidi pro præmio
Nunc præliémur mílites.
Felix labor, quem Númine,
Deus, remúneras tuo!
Fac tanta nos pro víribus.
Cœli meréri gaúdia. Amen.

Ant. t. 4. e. Bráchium.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati: ob religionem & futuram requiem omnia ſuſtinenda.

DEus, áuribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantáſti eos: * afflixíſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos:

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe rex meus &

Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo, * & gládius meus non ſalvábit me:

Salváſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudíſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die; * & in nómine tuo confitébimur in ſæculum.

Nunc autem repuliſti, & confudíſti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros; * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tamquam oves eſcárum, * & in géntibus diſpersíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt; * & confúſio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis & obloquéntis; * à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos; nec oblíti ſumus te, * & iníquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non receſſit retrò cor noſtrum, * & declináſti sémitas noſtras à via tua;

Quóniam humiliaſti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſalmi 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos; * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Bráchium eórum non ſalvávit eos: ſed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui. *v. 4.*

In feriali Officio. Capitulum. *2. Tim. 2. 5.*

QUi certat in agóne, non coronátur, niſi legitimè certáverit.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

COeléſtis auctor grátiæ,
Qui nos adóptas filios,
Fac, mens ſuî jam nil memor
Domos repóſcat pátrias.

Adoptiónem flétibus
Efflagitamus íntegram,
Cui nos ſacráto, Spíritus,
Prædeſtinásti pígnore.

Da nos, Deus, qui túrbidâ
Jactámur undâ ſæculi;
Cœli ſedéntes líttore,
Pleno fruámur ótio. Amen.

Ant. t. 7. C. Deus.

PSALMUS 72.

Si improbi in hac vita felices; probi, quòd ſua quemque præmia maneant, conſolatione levantur.

QUàm bonus Iſrael Deus * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei;

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia; * operti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum; * tranſiérunt in affféctum cordis:

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam; * iniquitátem in excélſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hìc; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt; Quómodo ſcit Deus? * & , Si eſt ſciéntia in Excélſo? Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 72.

ECce ipſi peccatóres, & abundántes in ſæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigatio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuíſti eis; * dejecíſti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, Domine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad ní-

hilum redáctus ſum, & neſcívi.

Ut juméntum factus ſum apud te; * & ego ſemper tecum. Glória, &c.

Altera diviſio Pſalmi 72.

TEnuíſti, (Dómine,) manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxíſti me, * & cum glória ſuſcepíſti me.

Quid enim mihi eſt in cœlo? * & à te quid vólui ſuper terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant ſe à te, períbunt; * perdidíſti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum eſt, * pónere in Dómino Deo ſpem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion. Glória, &c.

Ant. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. *v.* 26.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 24.

NEſcítis quòd ii qui in ſtádio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis.

℟. *bre.* Sitívit in te ánima mea, * Deus meus. Sitívit.

℣. Quàm multipliciter tibi caro mea, * Deus. Glória. Sitívit. *Pſ.* 62. 2.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum!

℟. Concupíſcit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſ.* 83. 2. 3.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi luce vincis ſídera
O Chriſte, quid tardat dies,
Quo nos amóris, & tui
Vultûs beábis lúmine.

Tunc ſancta quæ calígine
Noctis tegúntur dógmata,
Ruptis apérta núbibus
Pleno patébunt in die.

Nunc illa venális patet
Multo labóre glória:
Hanc promeréri, Trínitas,
Tuam dabis per grátiam.
Amen.

Ant. t. 3. *a.* Dedíſti.

PSALMUS 60.

In Deo ſpes animæ oppreſſæ: Chriſti regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltáſti me.

Deduxíſti me, quia factus es ſpes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in ſæcula; * prótegar in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudíſti oratiónem meam, * dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies ſuper dies regis adjícies, * annos ejus uſque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conſpéctu Dei : * miſericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic pſalmum dicam nómini tuo in ſæculum ſæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

P s a l m u s 85.

De fide gentium vaticinium : ſe in æternum à periculis liberandum orat, & ſperat juſtus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperántem in te.

Miſerére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam ſervi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi;

Quóniam tu, Dómine, ſuávis & mitis; * & multæ miſericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam ; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudíſti me.

Non eſt símilis tuî in diis, Dómine, * & non eſt ſecúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quaſcúmque feciſti, vénient, & adorabunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus ſolus.

Diviſio Pſalmi. 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum ;

Quia miſericórdia tua magna eſt ſuper me, * & eruiſti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui inſurrexérunt ſuper me, & ſynagóga poténtium quæſiérunt ánimam meam ; * & non propoſuérunt te in conſpéctu ſuo.

Et tu, Dómine, Deus miſerátor & miſéricors, * pátiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Réſpice in me, & miſerére meî ; * da impérium tuum púero tuo, & ſalvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur ; * quóniam tu, Dómine, adjuvíſti me, & conſolátus es me.

Ant. Dedíſti hæreditátem timéntibus nomen tuum. *Pſ.* 60. 6.

Capitulum. 2. P e t r i. 1. 10.

SAtágite, ut per bona ópera certam veſtram vo-

catiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo.

℟. *br.* Inebriabúntur, Dómine, * Ab ubertáte domûs tuæ. Inebriabúntur. ℣. Torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Ab ubertate. Glória. Inebriabúntur. *Pſ.* 35. 9.

℣. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abſcondíſti timéntibus te! *Pſ.* 30. 20.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm ſol ad umbras lábitur,
Tu méntium lux, grátia,
Cœli viam ne déſinas
Tuo docére lúmine.

Cingunt iter perícula:
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O Trine, qui regnas, Deus,
Fructus adaúge, quos petis,
Mox dona, juſtus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

Ant. t. I. *irreg.* Conſolatiónes.

PSALMUS 93.

Deus ſuperborum quondam vindex, & juſtorum conſolator.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem ſupérbis.

Uſquequò peccatóres, Dómine, * úſquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem,* loquéntur omnes qui operántur injuſtítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliaverunt, * & hæreditátem tuam vexaverunt:

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupíllos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, inſipiéntes in pópulo, * & ſtulti, aliquándo ſápite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non cónſiderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem ſciéntiam?

Dóminus ſcit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ ſunt. Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem ſuam, * & hæreditátem ſuam non derelínquet;

Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; * & qui juxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Quis conſúrget mihi advérſùs malignántes? * aut quis ſtabit mecum advérſùs operántes iniquitátem?

Niſi quia Dóminus adjúvit me, * paulòminùs habi-

táſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus eſt pes meus ; * miſericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndùm multitúdinem dolorum meórum in corde meo, * conſolationes tuæ lætificavérunt ánimã meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto ?

Captábunt in ánimam juſti, * & sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutóriũ ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum ; & in malítia eórum diſpérdet eos ; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter. Glória, &c.

PSALMUS 125.

Poſt labores merces & ſolatium.

IN convertèndo Dóminus captivitátem Sion, * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne :

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum : * facti ſumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtrã, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mitténtes sémina ſua ;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos ſuos.

Ant. Conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Pſ.* 93. 19.

Capitulum. Coloſſ. 3. 17.

OMne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

℟. *br.* Clamávi ad te, Dómine, dixi : * Tu es ſpes mea. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium : * Tu es. Glória. Clamávi. *Pſ.* 141. 6.

℣. Ego autem in juſtítia apparébo ; ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Pſ.* 16. 15.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. f. Convértere.

PSALMUS 114.

Chriſtus mortis victor : æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, * quóniam exaúdiet Dóminus vocem oratiónis meæ ;

Quia inclinávit aurem ſuã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimã meam ; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.

Cuſtodiens párvulos Dó-

minus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimã meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam. *v.* 7.

Ant. t. 3. *E.* Heu mihi.

PSALMUS 119.

Juſti patientia: vitæ præſentis miſerias luget.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis; * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã doloſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, incolátus meus prolongátus eſt. *v.* 5.

Ant. t. 1. d. Si oblítus.

PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia, dum recordaretur Sion.

SUper flúmina Babylónis illìc sédimus, * & flévimus cùm recordarémur Sion.

In ſalícibus, in médio ejus, * ſuſpéndimus órgana noſtra:

Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

Et qui abduxérunt nos; * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna,

Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faúcibus meis, * ſi non meminero tuî;

Si non propoſúero Jerúſalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor eſto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúſalem;

Qui dicunt; Exinaníte, exinaníte * uſque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis míſera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuíſti nobis:

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúſalem, oblivióni detur déxtera mea. *v.* 5.

Ant. t. 3. a. Me expéctant.

PSALMUS 141.

Ab impiis liberari, & Deo frui poſcit anima fidelis.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad

Dóminum deprecátus ſum ;

Effúndo in conſpéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsũ pronúntio,

In deficiéndo ex me ſpíritum meum ; * & tu cognovíſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abſconderunt láqueũ mihi.

Conſiderábam ad déxteram, & vidébam ; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me, * & non eſt qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine ; * dixi : Tu es ſpes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam ; * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me, * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo ; * me expéctant juſti, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. *v.* 8.

Ant. *t.* 6. f. Beátus.

PSALMUS 143.

Victoria ab hoſtibus, Dei donum eſt.

BEnedíctus Dñus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Miſericórdia mea, & refúgium meum ; * ſuſcéptor meus, & liberátor meus ;

Protéctor meus, & in ipſo ſperávi ; * qui ſubdit pópulum meum ſub me.

Dómine, quid eſt homo, quia innotuíſti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus eſt ; * dies ejus ſicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & deſcénde ; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruſcatiónem, & diſſipábis eos ; * emítte ſagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto ; éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum eſt vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi, * in pſaltério decachórdo pſallam tibi,

Qui das ſalútem régibus, * qui redemíſti David ſervum tuum de gládio malígno,

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum eſt vanitátem ; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis ;

Quorum fílii ſicut novéllæ plantatiónes * in juventúte ſua :

Fíliæ eórum compóſitæ, * circumornátæ ut ſimilitúdo templi :

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud :

Oves eórum fœtóſæ, abun-

vere fáciam; percútiam, & ego ſanábo; * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, * & dicam: Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis;* & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagíttas meas sánguine,* & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur;

Et vindíctam retríbuet in hoſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

Glória, &c.

Ant. Pars autem Dómini, pópulus ejus; Jacob funículus hæreditátis ejus. *v.* 9.

In Feſtis dicitur: CANTICUM *Iſa.* 26.

URbs fortitúdinis noſtræ Sion: * Salvátor pónetur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem.

Vetus error ábiit: ſervábis pacem; * pacem, quia in te ſperávimus.

Speráſtis in Dómino in ſæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;

Quia incurvábit habitántes in excélſo, * civitátem ſublímem humiliábit.

Humiliábit eam uſque ad terram, * détrahet eam uſque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, greſſus egenórum.

Sémita juſti recta eſt, * rectus callis juſti ad ambulándum.

Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, ſuſtinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in deſidério ánimæ.

Anima mea deſiderávit te in nocte:* ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * juſtítiam diſcent habitatóres orbis.

Miſereámur ímpio, & non diſcet juſtítiam: * in terra ſanctórum iníqua geſſit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundántur zeléntes pópuli; * & ignis hoſtes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera noſtra operátus es nobis.

Ant. t. 5. a. Exultábunt.

PSALMUS 149.

Deo ſanctorum remuneratori magnifico canticum.

CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia ſanctórum.

Lætétur Iſrael in eo qui

fecit eum ; * & filii Sion exúltent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dño in pópulo ſuo, * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória ; * lætabúntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum ; * & gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligándos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis ;

Ut fáciant in eis judícium conſcríptum : * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

Ant. Exultábunt ſancti in glória ; lætabúntur in cubílibus ſuis. *v.* 5.

Capitulum. Sap. 5. 15. 16.

SPes ímpii tamquam lanúgo eſt, quæ à vento tóllitur : juſti autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Pſ.* 41. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Serviámus illi in ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, ómnibus diébus noſtris. *Luc.* 174. 75.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

DUm ſolis orti lux micat,
Menti recúrrat hæc dies,
Quam vix adúmbrat ſpléndida
Flammántis aſtri cláritas.

Cadúca nobis præmia
Offert levis mundi favor:
Perénne pondus glóriæ
Æquantne nugæ ſæculi?

Quis det mihi velócibus
Pennis colúmbæ rémigem!
Surgam volatu líbero,
Mundi fugácis ímmemor.

Huc vota tendunt córdium:
Sed hæc negátur glória ;
Ni férvidi pro præmio
Nunc præliémur mílites.

Felix labor, quem Número,
Deus, remúneras tuo!
Fac tanta nos pro víribus
Cœli meréri gaúdia. Amen.

Ant. t. 4. e. Bráchium.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati : ob religionem & futuram requiem omnia ſuſtinenda.

DEus, aúribus noſtris audívimus, patres noſtri annuntiavérunt nobis opus, * quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes diſpérdidit, & plantáſti eos: * afflixíſti pópulos, & expuliſti eos.

Nec enim in gládio ſuo poſſedérunt terram, * & bráchium eórum non ſalvávit eos :

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuíſti in eis.

Tu es ipſe rex meus &

Deus meus, * qui mandas ſalútes Jacob.

In te inimícos noſtros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo ſpernémus inſurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo ſperábo, * & gládius meus non ſalvábit me:

Salváſti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudíſti.

Diviſio Pſalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die; * & in nómine tuo confitébimur in ſæculum.

Nunc autem repuliſti, & confudíſti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris.

Avertíſti nos retrórsùm poſt inimícos noſtros; * & qui odérunt nos, diripiébant ſibi.

Dedíſti nos tamquam oves eſcarum, * & in géntibus diſpersíſti nos.

Vendidíſti pópulum tuum ſine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Poſuíſti nos oppróbrium vicínis noſtris, * ſubſannatiónem & deríſum his qui ſunt in circúitu noſtro.

Poſuíſti nos in ſimilitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me eſt; * & confúſio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrántis & obloquéntis; * à fácie inimíci & perſequéntis.

Hæc ómnia venérunt ſuper nos; nec oblíti ſumus te, * & iníquè non égimus in teſtaménto tuo:

Et non receſſit retrò cor noſtrum, * & declináſti sémitas noſtras à via tua;

Quóniam humiliaſti nos in loco afflictionis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera diviſio Pſalmi 43.

SI oblíti ſumus nomen Dei noſtri, * & ſi expándimus manus noſtras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret iſta? * ipſe enim novit abſcóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivíſceris inópiæ noſtræ, & tribulatiónis noſtræ?

Quóniam humiliáta eſt in púlvere ánima noſtra, * conglutinátus eſt in terra venter noſter.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos; * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Bráchium eórum non ſalvávit eos: ſed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui. *v.* 4.

In feriali Officio. Capitulum. 2. *Tim.* 2. 5.

QUi certat in agóne, non coronátur, niſi legitimè certáverit.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

COeléſtis auctor grátiæ,
Qui nos adóptas filios,
Fac, mens ſuî jam nil memor
Domos repóſcat pátrias.

Adoptiónem flétibus
Efflagitamus íntegram,
Cui nos ſacráto, Spíritus,
Prædeſtinâſti pígnore.

Da nos, Deus, qui túrbidâ
Jactámur undâ ſæculi;
Cœli ſedéntes líttore,
Pleno fruámur ótio. Amen.

Ant. t. 7. C. Deus.

PSALMUS 72.

Si improbi in hac vita felices; probi, quòd ſua quemque præmia maneant, conſolatione levantur.

QUàm bonus Iſrael Deus * his qui recto ſunt corde!

Mei autem penè moti ſunt pedes, * penè effúſi ſunt greſſus mei;

Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non eſt reſpéctus morti eórum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non ſunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos ſupérbia; * opérti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum; * tranſiérunt in afféctum cordis:

Cogitavérunt, & locúti ſunt nequítiam; * iniquitátem in excélſo locúti ſunt.

Poſuérunt in cœlum os ſuum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hîc; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt; Quómodo ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excélſo? Glória, &c.

Diviſio Pſalmi 72.

ECce ipſi peccatóres, & abundántes in ſæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * & caſtigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me,

Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

Verúmtamen propter dolos poſuíſti eis; * dejeciſti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti ſunt in deſolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

Velut ſómnium ſurgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum eſt cor meum, & renes mei commutáti ſunt; * & ego ad ní-

bus noſtris infúnde : ut qui, Angelo nuntiánte, Chriſti Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per paſſiónem ejus & crucem ad reſurrectiónis glóriam perducámur; Per eúmdem Chriſtum.

A primis Veſperis Nativit. Domini dicitur :

℣. Homo natus eſt in ea ;
℟. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ.* 86. 5.

OREMUS.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beatæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præſtitiſti; tríbue, quæſumus, ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dominũ noſtrum Jeſum-Chriſtum. ℟. Amen.

A Complet. Præſentationis Domini, uſque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ incluſivè, Ant.

AVe, Regína cœlórum,
Ave, Dómina Angelórum :
Salve, radix; ſalve, porta,
Ex qua mundo lux eſt orta :
Gaude, Virgo glorióſa,
Super omnes ſpecioſa :
Vale, ô valde decóra,
Et pro nobis Chriſtum exóra.

℣. Elegit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

OREMUS.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium, ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Chriſtum Dóminũ noſtrum. ℟. Amen.

ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES,

Dicendæ ante Lectiones.

DOMINICA,

Et in Officiis novem Lectiónum, quæ non ſunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO:

& pro Feria 2. & 5.

Abſolutio. 2. Mach. 1. 3. 4.

ADapériat Deus cor veſtrum in lege ſua, & in præcéptis ſuis: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Deus, Dómini noſtri Jeſu Chriſti Pater glóriæ, det vobis ſpíritum ſapientiæ. *Eph.* 1. 17. ℟. Amen. *Et ſic ad ſequentes.*

2. Fílius Dei det nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. 20.

3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13.

IN II. NOCTURNO:

& pro Feria 3. & 6.

Abſolutio. 3. Reg. 8. 58.

DEus noſter inclínet corda noſtra ad ſe; ut cuſtodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti benedícat nos in omni benedictióne ſpirituáli. *Eph.* 1. 3.

5. Sciámus ſupereminéntem ſciéntiæ charitátem Chriſti; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Eph.* 3. 19.

6. Unctio, quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO:

& pro Feria 4. & Sabbato.

Abſolutio. 2. Mach. 1. 2. 5.

DEus meminérit teſtaménti ſui, quod locútus eſt, & exaudiat oratiónes veſtras. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Detur tibi ſermo in apertióne oris tui cum fidúcia, notum fácere myſtérium Evangélii. *Eph.* 6. 19.

Feriâ 4. verò, & Sabbato dicitur: Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Eph.* 3. 14. 16. 17.

8. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrinæ. *Eph.* 4. 13. 14.

9. Deus ſpei répleat nos om-

ni gáudio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe, & virtúte Spíritûs ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium, nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Si nona Lectio ſit de Sancto, nona Benedictio erit:

Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fíeri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

Quando D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, poſtquàm præmiſit ex more:

Jube, Domne, benedícere.

Dignior poſt illum dicit:

Ora pro nobis, Pater.

Ipſe autem Epiſcopus reſpondet:

Oro ut cháritas veſtra magis ac magis abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu. *Philip.* 1. 9. *Chorus reſpondet*: Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ quæ ſunt novem Lectionum

IN I. & III. NOCTURNO

Abſolutiones & Benedictiones erunt ut ſuprà: ſed

IN II. NOCTURNO.

ut ſequitur:

4. Nobíſcum ſit Deus qui in ancílla ſua adimplévit miſericórdiam, quam promíſit dómui Iſraël. *Judith.* 13. 13. 18.

5. Reſpíciat, qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit Dñus Deus noſter. *Jud.* 13. 7. 18. 19.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Si Officium de Beata tres habeat Lectiones tantùm ſine Evangelio, tres Benedictiones erunt de Beata ut ſuprà. Si verò tertia Lectio ſit de Evangelio dicitur pro 3. Benedict. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

IN FESTIS SANCTOR. quæ ſunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Benedictiones ut ſuprà in Officio trium Nocturnorum.

IN II. NOCTURNO

4. Deus det nobis illumínátos óculos, ut ſciamus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM, quæ ſunt trium tantùm Lectionum, Benedictiones, ut ſuprà in 2. Nocturno pro Sanctis.

Si 3. Lectio ſit de Evangelio, 3. Benedictio erit: Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii, &c. *Ut ſuprà.*

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HYEMALIS.

SABBATO ANTE DOMINICAM I. ADVENTUS.

AD VESPERAS.

Captiva luget Sion, promiſſi Liberatoris adventum exorans.

Pſalmi ut in Pſalterio.

Ant. 8. 1. D. NUmquid projícies abjeciſti Judam, Dñe? Aut Sion abomináta eſt ánima tua? *Jer.* 14. 19.

Ant. 1. 2. D. Expectávimus pacem, & non eſt bonum; & tempus curatiónis, & ecce turbátio. *Jerem.* 14. 19.

Ant. 1. 3. E. Dómine, úſquequò tu non miſeréberis Jeruſalem? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt. *Zach.* 1. 12.

Ant. 1. 4. A. Obſecro, Dómine, mitte quem miſsúrus es. *Exod.* 4. 13.

Ant. 1. 8. C. Salutáre tuum expectábo, Dómine. *Gen.* 49. 18.

Capitulum. Dan. 9. 2. 3.

INtelléxi in libris númerum annórum, de quo factus eſt ſermo Dómini ad Jeremíam Prophétã, ut compleréntur deſolatiónis Jeruſalem ſeptuagínta anni. Et póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. ℟. Deo grátias.

℟. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant juſtum: * Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. ℣. Amen, veni, Dómine Jeſu. * Aperiátur. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui ſancto. * Aperiátur, &c. *Iſ.* 45. 8. *Apoc.* 22. 20.

HYMNUS.

PLacáre tandem flétibus,
O Numen! Uſque nunc Sion

ni gáudio & pace in credéndo, ut abundémus in ſpe, & virtúte Spíritûs ſancti. *Rom.* 15. 13.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium, nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Si nona Lectio ſit de Sancto, nona Benedictio erit:

Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis ſuis admirábilis fieri. 2. *Theſſ.* 1. 5. 10.

Quando D. Epiſcopus Lectionem lecturus eſt, poſtquàm præmiſit ex more:

Jube, Domne, benedícere.

Dignior poſt illum dicit:

Ora pro nobis, Pater.

Ipſe autem Epiſcopus reſpondet:

Oro ut cháritas veſtra magis ac magis abúndet in ſciéntia, & in omni ſenſu. *Philip.* 1. 9. *Chorus reſpondet:* Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ quæ ſunt novem Lectionum

IN I. & III. NOCTURNO

Abſolutiones & Benedictiones erunt ut ſuprà: ſed

IN II. NOCTURNO.

ut ſequitur:

4. Nobíſcum ſit Deus qui in ancílla ſua adimplévit miſericórdiam, quam promíſit dómui Iſraël. *Judith.* 13. 13. 18.

5. Reſpíciat, qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit Dñus Deus noſter. *Jud.* 13. 7. 18. 19.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Eſther.* 15. 3.

Si Officium de Beata tres habeat Lectiones tantùm ſine Evangelio, tres Benedictiones erunt de Beata ut ſuprà. Si verò tertia Lectio ſit de Evangelio dicitur pro 3. *Benedict.* Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

IN FESTIS SANCTOR. quæ ſunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Benedictiones ut ſuprà in Officio trium Nocturnorum.

IN II. NOCTURNO

4. Deus det nobis illumináto óculos, ut ſciamus quæ ſit ſpes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.

5. Dignos fáciat nos in partem ſortis Sanctórum, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum. *Coloſ.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi noſtri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus ſortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM,

quæ ſunt trium tantùm Lectionum, Benedictiones, ut ſuprà in 2. *Nocturno pro Sanctis.*

Si 3. *Lectio ſit de Evangelio,* 3. *Benedictio erit:* Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii, &c. *Ut ſuprà.*

PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS HYEMALIS.

SABBATO ANTE DOMINICAM I. ADVENTUS.

AD VESPERAS.

Captiva luget Sion, promiſſi Liberatoris adventum exorans.

Pſalmi ut in Pſalterio.

Ant. NUmquid projí-*e.* 1. *D.* ciēs abjeciſti Judam, Dñe? Aut Sion abominâta eſt ánima tua? *Jer.* 14. 19.

Ant. t. 2. *D.* Expectávimus pacem, & non eſt bonum; & tempus curatiónis, & ecce turbátio. *Jerem.* 14. 19.

Ant. t. 3. *E.* Dómine, úſquequò tu non miſeréberis Jeruſalem? Iſte jam ſeptuagéſimus annus eſt. *Zach.* 1. 12.

Ant. t. 4. *A.* Obſecro, Dómine, mitte quem miſſúrus es. *Exod.* 4. 13.

Ant. t. 8. *C.* Salutáre tuum expectábo, Dómine. *Gen.* 49. 18.

Capitulum. Dan. 9. 2. 3.

INtelléxi in libris númerum annórum, de quo factus eſt ſermo Dómini ad Jeremíam Prophétã, ut compleréntur deſolatiónis Jeruſalem ſeptuagínta anni. Et póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. ℟. Deo grátias.

℟. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant juſtum: * Aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. ℣. Amen, veni, Dómine Jeſu. * Aperiátur. Glória Patri, & Filio, & Spirítui ſancto. * Aperiátur, &c. *Iſ.* 45. 8. *Apoc.* 22. 20.

HYMNUS.

PLacáre tandem flétibus, O Numen! Uſque nunc Sion

Captíva luget, & ſuis
Deféſſa dudum vínculis.
Lethále per ſcelus patris
Proles períbat ſáucia,
Et lege ſummi Júdicis
Morti ſecúndæ débita.
Heu! quis ruínæ tam gravis
Sarcíre damna ſúfficit?
Tanto quis umquam cónferat
Parem medélam vúlneri?
Suo relíctus crímini,
Orbíſne totus córruet?
Suóne tantùm fúneri
Naſcétur humánum genus?
Moráris, à prióribus
Deſideráte ſæculis;
Ni tu Redémptor ádvenis
Spes tota læſis óccubat.
Roráte, cœli, déſuper:
Juſtum pluant nubes Deũ:
Sinu reclúſa fértili
Tellus ſalútem gérminet.
Votis favéto ſúpplicum,
O Trine, qui clemens Deus;
Plebíque promíſſam tuæ
Redemptiónem pérfice.
Amen.

℣. Ubi ſunt miſericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine?

℟. Sicut juráſti David in veritáte tua. *Pſ.* 88. 50.

Ad Magn. *Ant. t.* 4. *E.* Exáudi, Dómine, placáre, Dómine: atténde, & fac: ne moréris propter temetíp ſum, Deus meus. *Dan.* 9. 19.

Oratio.

Excita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam & veni; ut ab imminéntibus peccatórum noſtrórum perículis, te mereámur protegente, éripi, te liberánte ſalvári; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per ómnia ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíſcum.

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Secretò. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

AD COMPLETORIUM.

HYMNUS.

Nox atra terris íncubat:
Incúmbit horror críminum:
Prodi, ſalúbre méntibus
Paréntis è ſinu Jubar.
O Chriſte, tu ſolus potes,
Delápſus è cœlo Deus,
Imágini formam tuæ
Decúſque primum réddere.
Arens ut herba, te ſine,
Mortále tabéſcit genus:
Oſténde vultum, jam ſuus
Mundo refloréſcet decor.
Jube procul nequíſſimi
Hoſtes ſalútis éxulent:
Tu vita noſtra per diem,
Sis tuta per noctem quies.
Sit laus Patri, qui Fílium
Sonti dat orbi víctimam;
Sit qui venit laus Fílio;
Quo fit caro, laus Flámini.
Amen.

Capitulum. 1. *Pet.* 5. 8. 9.

Sobrii eſtóte, & vigiláte, quia adversárius veſter diábolus tamquam leo rúgiẽs

circuit, quærens quem dévoret; cui reſíſtite fortes in fide.

℣. Cuſtódi nos, &c.

Ad Nunc dimíttis, *Ant. t.* 5. *F.* Pópulum páuperem ſalvum fácies: quia tu lucérna mea, Dómine; & tu, Dómine, illuminábis ténebras meas. 2. *Reg.* 22. 28. 29.

Oratio. Viſita, &c.

DOMINICA I. ADVENT.

quæ eſt primæ claſſis.

Quodcumque Feſtum occurrens in Dominica I. *Adventûs, transfertur in j. diem non impeditam.*

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum, qui eſt expectátio géntium, * Veníte, adorémus. *Gen.* 49. 10.

Pſalmi ut in Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

Ex promiſſis ſuis rogatur Deus, ut Liberatoris adventum maturet.

Ant. t. 1. *F.* Recordáre: ne írritum fácias fœdus tuum nobíſcum. *Jerem.* 14. 21.

Ant. t. 8. *C.* Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3. 43.

Ant. t. 2. *D.* Dómine, Deus noſter, poſſedérunt nos dómini abſque te: tantùm in te recordémur nóminis tui. *Iſ.* 26. 13.

℣. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ;

℟. Quia páuperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

Pater noſter. *Abſol. & Bened. ut poſt Pſalterium.*

Incipit liber Iſaíæ Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 10.

VIſio Iſaíæ filii Amos, quam vidit ſuper Judam & Jerúſalem in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, & Ezechíæ, regum Juda. Audíte, cœli; & áuribus pércipe, terra, quóniam Dóminus locútus eſt: Fílios enutrívi, & exaltávi; ipſi autem ſprevérunt me. Cognóvit bos poſſeſsórem ſuum, & áſinus præſépe dómini ſui: Iſrael autem me non cognóvit, & pópulus meus non intelléxit. Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, fíliis ſcelerátis: dereliquérunt Dóminum, blaſphemavérunt Sanctum Iſrael: abalienáti ſunt retrórſum. Super quo percútiam vos ultrà, addéntes prævaricatiónem? Omne caput lánguidum, & omne cor mœrens. A planta pedis, uſque ad vérticem, non eſt in eo sánitas: vulnus, & livor, & plaga tumens, non eſt circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Terra veſtra desérta, civitátes veſtræ ſuccénſæ igni: regiónem veſtram coram vobis aliéni dévorant, & deſolábitur, ſicut in vaſtitáte hoſtíli. Et derelinquétur fília Sion, ut umbráculum in vínea, & ſicut tugúrium in cucumerário, & ſicut cívitas quæ vaſ-

tátur. Niſi Dóminus exercítuum reliquíſſet nobis ſemen, quaſi Sódoma fuiſſémus, & quaſi Gomórrha ſímiles eſſémus. Tu autem, Dómine, miſerére noſtri.

Sic terminantur Lectiones per totum annum, excepto triduo ante Paſcha, & Offic. Defunctorum.

℟. Atténde, Dómine, de cœlo, & vide de habitáculo ſancto tuo: * Tu enim Pater noſter, Redémptor noſter, à ſæculo nomen tuum; † Convértere propter ſervos tuos, tribus hæreditátis tuæ. § Utinam dirúmperes cœlos, & deſcénderes.

℣. Adjuva nos misértus noſtri, Dómine. * Tu enim Pater noſter, Redémptor noſter, à ſæculo nomen tuum.

℣. Non áliud nomen eſt ſub cœlo datum, in quo opórteat nos ſalvos fieri. † Convértere propter ſervos tuos, tribus hæreditátis tuæ. ℣. Nos credídimus, & cognóvimus, quia tu es Fílius Dei. § Utinam dirúmperes cœlos & deſcenderes. *Deindè repetitur* Attende, Dómine, &c. *uſque ad* Adjuva. *Iſ.* 63. 15. 16. 17. *&* cap. 64. 1. *Marc.* 9. 21. *Act.* 4. 12. *Joan.* 6. 70.

Hoc Reſponſ. dicitur tantùm in Dominica, in Feriis dicitur ſequens.

℟. Séquimur te, Dómine, in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam. Ne confúndas nos; ſed * Fac nobíſcum juxta manſuetúdinem tuam.

℣. Dómine, ſi in témpore hoc reſtítues regnum Iſrael? * Fac nobíſcum, &c. *Dan.* 3. 41. 42. *Act.* 1. 6.

Lectio ij. v. 11. *ad* 16.

QUò mihi multitúdinem victimárum veſtrárum, dicit Dóminus? plenus ſum; holocáuſta aríetum, & ádipem pínguium, & sánguinem vitulórum, & agnórum, & hircórum nólui. Cùm venirétis ante conſpéctum meũ, quis quæsívit hæc de mánibus veſtris, ut ambularétis in átriis meis? Ne offerátis ultrà ſacrifícium fruſtrà: incénſum abominátio eſt mihi. Neoméniam, & sábbatum, & feſtivitátes álias non feram, iníqui ſunt cœtus veſtri: caléndas veſtras, & ſolemnitátes veſtras odívit ánima mea: facta ſunt mihi moléſta, laborávi súſtinens. Et cùm extendéritis manus veſtras, avértam óculos meos à vobis; & cùm multiplicavéritis oratiónem, non exáudiam: manus enim veſtræ sánguine plenæ ſunt.

℟. Súſcita, Dómine, prædicatiónes, quas locúti ſunt in nómine tuo Prophétæ prióres: * Da, Dómine, mercédem ſuſtinéntibus te; ut Prophétæ tui fidéles inveniántur. ℣. Nos enim ſpíritu ex fide, ſpem juſtítiæ expectámus. * Da, Dómine, &c. *Eccli.* 36. 17. 18. *Galat.* 5. 5.

Lectio iij. v. 16. ad 21.

LAvámini, mundi eſtóte, auférte malum cogitatiónum veſtrárum ab óculis meis: quiéſcite ágere pervérsè, díſcite benefácere: quærite judícium, ſubveníte oppréſſo, judicáte pupíllo, defféndite víduam. Et veníte, & argúite me, dicit Dóminus: ſi fúerint peccáta veſtra ut cóccinum, quaſi nix dealbabúntur: & ſi fúerint rubra quaſi vermículus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, & audiéritis me, bona terræ comedétis. Quòd ſi noluéritis, & me ad iracúndiam provocavéritis, gládius devorábit vos; quia os Dómini locútum eſt.

℟. Dómine, fac propter nomen tuum; quóniam multæ ſunt averſiónes noſtræ, tibi peccávimus: * Expectátio Iſrael, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis: Dómine, ne derelínquas nos. ℣. Scriptum eſt: Véniet ex Sion qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob. * Expectátio, &c. Glória Patri. * Expectátio. *Jerem.* 14. 7. 8. 9. *Rom.* 11. 26.

IN II. NOCTURNO.

Humanæ miſeriæ non niſi per Deum medela.

Ant. t. 4. *a.* Nonne tu es Dóminus Deus noſter, quem expectávimus? *Jerem.* 14. 22.

Ant. t. 7. *D.* Ecce nos in captivitáte noſtra ſumus hódie, quâ nos diſperſiſti in t impropérium. *Baruch.* 3. 8.

Ant. t. 8. *C.* Miſerére noſtrî, Deus ómnium, & oſténde nobis lucem miſeratiónum tuárum. *Eccli.* 36. 1.

℣. Numquid oblivíſcétur miſeréri Deus? ℟. Aut continébit in ira ſua miſericórdias ſuas? *Pſ.* 76. 10.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. Serm. 2. *in Cant. num.* 4. & 5.

NOn látuit Sanctos, ante Advéntum Salvatóris, Deum ſuper mortálium genus cogitáre cogitatiónes pacis: nec enim fáceret verbum ſuper terram, quod non reveláret ſervis ſuis Prophétis..... Cæterùm, illis prænuntiántibus pacem, moram autem faciénte auctóre pacis, nutábat pópuli fides, dum non erat qui redímeret, neque qui ſalvum fáceret. Itaque cauſabántur hómines moras, quòd ille tóties nuntiátus, necdum veníret Princeps pacis, ſicut locútus fúerat per os ſanctórum, qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus; & ſuſpéctas habéntes promiſſiónes, ſignum promiſſæ reconciliatiónis, (quod eſt óſculum) flagitábant: ac ſi núntiis pacis unus quílibet reſpondéret de pópulo: Quouſque tóllitis ánimas noſtras? Jam olim prædícitis pacem, & non venit: promíttitis bona, & adhuc turbátio. Ecce hoc ipſum multifáriè, multíſque modis, &

Angeli pátribus, & patres noſtri annuntiavérunt nobis, dicéntes : Pax, pax ; & non eſt pax. . . Verbis jam quómodo credam ? Opus magis eſt ópere verba firmári. Probet verídicos núntios ſuos Deus, (ſi tamen núntii ejus ſunt,) & ſequátur eos ipſe, ut ſæpiùs promiſérunt. Tu autem, Dómine, &c.

℟. Quaſi colúmbæ meditántes gemémus. * Expectávimus judícium, & non eſt ; ſalútem, & elongáta eſt à nobis. ℣. Nos autem ſperabámus quia ipſe eſſet redemptúrus Iſrael. * Expectávimus, &c. *Iſ.* 59. 11. *Luc.* 24. 21.

Lectio v. num. 6.

HUc accédit quòd is, qui noſtrum profitétur eſſe mediatórem ad Deum, Dei Fílius eſt, & Deus eſt. Et quid eſt homo ut innotéſcat ei, aut fílius hóminis, ut réputet eum ? Quæ mihi fidúcia, ut tantæ me áudeam crédere Majeſtati ? Unde, inquam, terra & cinis, præſúmo Deum curam habére mei ? Ad hæc, dilígit patrem ſuum, mei verò opus non habet, bonórum meórum non eget ; tamen ſi verè, ut dícitis, decrévit miſeréri Deus, cogitátque ut complacítior ſit adhuc, ſtátuat teſtaméntum pacis, & fœdus perpétuum fériat mihi in óſculo oris ſui ; ut quæ procédunt de lábiis non fáciat írrita ; exinániat ſe, & humíliet ſe, & oſculétur me óſculo oris ſui ; ut ex æquo pártibus cóngruens, mediátor neutri ſuſpéctus ſit ; Deus Fílius Dei fiat homo, fiat Fílius hóminis, & certum me reddat in óſculo oris ſui. Secúrus ſuſcípio mediatórem Dei Fílium, quem agnóſco & meũ : mínimè planè jam mihi ſuſpéctus erit ; frater enim & caro mea eſt : puto enim ſpérnere me jam non póterit, os de óſſibus meis, & caro de carne mea.

℟. Qui ſedes ſuper Chérubim, manifeſtáre coram Ephraim, Bénjamin & Manáſſe. * Excita poténtiam tuam, & veni, ut ſalvos fácias nos. ℣. Numquid Deus répulit pópulum ſuum ? * Excita, &c. *Pſ.* 79. 2. 3. *Rom.* 11. 1.

Lectio vj. num. 7.

ITa ergo vetus queréla ſacroſanctum oſculum (id eſt, incarnándi Verbi myſtérium) exigebat, dum longâ & moleſtâ expectatióne fides deficeret ; & infidelis pópulus advérsùs promiſſa Dei, victus tædio, murmuráret. Inde profécto erant quérulæ iſtæ, & múrmure plenæ voces : Manda, remanda : expécta, reexpécta : módicum ibi, módicum ibi. Inde ánxiæ illæ & plenæ pietáte preces : Da mercédem, Dómine, ſuſtinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniántur. Item, Súſcita, Dómine, prædicatiónes quas locúti ſunt in nómine tuo Prophétæ prió-

res. Inde blandæ illæ, & plenæ conſolatióne promiſſiónes: Ecce apparébit Dóminus, & non mentiétur; ſi morã fécerit, expécta eum; quia véniens véniet, & non tardábit. Item, Propè eſt ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. Et ex persóna promíſſi: Ecce ego, inquit, declíno in vos ut flumen pacis, & ut torrens inúndans glóriæ géntium.... Ne ergo genus humánum, moram faciénte Chriſto, deſperatióne períret, dum ſe contémni ſuſpicarétur humána mortálitas; ſuæque reconciliatiónis cum Deo de grátia tóties repromíſſa diffíderet; Sancti, qui de ſpíritu certi erant, certitúdinem de carnis præséntia exoptábant, & ſignum reformándæ pacis propter puſillánimes & incrédulos omni inſtántiâ requirébant.

℟. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ, de petra desérti ad montem fíliæ Sion; * Et præparabitur in miſericórdia sólium, & ſedébit ſuper illud in veritáte. ℣. Dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus. * Et præparábitur, &c. Glória Patri, &c. * Et præparábitur. *Iſ.* 16. 1. 5. *Luc.* 1. 32.

IN III. NOCTURNO.

Ex antiqua ſua miſericordia humiliter exoratur Deus.

Ant. t. 2. *D.* Ne des nos in oppróbrium propter nomen tuum *Jerem.* 14. 21.

Ant. t. 3. *A.* Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére, & réſpice oppróbrium noſtrum. *Thren.* 5. 1.

Ant. t. 4. *a*. Ad Dóminum aſpíciam; expectábo Deum Salvatórem meum. *Mich.* 7. 7.

℣. Dómine, inclína cœlos tuos,

℟. Et deſcénde. *Pſ.* 143. 5.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lect. vij. Cap. 21. 1.

IN illo témpore; Cùm appropinquáſſent Jeroſólymis, & veníſſent Béthphage ad montem Olivéti: tunc Jeſus miſit duos diſcípulos, dicens eis; Ite in caſtéllum, quod contra vos eſt, & ſtatim inveniétis áſinam alligátam, & pullum cum ea; sólvite, & addúcite mihi. Et réliqua.

Homília ſancti Irenæi Epíſcopi.

Lib. 4. *cont. hæreſ. c.* 10. *n.* 2.

JAm manifeſtáverat Pater Fílii ſui Advéntum, dicens: (Non déerit princeps in Juda, neque dux ex femóribus ejus, quoadúſque véniat cui repóſitum eſt; & ipſe eſt ſpes géntium; álligans ad vitem pullum ſuum, & ad hélicem pullum áſinæ. Lavábit in vino ſtolam ſuam, & in ſánguine uvæ pállium ſuum: & lætífici óculi ejus à vino, & cándidi dentes ejus quàm lac.) Inquírant enim hi,

qui ſcrutárì ómnia dicúntur, id tempus in quo defécit princeps & dux ex Juda, & qui eſt géntium ſpes, & qui vitis, & qui pullus ejus, & quod induméntum, & qui oculi, & qui dentes, & quod vinum; & unumquódque ex dictis exquírant; & invénient non álium, niſi Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum annuntiátum. Quaprópter Móyſes íncrepans pópulum quòd ingrátus exíſteret, ait: Sic pópulus fátuus, & non ſapiens, hæc Dómino retribuíſtis?

℟. Nunc, Dómine, Pater noſter es tu, nos verò lutum: fictor noſter tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos. * Ecce réſpice, pópulus tuus omnes nos. ℣. Ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem corporis noſtri. * Ecce réſpice. *Iſ.* 64. 8. 9. *Rom.* 8. 23.

Lectio viij. Cap. 11. *n.* 3.

Poſterióribus majórem quàm quæ fuit in véteri teſtaménto, muneratiónem grátiæ attríbuit unus & idem Dóminus per ſuum Advéntum. Et illi enim per fámulos audiébant ventúrum Regem, & medióͤcriter gaudébant, ſecúndùm quòd ſperábant ventúrum eum. Qui autem præséntem vidérunt, & libertátem adépti, & potíti ſunt ejus muneratiónem; majórem grátiam, & abundantiórem exultatiónem habent, gaudéntes de Regis Advéntu; quemádmodum & David dicit: Anima mea exultábit in Dómino, jucundábitur in Salutári ejus. Et propter hoc Jeroſólymam introeúnte eo, omnes qui erant in via David in dolóre ánimæ, cognovérunt ſuum Regem, & ſubſtravérunt ei veſtiménta, & ramis virídibus adornavérunt viam, cum magna lætítia, & exultatióne clamántes: Hosánna, Fílio David; benedíctus qui venit in nómine Dómini, Hosánna in excélſis.

℟. Dómine Deus, ecce tu fecíſti cœlum & terram in fortitúdine tua magna, & in bráchio tuo exténto: * Non erit tibi difficile omne verbum: qui fácis miſericórdiam in míllibus. ℣. Beátus & ſolus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium. * Non erit. *Jerem.* 32. 17. 1. *Tim.* 6. 15.

Lect. ix. num. 4.

Si ergo idem ipſe adeſt, qui prædicátus eſt à Prophétis, Deus Dóminus noſter Jeſus Chriſtus; & Advéntus ejus pleniórem grátiam & majórem muneratiónem attríbuit eis qui ſuſcepérunt eum; maniféſtum, quóniam & pater idem ipſe eſt, qui à Prophétis annuntiátus eſt, & non altériùs Patris agnitiónem fecit véniens Fílius, ſed ejúſdem qui ab inítio prædicátus eſt, à quo & libertátem détulit his qui legítimè, &

prono ánimo, & toto corde desérviunt ei.

℟. Dómine, qui auſers iniquitátem, * Dabis veritátem Jacob, miſericórdiam Abraham: quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antíquis. ℣. Impoſsíbile eſt mentíri Deum. * Dabis, &c. Glória Patri. * Dabis. *Mich.* 7. 18. 20. *Hebr.* 6. 18. *Non dicitur* Te Deum.

AD LAUDES MATUT.

Pia captivorum querela de liberationis mora.

℣. *Sacerdotalis.* Liberátor meus es tu. ℟. Dómine, ne moréris. *Pſ.* 69. 6.

Ant. t. 1. *d.* QUare in perpétuum oblivíſcéris noſtrî, Deus? Derelínques nos in longitúdine diérum? *Thren.* 5. 20.

Ant. t. 3. *a.* Pars mea, Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. *Thren.* 3. 24.

Ant. t. 6. *f.* Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Iſrael. *Jerem.* 31. 7.

Ant. t. 4. *E.* Dóminus ſpes pópuli ſui, & fortitúdo filiórum Iſrael. *Joel.* 3. 16.

Ant. t. 8. *g.* Ubi eſt zelus tuus, Dómine, & multitúdo víſcerum tuórum, & miſeratiónum tuárum? *Iſ.* 63. 15.

Capitulum. 1. *Mach.* 4. 10.

NUnc clamémus in cœlum, & miſerébitur noſtrî Dóminus, & memor erit teſtaménti patrum noſtrórum.

℣. Convérte, Dómine, captivitátem noſtram, ℟. Sicut torrens in Auſtro. *Pſ.* 125. 4.

Ad Benedict. Ant. t. 1. *A.* Sicut quæ cóncipit, cùm appropinquáverit ad partum, dolens clamat in dolóribus: ſic facti ſumus à fácie tua, Dómine. *Iſ.* 26. 17.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut ab imminéntibus peccatórum noſtrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte ſalvári; Qui vivis, &c.

AD PRIMAM.

Ant. Quare in perpétuum. *Ex Laudibus.*

Capitulum.

Regi ſæculórum, &c.

In ℟. *br.* ℣. Qui es deſiderátus cunctis géntibus. *Agg.* 2. 8.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 25. *c.* 18. *de Reform.*

SCiant univérſi, ſacratíſſimos Cánones exactè ab ómnibus, & quoad ejus fieri póterit, indiſtínctè obſervándos.

AD TERTIAM.

Ant. Pars mea.

Capitulum. *Tob.* 13. 11. 12.

JErúſalem cívitas Dei, caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum. Confitére Dómino, ut reædíficet in te tabernáculum ſuum, & révocet ad te omnes captívos.

℟. *br.* Meménto noſtri, Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto. ℣. Víſita nos in Salutári tuo. * In beneplácito. Glória Patri. Meménto. *Pſ.* 105. 4.

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Oſténde fáciem tuam; & ſalvi érimus. *Pſ.* 79. 5. 8.

AD SEXTAM.

Ant. Salva, Dómine.

Capitulum. Tob. 13. 7.

EGo autem in terra captivitátis meæ confitébor illi: quóniam oſténdit majeſtátem ſuam in gentem peccatrícem.

℟. *br.* Oſténde nobis, Dómine, * Miſericórdiam tuã: Oſténde. ℣. Et ſalutáre tuum da nobis. * Miſericórdiam. Glória Patri. Oſténde. *Pſal.* 84. 8.

℣. Miríſica miſericórdias tuas, ℟. Qui ſalvos facis ſperántes in te. *Pſ.* 16. 7.

AD NONAM.

Ant. Ubi eſt zelus tuus.

Capitulum. Bar. 4. 21.

ANimæquióres eſtóte, fílii, clamáte ad Dóminum; & erípiet vos de manu príncipum inimicórum.

℟. *br.* Animas páuperum tuórum * Ne obliviſcáris in finem. Animas. ℣. Réſpice in teſtaméntum tuum. * Ne obliviſcáris. Glória. Animas. *Pſ.* 73. 19. 20.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

AD II. VESPERAS.

Unde hominis tanta miſeria?

Ant. t. 1. *d.* Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors: in quo omnes peccavérunt. *Rom.* 5. 12.

Ant. t. 2. *D.* Nos omnes aliquándo conversáti ſumus in deſidériis carnis noſtræ: & erámus natúrâ fílii iræ ſicut & cæteri. *Eph.* 2. 3.

Ant. t. 3. *a.* Infélix ego homo? quis me liberábit de córpore mortis hujus? *Rom.* 7. 24.

Ant. t. 4. *E.* Nos ſpíritu ex fide, ſpem juſtítiæ expectámus. *Galat.* 5. 5.

Ant. t. 7. *A.* Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut miſericórdiam conſequámur. *Hebr* 4. 16.

Capitulum. Rom. 9. 29.

SIcut prædíxit Iſaías: Niſi Dñus Sábaoth reliquíſſet nobis ſemen, ſicut Sódoma facti eſſémus, & ſicut Gomórrha símiles fuiſſémus.

Hymnus. Placáre, *ut in Sabbato.*

℣. Protéctor meus es tu; ℟. Deus meus, ne tardáveris. *Pſ.* 39. 18.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *F.* Miſericórdiæ Dómini, quia non ſumus consúmpti: quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22.

Oratio, Excita, &c. *ut ſuprà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Sabbato præcedenti, & ſic per totum Adventum, niſi aliter notetur.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM I. ADVENTUS.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. ut in Dominica I.

Pſalmi de Pſalterio ſecundùm Feriam.

Antiphonæ, Reſponſoria, & Verſus de uno ex Nocturnis Dominicæ præcedentis; ſcilicet pro Feria ſecunda & quinta, ex primo Nocturno: pro tertia & ſexta Feria, ex ſecundo Nocturno: pro Feria quarta & Sabbato, ex tertio Nocturno.

Te Deum, *non dicitur.*

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis, ut in Dominica præcedenti.*

Pſalmi de Feria, Antiphonæ, Capitulum & Verſus de Laudibus Dominicæ; præter Antiphonam ad Benedictus, *quæ eſt cuique Feriæ propria.*

Preces flexis genibus, ut in Pſalterio: Oratio Dominicæ. Nullæ ſiunt Commemorationes Feriales.

AD PRIMAM.

Antiphona, & cætera ut in Dominica præter Pſalmos, qui erunt de Feria, & ſequens

Capitulum. 2. *Mach.* 1. 2.

BEnefáciat vobis Deus, & memínerit teſtaménti ſui, quod locútus eſt ad Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſervórum ſuórum fidélium.

Preces flexis genibus.

Ad alias Horas breves, omnia ut in Dominica: Pſalmi de Feria: Preces flexis genibus.

AD VESPERAS.

Pſalmi ut in Pſalterio ſecundùm Feriam; Antiphonæ, Capitul. Hymnus & Verſus ut in Dominica I. Adventûs, ad II. Veſperas, præter Antiphonam ad Magnificat, *quæ eſt cuique Feriæ propria: Preces flexis genibus. Nulla fiunt ſuffragia.*

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Completorio poſt Sabbatum præcedens. Preces flexis genibus.

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 21. *ad* 29.

QUómodo facta eſt meretrix cívitas fidélis, plena judícii? juſtítia habitávit in ea, nunc autem homicídæ. Argéntum tuum verſum eſt in ſcóriam: vinum tuum mixtum eſt aquâ. Príncipes tui infidéles, sócii furum: omnes díligunt múnera: ſequúntur retributiónes. Pupíllo non júdicant: & cauſa víduæ non ingréditur ad illos. Propter hoc ait Dóminus Deus exercítuum fortis Iſrael: Heu, conſolábor ſuper hoſtibus meis, & vindicábor de inimícis meis. Et convértam manum meam ad te, & éxcoquam ad purum ſcóriam tuam, & áuferam omne ſtannum tuum. Et reſtítuam júdices tuos ut fuérunt priùs, & conſiliários

tuos ſicut antiquitus : poſt hæc vocáberis cívitas juſti, urbs fidélis. Sion in judício redimétur, & redúcent eam in juſtítia : & cónteret ſceléſtos, & peccatóres ſimul: & qui dereliquérunt Dóminum, conſuméntur.

℟. Séquimur te. *Ex* 1. *Nocturn. Domin.* pag. 166.

Lectio ij. Cap. 2. à v. 1. ad 6.

VErbũ, quod vidit Iſaías filius Amos, ſuper Juda & Jerúſalem. Et erit in noviſſimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, & elevábitur ſuper colles; & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, & dicent : Veníte, & aſcendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos vias ſuas, & ambulábimus in ſémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúſalem. Et judicábit gentes, & árguet pópulos multos: & conflábunt gládios ſuos in vómeres, & lánceas ſuas in falces : non levabit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultrà ad prælium. Domus Jacob, veníte, & ambulémus in lúmine Dómini.

℟. Súſcita. *pag.* 166.

Lectio iij. v. 11. ad 20.

OCuli ſublímes hóminis humiliáti ſunt, & incurvábitur altitúdo viròrum : exaltábitur autem Dóminus ſolus in die illa. Quia dies Dómini exercítuum ſuper omnem ſuperbum, & excélſum, & ſuper omnem arrogántem: & humiliábitur. Et ſuper omnes cedros Líbani ſublímes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excélſos, & ſuper omnes colles elevátos. Et ſuper omnem turrim excélſam, & ſuper ómnem murum munítum, & ſuper omnes naves Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt. Et incurvábitur ſublímitas hóminum, & humiliábitur altitúdo viròrum, & elevábitur Dóminus ſolus in die illa: & idóla pénitus conteréntur : & introíbunt in ſpelúncas petrárum, & in vorágines terræ, à fácie formídinis Dómini, & à glória majeſtátis ejus, cùm ſurréxerit percútere terram.

℟. Dómine, fac. *pag.* 167.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Dómine Deus, ne diſpérdas pópulum tuum, & hæreditátem tuam; recordáre ſervórum tuórum. *Deuter.* 9. 26. 27.

CANON

Ex Concílio Cabillonénſi ſecúndo. *Ann.* 813. *Can.* 37.

OMnia Concília Canónum quæ recipiúntur, ſunt à Sacerdótibus legénda, & intelligénda; & per ea eſt vivéndum & prædicándum.

Ad Magn. *Ant. t.* 8. *G.* Ex toto corde ſuo omnes orábant Deum, ut viſitáret pópulum ſuum Iſrael. *Judith.* 4. 17.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta. *Cap.* 3. 1. *ad* 8.

Lectio j.

ECce enim Dominátor Dóminus exercítuum áuferet à Jerúſalem & à Juda válidum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatórem, júdicem, & prophétam, & aríolum, & ſenem; príncipem ſuper quinquagínta, & honorábilem vultu, & conſiliárium, & ſapiéntem de architéctis, & prudéntem elóquii myſtici. Et dabo púeros príncipes eórum, & effœmináti dominabúntur eis. Et írruet pópulus, vir ad virum, & unuſquíſque ad próximum ſuum: tumultuábitur puer contra ſenem, & ignóbilis contra nóbilem. Apprehéndet enim vir fratrem ſuum doméſticum patris ſui: Veſtiméntum tibi eſt, princeps eſto noſter; ruína autem hæc ſub manu tua. Reſpondébit in die illa, dicens: Non ſum médicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtiméntum: nolíte conſtitúere me príncipem pópuli.

℟. Quaſi colúmbæ. *Ex* 2. *Nocturno Dom.* pag. 168.

Lectio ij. Cap. 4. 2. *ad finem.*

IN die illa erit germen Dómini in magnificéntia & glória, & fructus terræ ſublímis, & exultátio his qui ſalváti fúerint de Iſrael. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, & resíduus in Jerúſalem, ſanctus vocábitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jerúſalem; ſi ablúerit Dóminus ſordes filiárum Sion, & ſánguinem Jerúſalem láverit de médio ejus, in ſpíritu judícii, & ſpíritu ardóris. Et creábit Dóminus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi invocátus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendórem ignis flammántis in nocte; ſuper omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æſtu, & in ſecuritátem & abſconſiónem à túrbine, & à plúvia.

℟. Qui ſedes. *pag.* 168.

Lectio iij. Cap. 5. 1. *ad* 8.

CAntábo dilécto meo cánticum patruélis mei víneæ ſuæ. Vínea facta eſt dilécto meo in cornu fílio ólei. Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa, & plantávit eam eléctam, & ædificávit turrim in médio ejus, & torcúlar extrúxit in ea: & expectávit ut fáceret uvas, & fecit labrúſcas. Nunc ergo, habitatóres Jerúſalem, & viri Juda, judicáte inter me, & víneam meam. Quid eſt quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? an quòd expectávi ut fáceret uvas, & fecit labrúſcas? Et nunc oſténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: áuferam ſepem ejus, & erit in direptiónem: díruam macériam ejus, & erit in conculcatiónem. Et

ponam eam desértam : non putábitur, & non fodiétur : & aſcéndent vepres & ſpinæ, & núbibus mandábo ne pluant ſuper eam imbrem. Vínea enim Dómini exercítuum, domus Iſrael eſt : & vir Juda, germen ejus delectábile : & expectávi ut fáceret judícium, & ecce iníquitas ; & juſtítiam, & ecce clamor.

℟. Emítte. *pag.* 169.

Ad Bened. *Ant. t.* I. *D.* Ecce nos in captivitáte noſtra ſumus hódie, quâ nos diſperſíſti, Dómine, in impropérium, & in maledíctum, & in peccátum. *Bar.* 3. 8.

C A N O N.

Ex Concílio Tolet. quarto.

Ann. 633. *C.* 25.

SCiant Sacerdótes Scriptúras ſacras, & Cánones mediténtur ; ut omne opus eórum in prædicatióne divína & doctrína consíſtat ; atque ædíficent cunctos tam fídei ſciéntiâ, quàm óperum diſciplínâ.

Ad Magn. *Ant. t.* I. *D.* Numquid ſervus eſt Iſrael aut vernáculus ? Quare factus eſt in prædam ? *Jerem.* 2. 14.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 6. *v.* I. *ad* 8.

IN anno, quo mórtuus eſt rex Ozías, vidi Dóminum ſedéntem ſuper sólium excélſum & elevátum : & ea quæ ſub ipſo erant, replébant templum. Séraphim ſtabant ſuper illud : ſex alæ uni, & ſex alæ álteri : duábus velábant fáciem ejus, & duábus velábant pedes ejus, & duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, & dicébant : Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dóminus Deus exercítuum, plena eſt omnis terra glóriâ ejus. Et commóta ſunt ſuperliminária cárdinum à voce clamántis, & domus repléta eſt fumo. Et dixi : Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego ſum, & in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, & Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, & in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, & dixit : Ecce tétigit hoc lábia tua, & auferétur iníquitas tua, & peccátum tuum mundábitur.

℟. Nunc, Dómine. *Ex III. Noct. Domin.* pag. 170.

Lectio ij. v. 8. *ad finem.*

ET audívi vocem Dómini dicéntis : Quem mittam ? & quis ibit nobis ? Et dixi : Ecce ego, mitte me. Et dixit : Vade, & dices pópulo huic : Audíte, audiéntes, & nolíte intellígere : & vidéte viſiónem, & nolíte cognóſcere. Excæca cor pópuli hujus, & aures ejus aggrava : & óculos ejus claude : ne fortè vídeat óculis ſuis, & áuribus ſuis áudiat, & corde ſuo intélligat, & convertátur, & ſanem eum. Et dixi : Uſquequò, Dómine ? Et dixit ;

xit : Donec deſoléntur civitátes abſque habitatóre, & domus ſine hómine, & terra relinquétur desérta. Et longè fáciet Dóminus hómines, & multiplicábitur quæ derelícta fúerat in médio terræ. Et adhuc in ea decimátio, & convertétur, & erit in oſtenſiónem ſicut terebínthus, & ſicut quercus, quæ expándit ramos ſuos : ſemen ſanctum erit id quod ſtéterit in ea.

℟. Dómine Deus, *p.* 170.

Lectio iij. Cap. 7. v. 3. ad 16.

ET dixit Dóminus ad Iſaíam : Egrédere in occúrſum Achaz tu, & qui derelíctus eſt Jaſub filius tuus, ad extrémum aquæductûs piſcinæ ſuperióris in via agri fullónis. Et dices ad eum : Vide ut síleas : noli timére, & cor tuum ne formídet à duábus caudis titiónum fumigántium iſtórum in ira furóris Raſin regis Syriæ, & filii Romeliæ : eo quòd consilium iníerit contra te Syria in malũ Ephraim, & filius Roméliæ, dicéntes : Aſcendámus ad Judam, & ſuſcitémus eum, & avellámus eum ad nos, & ponámus regem in médio ejus filium Tábeel. Hæc dicit Dóminus Deus : Non ſtabit, & non erit iſtud : ſed caput Syriæ Damáſcus, & caput Damaſci Raſin : & adhuc ſexagínta & quinque anni, & déſinet Ephraim eſſe pópulus : & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credidéritis, non permanébitis. Et adjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inferni, ſive in excélſum ſupra. Et dixit Achaz : Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit : Audíte ergo, domus David : Numquid parum vobis eſt, moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo ? Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concípiet, & páriet Filium, & vocábitur nomen ejus, Emmánuel. Butyrum & mel cõmedet, ut ſciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. Dómine, qui, *pag.* 171.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Dóminus exercítuum Jerúſalem prótegens & líberans, tránſiens & ſalvans. *Iſ.* 31. 5.

CANON

Ex Concílio Nicéno ſecúndo.

An. 787. *Can.* I.

CAnones, ampléctimur, non ſolùm qui ab almis Apóſtolis & univerſálibus Synodis, ſed qui étiam in áliis Concíliis, quæ locáliter per províncias & regiónes ſunt colléta, in expoſitiónem hujúſmodi Decretórũ promulgáti ſunt, & qui à ſanctis Pátribus noſtris proláti fuiſſe probántur; ab uno enim õnes eodémque Spíritu illumináti, quæ erant utília definiérunt.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *D.* Nos autem líbera manu tuâ; & ádjuva me nullum álıud

auxílium habéntem, niſi te, Dómine. *Eſth.* 14. 14.

FERIA QUINTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 9. *ad* 18.

CONgregámini, pópuli, & vincímini, & audíte, univerſæ procul terræ: confortámini, & vincímini, accíngite vos & vincímini: iníte consílium, & diſſipábitur: loquímini verbum, & non fiet: quia nobíſcum Deus. Hæc enim ait Dóminus ad me: Sicut in manu forti erudívit me, ne irem in via pópuli hujus, dicens: Non dicátis, Conjurátio: ómnia enim quæ lóquitur pópulus iſte, conjurátio eſt: & timórem ejus ne timeátis, neque paveátis. Dóminum exercítuum ipſum ſanctificáte: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificatiónem. In lápidem autem offenſiónis, & in petram ſcándali, duábus dómibus Iſrael; in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúſalem. Et offéndent ex eis plúrimi, & cadent, & conteréntur, & irretiéntur, & capiéntur. Liga teſtimónium, ſigna legem in diſcípulis meis. Et expectábo Dóminum, qui abſcóndit fáciem ſuam à domo Jacob, & præſtolábor eum.

℟. Séquimur, *Ex* 1. *Noct. Domin.* pag. 166.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 7.

VÆ qui condunt leges iníquas: & ſcribéntes, injuſtítiam ſcripſérunt; ut opprímerent in judício páuperes, & vim fácerent cauſæ humílium pópuli mei: ut eſſent víduæ præda eórum, & pupíllos diríperent. Quid faciétis in die viſitatiónis, & calamitátis de longè veniéntis? ad cujus confugiétis auxílium? & ubi derelinquétis glóriam veſtram, ne incurvémini ſub vínculo, & cum interféctis cadátis? ſuper ómnibus his non eſt avérſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus exténta. Væ Aſſur, virga furóris mei, & báculus ipſe eſt, in manu eórum indignátio mea. Ad gentem fallácem mittam eum, & contra pópulum furóris mei mandábo illi ut áuferat ſpólia, & dirípiat prædam, & ponat illum in conculcatiónem quaſi lutum plateárum.

℟. Súſcita, *pag.* 166.

Lectio iij. v. 20. *ad* 26.

ET erit in die illa: non adjíciet resíduum Iſrael, & hi qui fúgerint de domo Jacob, ínniti ſuper eo qui pércutit eos: ſed innitétur ſuper Dominum ſanctum Iſrael in veritáte. Relíquiæ, converténtur, relíquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. Si enim fúerit pópulus tuus Iſrael quaſi aréna maris, relíquiæ converténtur ex eo: conſummátio abbreviáta inundábit juſtítiam. Conſummatiónem enim & abbreviatiónem Dóminus Deus exercítuum fáciet in médio omnis terræ. Propter hoc, hæc

dicit Dóminus Deus exercítuum: Noli timére, pópulus meus habitátor Sion, ab Aſſur: in virga percútiet te, & báculum ſuum levábit ſuper te in via Ægypti. Adhuc enim páululùm modicúmque, & conſummábitur indignátio & furor meus ſuper ſcelus eórum.

℟. Dómine, fac, *pag.* 167.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *a.* Elevátor meus, & refúgium meum: Salvátor meus, de iniquitáte liberábis me. 2. *Reg.* 22. 3.

CANON

Ex Concílio Meldénſi.

An. 845. *Can.* 34.

Canonum ſtatúta ab ómnibus cuſtodiántur, & nemo in actiónibus, vel judíciis Eccleſiáſticis ſuo ſenſu, ſed eórum auctoritáte ducátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *B.* Peccávimus, redde tu nobis, Dómine, quidquid placet: tantùm nunc líbera nos. *Judic.* 10. 15.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 11. *ad* 16.

Et egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet. Et requiéſcet ſuper eum ſpíritus Dómini; ſpíritus ſapiéntiæ, & intelléctûs, ſpíritus consílii, & fortitúdinis, ſpíritus ſciéntiæ, & pietátis. Et replébit eum ſpíritus timóris Dñi. Non ſecúndùm viſiónem oculórum judicábit, neque ſecúndùm audítum áurium árguet: ſed judicábit in juſtítia páuperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris ſui, & ſpíritu labiórum ſuórum interfíciet ímpium. Et erit juſtítia cíngulum lumbórum ejus: & fides cinctórium renum ejus. Habitábit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubábit: vítulus & leo & ovis ſimul morabúntur, & puer párvulus minábit eos. Vítulus & urſus paſcéntur: ſimul requiéſcent cátuli eórum: & leo quaſi bos cómedet páleas. Et delectábitur infans ab úbere ſuper forámine áſpidis: & in cavérna réguli, qui ablactátus fúerit, manum ſuam mittet. Non nocébunt, & non occídent in univérſo monte ſancto meo; quia repléta eſt terra ſciéntiâ Dómini, ſicut aquæ maris operiéntes.

℟. Quaſi colúmbæ, *Ex* 2. *Nocturno Domin.* pag. 168.

Lectio ij. v. 10. *ad* 14.

In die illa, radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabúntur, & erit ſepúlchrum ejus gloriósum. Et erit in die illa: Adjíciet Dóminus ſecúndò manum ſuã ad poſſidéndum resíduum pópuli ſui, quod relinquétur ab Aſſyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiópia, & ab Elam, & à Sénnaar, & ab Emath, & ab ínſulis maris. Et levábit ſignum in natiónes, & congregábit prófugos Iſraël, &

diſpérſos Juda cólliget à quátuor plagis terræ. Et auferétur zelus Ephraim, & hoſtes Juda períbunt: Ephraim non æmulábitur Judam, & Judas non pugnábit contra Ephraim.

℟. Qui ſedes, *pag.* 168.

Lectio iij. Cap. 14. *v.* 1. *ad* 8.

PRopè eſt ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. Miſerébitur enim Dóminus Jacob, & éliget adhuc de Iſrael, & requiéſcere eos fáciet ſuper humum ſuam: adjungétur ádvena ad eos, & adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum ſuum: & poſſidébit eos domus Iſrael ſuper terram Dómini in ſervos & ancíllas: & erunt capiéntes eos qui ſe céperant, & ſubjícient exactóres ſuos. Et erit in die illa: cùm réquiem déderit tibi Deus à labóre tuo, & à concuſſióne tua, & à ſervitúte dura, quâ ante ſervíſti; ſumes parábolam iſtam contra regem Babylónis, & dices: Quómodo ceſsávit exáctor, quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cædéntem pópulos in indignatióne, plagâ inſanábili, ſubjiciéntem in furóre gentes, perſequéntem crudéliter. Conquiévit, & ſíluit omnis terra, gavíſa eſt, & exultávit.

℟. Emítte, *pag.* 169.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1 *C.* In ſpíritu conſtitúti humiliáto ſerviéntes Deo, dicámus ut fáciat nobíſcum miſericórdiam ſuam *Judith.* 8. 16. 17.

CANON

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *Decret.* 3. *de fide.*

SAncta & inviolábilis eſt ſacrórum Conciliórum univerſálium auctóritas, cui quiſque pertinácius refragátur, hoſtis fídei, jure óptimo censéri debet.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *B.* Ne, quæſumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum: & ne diſſipes teſtaméntum tuum. *Dan.* 3. 34.

SABBATO.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 16. *v.* 1. *ad* 6.

EMítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de petra desérti ad montem fíliæ Sion. Et erit: ſicut avis fúgiens, & pulli de nido avolántes, ſic erunt fíliæ Moab in tranſcénſu Arnon. Ini consílium, coge concílium: pone quaſi noctem umbram tuam in merídie: abſcónde fugiéntes, & vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: Moab, eſto latíbulum eórum à fácie vaſtatóris: finítus eſt enim pulvis, conſummátus eſt miſer: defécit qui conculcábat terram. Et præparábitur in miſericórdia ſolium, & ſedébit ſuper illud in veritáte in tabernáculo David, júdicans & quærens judícium, & velóciter reddens quod juſtum eſt,

℟. Nunc, Domine, *Ex* 3. *Nocturno Domin.* pag. 170.

Lectio ij. Cap. 17. *v.* 4. *ad* 9.

ET erit in die illa: attenuábitur glória Jacob, & pinguédo carnis ejus marcéſcet. Et erit ſicut côngregans in meſſe quod reſtiterit, & bráchium ejus ſpicas leget: & erit ſicut quærens ſpicas in valle Ráphaim. Et relinquétur in eo ſicut racémus, & ſicut excúſſio óleæ duárum vel trium olivárum in ſummitáte rami, ſive quátuor aut quinque in cacumínibus ejus, fructus ejus: dicit Dóminus Deus Iſrael. In die illa inclinábitur homo ad Factórem ſuum, & óculi ejus ad Sanctū Iſrael reſpícient: & non inclinábitur ad altária, quæ fecérunt manus ejus: & quæ operáti ſunt dígiti ejus non reſpíciet, lucos & delúbra.

℟. Dómine Deus, *pag.* 170.

Lectio iij. Cap. 19. *v.* 19. *ad* 23.

IN die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægypti, & títulus Dómini juxta términum ejus erit in ſignum, & in teſtimónium Dómino exercítuum in terra Ægypti. Clamábunt enim ad Dóminum à fácie tribulántis, & mittet eis ſalvatórem & propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoſcétur Dóminus ab Ægypto, & cognóſcent Ægyptii Dóminum in die illa, & colent eum in hóſtiis & in munéribus: & vota vovébunt Dómino, & ſolvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plagâ, & ſanabit eam, & reverténtur ad Dóminum, & placábitur eis, & ſanábit eos.

℟. Dómine, qui, *pag.* 171.

Ad Benedict. Ant. t. 4. *E.* Expectémus à Dómino miſericórdiam: fórſitan enim indignatiónem ſuam abſcíndet, & dabit gloriam nómini ſuo. *Judith.* 7. 23. 24.

CANON

Ex Concílio Senonénſi.

An. 1528. *Decret.* 3. *de fide.*

QUòd ſi duo vel tres in nómine Dómini congregántur (licet ſibi ipſi relicti, falli poſſint) contínuò tamen in médio eórum ſit Dóminus; quantò magis ubi ſummus Póntifex, cæteríque primóres Eccleſiáſtici convéniunt, ut hæréſibus ſubínde pullulántibus occúrrant, & Domínicum agrum ſubórtis expúrgent zizániis.

SABBATO

ANTE DOMINICAM II. Adventûs.

AD VESPERAS.

Afflictæ Sion venturus nuntiatur Redemptor.

Ant. t. 3. *a.* ANimæquior eſto, pópulus Dei, memorábilis Iſrael: venúmdati eſtis, non in perditiónem. *Baruch.* 4. 5. 6.

Ant. t. 4. *E.* Noli timére, non confundéris; quia dominábitur tuî, qui fecit te. *Iſ.* 54. 4. 5.

Ant. t. 5. *f.* Ad punctum in módico derelíqui te; & in

miſeratiónibus magnis congregábo te. *Iſ.* 54. 7.

Ant. t. 7. *D.* Expectábo Dóminum qui abſcóndit fáciem ſuam à Jacob, & præſtolábor eum. *Iſ.* 8. 17.

Ant. t. 8. *C.* Tu Dominátor virtútis, ſubeſt tibi, cùm volúeris, poſſe; bonæ ſpei fecíſti fílios tuos. *Sap.* 12. 18. 19.

Capitulum. Jerem. 30. 10.

NE tímeas, ſerve meus Jacob, ait Dóminus, neque páveas, Iſrael, quia ecce ego ſalvábo te.

HYMNUS.

AFflícta ne plores, Sion:
Mox ſolve colli víncula,
Et ſigna luctûs, ſquállidas
Exúta veſtes, ábjice.

Vox læta terris ínſonat:
Quàm dulce clamat núntium!
Optátus à tot ſæculis
Tandem Redémptor ádvenit.

Salútis Advéntum ſuæ
Tellus, & æther, & mare
Prægeſtiénte séntiant,
Et jam ſalútent gáudio.

Verbum Dei, ſplendor Patris,
Tuæ memor cleméntiæ,
Novo pacíſcens fœdere
Mundo jacénti súbvenis.

Quid non tuus poteſt amor!
Sinu paréntis vírginis
Fis ipſe ſervus, ut jugo
Nos ſervitútis éximas.

Læto jucúnda núntio
Mens ſe moléſtis éxplicet,
Vultus levans ad sídera,
Spes unde nobis émicat.

Tibi, Redémptor ómnium,
Cum Patre ſit laus máxima;
Sancto ſimul cum Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Tu es Deus Salvátor meus, & te ſuſtínui totâ die:

℟. Reminíſcere miſeratiónum tuárum quæ à ſæculo ſunt. *Pſalm.* 24. 5. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Sion, non vocáberis ultrà Derelícta: & terra tua non vocábitur ámpliùs, Deſoláta. *Iſ.* 62. 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum, qui ipſe véniet, & ſalvábit nos, * Veníte, adorémus. *Iſ.* 35. 4.

Pſalmi ut in Pſalterio.

IN I. NOCTURNO.

Sion lugenti promiſſa ſua iterat Deus.

Ant. t. 1. *d.* SUper te, Jerúſalem, oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60. 2.

Ant. t. 2. *D.* Exúlta, fília Sion, júbila, Jerúſalem, Ecce Rex tuus véniet tibi juſtus, & Salvátor. *Zach.* 9. 9.

Ant. t. 4. *A.* Vidébunt, Sion, gentes juſtum tuum, & cuncti reges ínclytum tuũ. *Iſ.* 62. 2.

℣. Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ,

℟. Et veritátis ſuæ dómui Iſrael. *Pſalm.* 97. 3.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 30. v. 18. ad 22.

EXpéctat Dóminus ut miſereátur veſtrî : & ídeò exaltábitur parcens vobis : quia Deus judícii Dóminus : beati omnes qui expéctant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Jerúſalem : plorans nequáquàm plorábis, míſerans miſerébitur tuî : ad vocem clamóris tui ſtatim ut audíerit, reſpondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum, & aquam brevem : & non fáciet avoláre à te ultrà doctórem tuum : & erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum. Et aures tuæ áudient verbum poſt tergum monéntis : Hæc eſt via, ambuláte in ea : & non declinétis neque ad déxteram, neque ad ſiníſtram.

℟. Conſolámini, pópule meus, dicit Deus veſter ; quóniam * Compléta eſt malítia Jerúſalem, dimíſſa eſt iníquitas illíus. ℣. Ait Deus : Témpore accépto exaudívi te, & in die ſalútis adjúvi te. * Compléta eſt. *Iſ.* 40. 1. 2. 2. *Cor.* 6. 2.

Lectio ij. Cap. 32. v. 1. ad 6.

ECce in juſtítia regnábit Rex, & príncipes in judício præérunt. Et erit vir ſicut qui abſcónditur à vento, & celat ſe à tempeſtáte, ſicut rivi aquárum in ſiti, & umbra petræ prominéntis in terra desérta. Non caligábunt óculi vidéntium, & aures audiéntiũ diligénter auſcultábunt. Et cor ſtultórum intélliget ſciéntiam, & lingua balbórum velóciter loquétur & planè. Non vocábitur ultrà is, qui inſípiens eſt, princeps : neque fraudoléntus appellábitur major.

℟. Quare mœróre contráheris, fília Sion ? Numquid Rex non eſt tibi, aut conſiliárius tuus périit ? * Liberáberis, rédimet te Dóminus de manu inimicórum tuórum. ℣. Venit fílius hóminis quærere & ſalvum fácere quod períerat. * Liberáberis. *Mich.* 4. 9. 10. *Luc.* 19. 10.

Lectio iij. v. 13. ad 19.

SUper humum pópuli mei ſpinæ & vepres aſcéndent : quantò magis ſuper omnes domos gáudii civitátis exultántis ? Domus enim dimíſſa eſt, multitúdo urbis relícta eſt, ténebræ & palpátio factæ ſunt ſuper ſpelúncas uſque in ætérnum. Gáudium onagrórum, páſcua gregum, donec effundátur ſuper nos ſpíritus de excélſo : & erit desértum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputábitur. Et habitábit in ſolitúdine judícium, & juſtítia in Charmel ſedébit. Et erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum. Et ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulénta.

℟. Sperávi in ætérnum ſalútem : * Venit mihi gáudium à ſancto ſuper miſeri-

cordia, quæ véniet ab æterno ſalutári noſtro. ℣. Sicut locútus eſt ad patres noſtros, Abraham, & sémini ejus. * Venit mihi... Glória Patri. * Venit. *Bar.* 4. 22. *Luc.* 1. 55.

IN II. NOCTURNO.

Fidelis Deus in promiſſis: hinc miſeris ſpes affluit

Ant. t. 3. *a.* Auferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie, & oppróbrium pópuli ſui. *Iſ.* 25. 8.

Ant. t. 5. *a.* Dóminus ſpes pópuli ſui, & fortitúdo filiórum Iſrael. *Joel.* 3. 16.

Ant. t. 8. *g.* Super Dóminum non confundéntur qui expéctant eum. *Iſ.* 49. 23.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum: ℟. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſalm.* 131. 11.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv.

De Nativitate Domini noſtri J. C. Serm. 4. *Cap.* 1.

SEmper quidem, dilectíſſimi, divérſis modis multíſque menſúris humáno géneri bónitas divína conſúluit; & plúrima providéntiæ ſuæ múnera ómnibus retro ſæculis deménter impértiit: ſed in noviſſimis tempóribus omnem abundántiam ſólitæ benignitátis excéſſit, quando in Chriſto, ipſa ad peccatóres miſericórdia, ipſa ad errántes véritas, ipſa ad mórtuos vita deſcéndit; ut Verbum illud coætérnum, & coæquále Genitóri, in unitáte Deitátis ſuæ natúram noſtræ humilitátis aſſúmeret, & Deus de Deo natus, idem étiam homo de hómine naſcerétur. Promíſſum quidem hoc à conſtitutióne mundi, & multis ſignificatiónibus rerum atque verbórum ſemper fúerat prophetátũ; ſed quantam hóminum portiónem figúræ illæ, & myſtéria obumbráta ſalvárent; niſi longa & occúlta promíſſa Advéntu ſuo Chriſtus impléret; & quod tunc paucis credéntibus prófuit faciéndum, innúmeris jam fidélibus prodeſſet effectum?

℟. Dícite: Salva nos, Deus Salvátor noſter; & cóngrega nos, & * Erue de géntibus, ut cõfiteámur nómini ſancto tuo, & exultémus in carmínibus tuis. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. Nec enim áliud nomen ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fíeri. * Erue. 1. *Paral.* 16. 35. *Act.* 4. 12.

Lectio v.

JAm ergo nos, non ſignis, neque imagínibus ad fidẽ dúcimur: ſed Evangelicâ hiſtóriâ confirmáti, quod factum crédimus, adorámus; accedéntibus ad eruditionem noſtram prophéticis inſtruméntis, ut nullo modo habeámus ambíguum, quod tantis oráculis ſcimus eſſe prædíctum. Hinc enim eſt quòd Dóminus Abrahæ ait: In sémine tuo benedicéntur omnes gentes. Hinc David

promiſſiónem Dei prohético ſpíritu canit : Juravit Dóminus David : & non fruſtrábitur eum ; de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Hinc idem Dóminus per Iſaíam : Ecce virgo, inquit, in útero concípiet, & páriet Filium, & vocabitur nomen ejus, Emmánuel ; quod interpretátur, nobíſcum Deus. Et iterum : Exiet virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet. In qua virga non dúbiè beáta Virgo María prædícta eſt, quæ de Jeſſe & David ſtirpe progénita, & Spíritu ſancto fœcundáta, novum florem carnis humánæ, útero quidem matérno, ſed partu eſt enixa virgíneo.

℟. Ego autem ad Dóminum aſpíciam : * Expectábo Deum Salvatórem meum : áudiet me Deus meus. ℣. Sciens quia quæcúmque promíſit Deus, potens eſt & fácere. * Expectábo. *Mich.* 7. 7. *Rom.* 4. 21.

Lectio vj. Cap. 2.

EXúltent ergo in laudem Dei corda credéntium ; & mirabília ejus confiteántur filii hóminum : quóniam in hoc præcípuè Dei ópere humílitas noſtra cognóſcit, quantì eam ſuus Cónditor æſtimávit. Qui cùm orígini humánæ multùm déderit, quòd nos ad imáginem ſuam fecit, reparatióni noſtræ longè ámpliùs tríbuit cùm ſervíli formæ ipſe ſe Dóminus coaptávit. Quamvis enim ex una eadémque pietáte ſit, quidquid creatúræ Creátor impéndit ; minùs tamen mirum eſt, hóminem ad divína profícere, quàm Deum ad humána deſcéndere. Hoc autem, niſi fácere dignarétur Omnípotens, nulla quemquam ſpécies juſtítiæ, nulla forma ſapiéntiæ à captivitáte diáboli, & à profúndo ætérnæ mortis erúeret.

℟. Dómine, Deus meus es tu, exaltabo te & confitébor nómini tuo : quóniam * Fecíſti mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles, amen. ℣. Omnes gentes vénient, & adorábunt in conſpéctu tuo ; quóniam judícia tua maniféſta ſunt. * Fecíſti. Gloria * Fecíſti. *Iſ.* 25. 1. *Apoc.* 15. 4.

IN III. NOCTURNO.

Luctus vertetur in gaudium per Chriſti Adventum.

Ant. t. 4. *a.* Suſcitábo verbum bonum, quod locútus ſum ad domum Iſrael. *Jer.* 33. 14.

Ant. t. 7 *a.* Vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei. *Iſ.* 52. 10.

Ant. t. 8. *C.* Ecce Deus noſter iſte, expectávimus eum, & ſalvábit nos : ſuſtinúimus eum, & lætábimur in Salutári ejus. *Iſ.* 25. 9.

℣. Expéctans expectávi Dóminum,

℟. Et inténdit mihi. *Pſalm.* 39. 1.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21. 25.

IN illo témpore, Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Erunt ſigna in ſole, & ſtellis ,. & in terris preſsúra géntium. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 4. de Adv. Dom. n. 1.

DIgnum eſt, fratres, ut tota cum devotione Dómini celebrétis Advéntum, delectáti tantâ conſolatióne, ſtupefácti tantâ dignatióne, inflammáti tantâ dilectióne. Nec verò ſolùm cogitétis Advéntum quo venit quærere & ſalvum fácere quod períerat; ſed & illum nihilominus, quo véniet & aſsúmet nos ad ſeipſum. Utinam circa hos duos Advéntus jugi meditatióne versémini, ruminántes in córdibus veſtris, quantùm in prióre præſtíterit, quantùm promíſerit in ſecúndo!

℟. Præparáre in occúrſum Dei tui, Iſrael, * Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians hómini elóquium ſuum, grádiens ſuper excélſa terræ. ℣. Scitóte quóniam propè eſt regnum Dei. * Quia ecce. *Amos. 4. 12. 13. Luc. 21. 31.*

Lectio viij. n. 3. & 4.

TEmpus eſt, fratres, ut judicium incípiat à domo Dei. Quis finis eórum qui non obédiunt Evangélio? Quod judícium his qui in hoc judício non resúrgunt? Quicúmque enim judicári diſsímulant eo judício quod nunc eſt, in quo princeps hujus mundi ejícitur foràs; júdicem expéctent, vel magis tímeant, à quo cum ipſo príncipe ſuo foràs ejiciéntur & ipſi. Nos autem ſi perféctè judicámur nunc, ſecúri Salvatórem expectemus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Advéniens enim Salvátor reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ; ſi tamen priùs fúerit cor reformátum, & configurátum humilitati cordis ipsíus.

℟. Expéctat Dóminus ut miſereátur veſtrì : & ideò exaltábitur parcens vobis : * Deus judícii Dóminus, beáti omnes qui expéctant eum. ℣. Apparébit expectántibus ſe, in ſalútem. * Deus judícii. *Iſ. 30. 18. Heb. 9. 28.*

Lectio ix. Serm 5. n. 1.

TErtius quidam advéntus eſt médius inter illos; in quo delectabíliter dórmiunt, qui eum norunt : Illi enim duo maniféſti ſunt, ſed non iſte. In prióri quidem in terris viſus & cum homínibus conversátus eſt; Quando, ſicut ipſe teſtátur, & vidérunt eum, & odérunt. In poſterióri verò, vidébit omnis caro Salutáre Dei noſtri; & vidébunt in quem transfixérunt. Médius occúltus eſt, in quo ſoli eum in ſeípſis vident elécti, & ſalvæ fiunt ánimæ

rórum. In primo ergo venit in carne & infirmitáte; in hoc médio, in ſpíritu & virtúte: in último, in glória & majeſtáte. Per virtútem enim pervenítur ad glóriam, quia Dóminus virtútum ipſe eſt Rex glóriæ; & advéntus iſte médius via quædam eſt, per quam à primo venítur ad último. In primo Chriſtus fuit redémptio noſtra, in último apparébit vita noſtra: in iſto réquies eſt & conſolátio noſtra.

℟. Deus manifeſtè véniet; Deus noſter & non ſilébit: * Advocábit cœlum desúrſum & terram diſcérnere pópulum ſuum. † Congregáte illi ſanctos ejus: ℣. Non præteríbit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. * Advocábit. Glória. † Congregate. *Pſ.* 49. 3. 4. 5. *Math.* 24. 34.

AD LAUDES.

Bonum eſt ſperare in Domino: ex ipſo ſalus.

℣. *Sacerdotalis.* Quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus?

℟. Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me. *Pſalm.* 38. 8. 9.

Ant. t. 1. *A.* Exaltábitur Dóminus exercítuum in judício: & Deus ſanctus ſanctificábitur in juſtítia. *Iſ.* 5. 16.

Ant. t. 3. *E.* Laudis ejus plena eſt terra: ſplendor ejus ut lux erit. *Habac.* 3. 3. 4.

Ant. t. 1. *D.* Sicut promíſit in lege, citò noſtri miſerébitur. 2. *Mach.* 2. 18.

Ant. t. 6. *F.* Dóminus lux mea eſt: edúcet me in lucem: vidébo juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 8. 9.

Ant. t. 5. *A.* Pars mea Dóminus, dixit ánima mea: proptérea expectábo eum. *Thren.* 3. 24.

Capitulum. Geneſ. 49. 16.

Non auferétur ſceptrum de Juda, & dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus eſt: & ipſe erit expectátio géntium.

℣. Beneplácitum eſt Dómino ſuper timéntes eum:

℟. Et in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus. *Pſ.* 146. 11.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Leváte cápita veſtra: quóniam appropínquat redémptio veſtra. *Luc.* 21. 28.

Oratio.

Excita, Dómine, corda noſtra ad præparándas Unigéniti tui vias; ut per ejus Advéntum, purificátis tibi méntibus ſervíre mereámur; Qui tecum vivit, &c.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus, omiſſâ quartâ, & ſimiliter in Officiis per annum.

AD PRIMAM.

Capitulum.

Regi ſæculórum, &c. *ut in Pſalterio.*

℣. *In* ℟. *br.* Qui ventúrus es in mundum. *Joan.* 6. 14.

CANON

Ex Concilio Moguntíno.

Anno 1549. *Can.* 61.

Sanctórum Celebritátes in diem Domínicam incidéntes, censémus ſubme-

véndas, & in Fériam áliquam præcedéntem, vel ſequéntem transferéndas, quò ſanctórum ómnium Dómino, ſua conſervétur ſolémnitas; excéptis ſummis feſtivitátibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Iſ. 59. 1.

NOn eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat; neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exáudiat.

℟. *br.* Tu exúrgens, Dómine, * Miſeréberis Sion... Tu exúrgens... ℣. Quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus. * Miſeréberis..: Glória... Tu exúrgens... *Pſ.* 101. 14.

℣. Confitébor illi: Salutáre vultûs mei:

℟. Et Deus meus. *Pſ.* 41. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Iſ. 35. 3. 4.

COnfortáte manus diſſolútas: & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére: Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos.

℟. *br.* Deus illúminet vultum ſuum ſuper nos; * Et miſereátur noſtri... Deus..: ℣. Ut cognoſcámus in terra viam tuam, in géntibus ſalutáre tuum. * Et miſereátur.... Glória.... Deus. *Pſ.* 66. 2. 3.

℣. Véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine:

℟. Salutáre tuum, ſecúndùm elóquium tuum. *Pſalm.* 118. 41.

AD NONAM.

Capitulum. Jerem. 33. 14. 15.

ECce dies véniunt; dicit Dóminus: & ſuſcitábo verbum bonum quod locútus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Juda: & germináre fáciam David germen juſtítiæ.

℟. *br.* Deus, tu convérſus * Vivificábis nos... Deus.: ℣. Et plebs tua lætábitur in te. * Vivificábis... Glória... Deus... *Pſalm.* 84. 7.

℣. Deus virtútum, convértere.

℟. Réſpice de cœlo, & vide. *Pſalm.* 79. 15.

AD VESPERAS.

De promiſſo Meſſia novi Teſtamenti, cum vetere concordia.

Ant. t. 8. *G.* DEus & Pater noſter, qui diléxit conſolatiónem ætérnam, & nos, dedit ſpem bonam in grátia. 2. *Theſſ.* 2. 15.

Ant. t. 5. *A.* Véniet ex Sion, qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob. *Rom.* 11. 26.

Ant. t. 6. *F.* De ſalúte animárum exquiſiérunt atque ſcrutáti ſunt Prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt. 1. *Petr.* 1. 10.

Ant. t. 3. *E.* Ipſe Dóminus dixit: Non te déſeram, neque derelínquam. *Heb.* 13. 5.

Ant. t. 1. *A.* Succíncti lumbos mentis veſtræ, ſperáte in eam, quæ offértur vobis, grátiam; in revelatiónem Jeſu Chriſti. 1. *Pet.* 1. 13.

Capitulum. Hebr. 8. 10. 12.

HOc eſt teſtaméntum quod diſpónam dómui Iſrael poſt dies illos, dicit Dóminus: quia propítius ero iniquitátibus eórum, & peccatórum eórum jam non memorábor.

Hymnus. Afflícta ne plores, *ut in Sabbato præcedenti.*

℣. Ipſe rédimet Iſrael, ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Pſ.* 129. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Vidébitis Fílium hóminis veniéntem cum núbibus cœli. *Marc.* 14. 62.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut notantur ad Completorium in Sabbato ante Dominicam I. Adventûs.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM II. ADVENTUS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. ut in Dominica ſecunda: Pſalmi de Feria, Antiphonæ, Verſus & Reſponſoria ex uno Nocturno Dominicæ II. ſecundùm Rubricam priùs aſſignatam.

A D L A U D E S.

℣. *Sacerdotalis. Ant. Capit. &* ℣. *ut in Dominica II. Pſalmi feriales. Ant. ad* Bened. *ut in qualibet Feria notatur: Preces flexis genibus.*

A D P R I M A M.

Omnia ut in Dominica II. præter Pſalmos qui erunt de Feria & Capit. ſequens.

Capitulum. Exod. 6. 5. 6 7.

REcordátus ſum pacti mei: Ego Dóminus qui vos éruam de ſervitúte; ac rédimam in bráchio excélſo, & judíciis magnis; & aſſúmam vos mihi in pópulum, & ero veſter Deus.

℣. *ad* ℟. *br.* Qui ventúrus es in mundum. *Joan.* 6. 14.

Preces flexis genibus: Canon in qualibet Feria.

Ad cæteras Horas, omnia ut in Dominica II. præter Pſalmos qui erunt feriales, & Ant. ad Magnif. *quæ eſt cuique Feriæ propria.*

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 33. *v.* 13. *ad* 18.

AUdíte, qui longè eſtis, quæ fécerim, & cognóſcite, vicíni, fortitúdinem meam. Contérriti ſunt in Sion peccatóres; poſsédit tremor hypócritas. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? Quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempitérnis? Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem, qui prójicit avarítiam ex calúmnia, & éxcutit manus ſuas ab omni múnere, qui obtúrat aures ſuas ne áudiat sánguinem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum. Iſte in excélſis habitábit muniménta ſaxórum ſublímitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt. Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus, cernent terram de longè.

℟. Conſolámini. *Ex primo Nocturno Dominicæ,* p. 183.

Lectio ij. Cap. 33. v. 20. ad finem.

RESpice, Sion, civitátem ſolemnitátis noſtræ: óculi tui vidébunt Jerúſalem, habitatiónem opuléntam, tabernáculum quod nequáquã transférri póterit: nec auferéntur clavi ejus in ſempitérnum, & omnes funículi ejus non rumpéntur: quia ſolúmmodo ibi magníficus eſt Dóminus noſter: locus fluviórum rivi latíſſimi & paténtes: non transíbit per eum navis rémigum, neque triéris magna tranſgrediétur eum. Dóminus enim judex noſter, Dóminus légifer noſter, Dóminus rex noſter: ipſe ſalvábit nos. Laxáti ſunt funículi tui, & non prævalébunt: ſic erit malus tuus ut dilatáre ſignum non queas. Tunc dividéntur ſpólia prædárum multárum: claudi dirípient rapínam. Neque dicet vicínus: Elángui: pópulus qui hábitat in ea, auferétur ab eo iníquitas.

℟. Quare, *pag.* 183.

Lectio iij. Cap. 35. v. 1. ad 7.

LÆtábitur desérta & ínvia, & exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi Lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabúnda & laudans: Glória Líbani data eſt ei, decor Carméli, & Saron, ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas, & génua debília roboráte. Dicite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére: ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt. Tunc sáliet ſicut cervus claudus, & apérta erit lingua mutórum: quia ſciſſæ ſunt in desérto aquæ, & torréntes in ſolitúdine. Et quæ erat árida, erit in ſtagnum, & sítiens in fontes aquárum.

℟. Sperávi, *pag.* 183.

Ad Benedict. *Ant. t.* 2. *G.*

Qui reminiſcímini Dómini, ne taceátis, donec ponat Jerúſalem laudem in terra. *Iſ.* 62. 6. 7.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi. *Anno* 1586. *part.* 2. *Cap.* 6.

MUlto jam ex témpore pio ánimo deſiderávimus repurgári Breviária: nam cùm olim à ſanctis Pátribus inſtitútum ſit, ut ſolæ ſcriptúræ ſacræ in Eccléſia recitaréntur, neſcímus quâ injúriâ accíderit, ut in eárum loco ſuccéſserint ália cum his neútiquam comparánda, atque ínterim, hiſtóriæ Sanctórum tam incúltè, & tam negligénti ſtúdio conſcríptæ, ut nec auctoritátem habére videántur, nec gravitátem.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.*

Revelábitur glória Dómini: & vidébit omnis caro páriter quòd os Dómini locútum eſt. *Iſ.* 40. 5.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 41. v. 1. ad 7.

TAceant ad me ínſulæ, & gentes mutent fortitúdinem: accédant, & tunc loquántur: ſimul ad judícium propinquémus. Quis ſuſcitávit ab Oriénte juſtum, vocávit eum ut ſequerétur ſe? dabit in conſpéctu ejus gentes, & reges obtinébit: dabit quaſi púlverem gládio ejus, ſicut ſtípulam vento raptam árcui ejus. Perſequétur eos, transíbit in pace, sémita in pédibus ejus non apparébit. Quis hæc operátus eſt, & fecit, vocans generatiónes ab exórdio? Ego Dóminus, primus & noviſſimus ego ſum. Vidérunt ínſulæ, & timuérunt extréma terræ obſtupuérunt, appropinquavérunt, & acceſſérunt. Unuſquíſque próximo ſuo auxiliábitur, & fratri ſuo dicet: Confortáre.

℟. Dícite. *Ex Nocturno 2. Dominicæ*, pag. 184.

Lectio ij. v. 8. ad 13.

ET tu, Iſrael ſerve meus, Jacob quem elégi, ſemen Abraham amíci mei: in quo apprehéndi te ab extrémis terræ, & à longínquis ejus vocávi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elégi te, & non abjéci te. Ne tímeas, quia ego tecum ſum; ne declínes, quia ego Deus tuus: confortávi te, & auxiliátus ſum tibi, & ſuſcépit te déxtera juſti mei. Ecce confundéntur & erubéſcent omnes, qui pugnant advérsùm te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradícunt tibi. Quæres eos & non invénies, viros rebélles tuos: erunt quaſi non ſint: & véluti conſúmptio, hómines bellántes advérsùm te.

℟. Ego autem. *pag.* 185.

Lectio iij. v. 13. ad 17.

EGo Dóminus Deus tuus apprehéndens manum tuam, dicénſque tibi: Ne tímeas, ego adjúvi te. Noli timére, vermis Jacob, qui mórtui eſtis ex Iſrael: ego auxiliátus ſum tibi, dicit Dóminus: & Redémptor tuus Sanctus Iſrael. Ego póſui te quaſi plauſtrum tritúrans novum, habens roſtra ſerrántia: triturábis montes, & comminues: & colles quaſi púlverem pones. Ventilábis eos, & ventus tollet, & turbo diſpérget eos; & tu exultábis in Dómino, in Sancto Iſrael lætáberis.

℟. Dómine, *pag.* 185.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *G.* Noli timére, vermis Jacob, qui mórtui eſtis ex Iſrael: ego auxiliátus ſum tibi. *Iſ.* 41. 14.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

An. 1464. *Cong.* 5.

QUóniã à primæva Breviárii inſtitutióne, id antíqui Patres voluiſſe vidéntur, ut ſíngulis Hebdómadis totum Pſaltérium recitaretur; in Breviário Davídici

Pſalmi ita per dies ſingulos diſponántur, ut totus Pſalmórum Liber in unaquáque Hebdómada recitétur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Viſitábit eos Dóminus Deus eórum, & avértet captivitátem eórum. *Soph.* 2. 7.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 42. *v.* 1. *ad* 6.

ECce ſervus meus, ſuſcípiam eum: eléctus meus, complácuit ſibi in illo ánima mea: dedi ſpíritum meum ſuper eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quaſsátum non cónteret, & linum fúmigans non extínguet: in veritáte edúcet judícium. Non erit triſtis, neque turbuléntus donec ponat in terra judícium: & legem ejus ínſulæ expectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus, creans cœlos, & exténdens eos: firmans terram, & quæ gérminant ex ea: dans flatum pópulo, qui eſt ſuper eam, & ſpíritum calcántibus eam.

℟. Præparáre. *Ex tertio Nocturno Domin.* pag. 186.

Lectio ij. v. 6. *ad* 11.

EGo Dóminus vocávi te in juſtítia, & apprehéndi manum tuam, & ſervávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium: ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de concluſióne vinctum, de domo cárceris ſedéntes in ténebris. Ego Dóminus, hoc eſt nomen meum: glóriam meam álteri non dabo, & laudem meam ſculptílibus. Quæ prima fuérunt, ecce venérunt: nova quoque ego annúntio: ántequàm oriántur, audíta vobis fáciam. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus ab extrémis terræ: qui deſcénditis in mare, & plenitúdo ejus; ínſulæ & habitatóres eárum.

℟. Expéctat. *pag.* 186.

Lectio iij. v. 16. *ad* 21.

ET ducam cæcos in viam, quam néſciunt; & in sémitis, quas ignoravérunt, ambuláre eos fáciam: ponam ténebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non derelíqui eos. Convérſi ſunt retrórsùm: confundántur confuſióne qui cōfidunt in ſculptili, qui dicunt conflatili: vos dii noſtri. Surdi, audíte, & cæci, intuémini ad vidéndum. Quis cœcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem núntios meos miſi? quis cæcus, niſi qui venúmdatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Dómini? qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne áudies?

℟. Deus. *pag.* 187.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Dóminus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum: ſuper inimicos ſuos confortabitur. *Iſ.* 42. 13.

CANON
Ex Concílio Narbonénſi.
An. 589. *Can.* 2.

HOc definítum eſt, ut in pſalléndis ordínibus, per quæque Pſalmum, Glória dicátur omnipoténti Deo: per majóres verò Pſalmos, prout prolíxiùs fúerint, pauſatiónes fiant; & per quamcúmque pauſatiónem, Glória Trinitátis Dómino decantétur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies noſtros, ſicut à princípio. *Thr.* 5. 21.

FERIA QUINTA.
De Iſaía Prophéta.
Lectio j. Cap. 43. *v.* 1. *ad* 8.

ET nunc hæc dicit Dóminus creans te, Jacob, & formans te, Iſrael: noli timére, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non comburéris, & flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus Sanctus Iſrael Salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægyptum, Æthiópiam & Saba pro te. Ex quo honorábilis factus es in óculis meis, & glorióſus: ego diléxi te, & dabo hómines pro te, & pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum ſum: ab Oriénte addúcam ſemen tuum, & ab Occidénte congregábo te. Dicam Aquilóni: Da; & Auſtro: Noli prohibére: affer fílios meos de longínquo, & fílias meas ab extrémis terræ. Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum, & feci eum.

℟. Conſolámini. *ex* 1. *Nocturno Domin. pag.* 183.

Lectio ij. v. 14. *ad* 20.

HÆc dicit Dóminus Redémptor veſter, Sanctus Iſrael: Propter vos miſi in Babylónem, & detráxi vectes univérſos, & Chaldæos in návibus ſuis gloriántes. Ego Dóminus Sanctus veſter creans Iſrael Rex veſter. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torréntibus sémitam. Qui edúxit quadrígam & equum, agmen & robúſtum: ſimul obdormiérunt, nec reſúrgent: contríti ſunt quaſi linum, & extíncti ſunt. Ne meminéritis priórum, & antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur, útique cognoſcétis ea: ponam in deſérto viam, & in ínvio flúmina.

℟. Quare mœróre, *p.* 183.

Lectio iij. v. 21. *ad* 26.

POpulum iſtum formávi mihi, laudem meam narrábit. Non me invocáſti, Jacob, nec laboráſti in me, Iſrael. Non obtulíſti mihi aríetem holocáuſti tui, & víctimis tuis non glorificáſti me: non te ſervíre feci in oblatióne, nec labórem tibi

præbui in thure. Non emíſti mihi argénto cálamum, & ádipe victimárum tuárum non inebriáſti me. Verúmtamen ſervíre me fecíſti in peccátis tuis, præbuíſti mihi labórem in iniquitátibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui déleo iniquitátes tuas propter me, & peccatórum tuórum non recordábor.

℟. Sperávi, *pag.* 183.

Ad Benedict. *Ant. t.* 3. *A.* Noli timére, quia redémi te, & vocávi te nómine tuo: meus es tu. *Iſ.* 43. 1.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

An. 1583. *tit.* 3. *de Cultu Div.*

NE cui precum multitúdo aut prolíxitas tædium géneret, nemóque eárum partem áliquam tácitùs prætéreat, aut volubilitáte linguæ illas omnes ita percúrrat, ut plerúmque mentem lingua prævéniat: póterunt Epíſcopi, adhíbito Canonicórum, & aliórum grávium virórum judício, preces ad eum modum redúcere, ut & Eccléſiæ dignitáti reſpóndeant, & fácilè ab ómnibus exólvi, pièque decantári poſſint.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *C.* Góngrega omnes tribus Jacob; ut cognóſcant, quia non eſt Deus, niſi tu, & enárrent magnália tua. *Eccli.* 36. 13.

FERIA SEXTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 44. *v.* 1. *ad* 6.

ET nunc audi, Jacob ſerve meus, & Iſrael quem elégi: hæc dicit Dóminus fáciens & formans te, ab útero auxiliátor tuus: noli timére, ſerve meus Jacob, & rectíſſime, quem elégi. Effúndam enim aquas ſuper ſitiéntem, & fluénta ſuper áridam: effúndam ſpíritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiónem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinábunt inter herbas, quaſi sálices juxta præterfluentes aquas. Iſte dicet: Dómini ego ſum: & ille vocábit in nómine Jacob: & hic ſcribet manu ſuâ, Dómino: & in nómine Iſrael aſſimilábitur.

℟. Dícite. *ex ſecundo Nocturno Domin.* pag. 184.

Lectio ij. Cap. 45. *v.* 8. *ad* 14.

ROráte, cœli, déſuper, & nubes pluant juſtum: aperiátur terra, & gérminet Salvatorem: & juſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creávi eum. Væ qui contradícit fictóri ſuo, teſta de sámiis terræ: numquid dicet lutum fígulo ſuo: Quid facis, & opus tuum abſque mánibus eſt? Væ qui dicit patri: Quid généras? & mulíeri: Quid parturis? Hæc dicit Dóminus Sanctus Iſrael, plaſtes ejus: Ventúra interrogáte me, ſuper fílios meos, & ſuper opus mánuum meárum mandáte mihi. Ego feci ter-

ram, & hóminem ſuper eam creávi ego : manus meæ tetendérunt cœlos, & omni milítiæ eórum mandávi. Ego ſuſcitávi eum ad juſtítiam, & omnes vias ejus dírigam : ipſe ædificábit civitátem meam, & captivitátem meam dimíttet, non in prétio, neque in munéribus, dicit Dóminus Deus exercítuum.

℟. Ego autem. *pag.* 185.

Lectio iij. v. 14. *ad* 19.

HÆc dicit Dóminus : Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, & Sábaïm viri ſublímes ad te transíbunt, & tui erunt : poſt te ambulábunt, vincti mánicis pergent : & te adorábunt, teque deprecabúntur : tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſcónditus, Deus Iſrael Salvátor. Confúſi ſunt, & erubuérunt omnes : ſimul abiérunt in confuſiónem fabricatóres errórum. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ : non confundémini & non erubeſcétis uſque in ſæculum ſæculi. Quia hæc dicit Dóminus creans cœlos, ipſe Deus formans terram, & fáciens eam, ipſe plaſtes ejus : non in vanum creávit eam : ut habitarétur, formávit eam. Ego Dóminus, & non eſt álius.

℟. Dómine, *pag.* 185.

Ad Benedict. *Ant. t.* 3. *E.* Ecce addúcam ſervum meum oriéntem, & áuferam iniquitátem terræ. *Zach.* 3. 8. 9.

C A N O N

Ex Concílio Coloniénſi primo.

An. 1536. *part.* 2. *Cap.* 7.

SUnt in Clero zelum quidem Dei habéntes, ſed non ſecúndùm ſciéntiam, qui privátis affectibus ducti, effíciunt ut nova Feſta & Officia præter Eccléſiæ auctoritatem ſolémniter celebréntur. Quò ínterim fit ut Preces Horáriæ, ac réliqua públicè recépta pro affectu cujúslibet fácilè innovéntur ; id quod nobis non ſatis probátur. Neque enim errárunt Patres à quorum inſtitútis in dicéndis Précibus, útinam tam longè diſcéſſum non fuíſſet ! Quòd ſi hîc afféctibus ſingulórũ indulgébitur, tandẽ antíquus ritus pénitus evanéſcet.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jeruſalem ; civitáti requiéi tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, & glóriâ tuâ pópulum tuum. *Eccli.* 36. 15. 16.

S A B B A T O.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 46. *v.* 8. *ad fin.*

MEmentóte iſtud, & cõfundámini : redíte, prævaricatóres ad cor. Recordámini prióris ſæculi, quóniam ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus, nec eſt ſímilis meî : annúntians ab exórdio novíſſimum, & ab inítio quæ necdum facta ſunt, dicens : Consílium meum ſtabit, & omnis volúntas mea fiet :

vocans ab Oriénte avem, & de terra longínqua virum voluntátis meæ, & locútus ſum, & addúcam illud: creávi, & fáciam illud. Audíte me, duro corde, qui longè eſtis à juſtítia. Propè feci juſtítiam meã, non elongábitur, & ſalus mea non morabitur. Dabo in Sion ſalútem, & in Iſrael glóriam meam.

℟. Præparáre, *ex tertio Noct. Domin.* pag. 186.

Lectio ij. Cap. 48. *v.* 11. *ad* 16.

PRopter me, propter me fáciam, ut non blaſphémer: & glóriam meam álteri non dabo. Audi me, Jacob, & Iſrael quem ego voco: ego ipſe, ego primus, & ego noviſſimus. Manus quoque mea fundávit terram, & déxtera mea menſa eſt cœlos: ego vocábo eos, & ſtabunt ſimul. Congregámini, omnes vos, & audíte: quis de eis annuntiávit hæc? Dóminus diléxit eum, fáciet voluntátem ſuam in Babylóne, & bráchium ſuum in Chaldæis. Ego, ego locútus ſum, & vocávi eum: addúxi eum, & directa eſt via ejus.

℟. Expéctat, *pag.* 186.

Lectio iij. v. 17. *ad finem.*

HÆc dicit Dóminus Redẽptor tuus Sanctus Iſrael: Ego Dñus Deus tuus docens te utília, gubérnans te in via, quâ ámbulas. Utinam attendíſſes mandáta mea! Facta fuíſſet ſicut flumen pax tua, & juſtítia tua ſicut gúrgites maris: & fuíſſet quaſi aréna ſemen tuum, & ſtirps úteri tui ut lapílli ejus: non interíſſet, & non fuíſſet attrítum nomen ejus à fácie mea. Egredímini de Babylóne, fúgite à Chaldæis, in voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, & efférte illud uſque ad extréma terræ. Dícite: Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob. Non ſitiérunt in deſérto, cùm edúceret eos: aquam de petra prodúxit eis, & ſcidit petram, & fluxérunt aquæ. Non eſt pax ímpiis, dicit Dóminus.

℟. Deus, maniféſtè, *pag.* 187.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *F.* Propter me fáciam, ut non blaſphémer; & glóriam meam álteri non dabo. *Iſ.* 48. 11.

CANON

Ex Concílio Noviomenſi.

An. 1344. *Can.* 4.

HOc ſacro approbánte Concílio, vólumus & ordinámus quòd per ſíngulas Eccléſias cujúſlibet civitátis, vel Diœcéſis, tam Collegiátis quàm áliis, ordinárius, ſeu uſus Officii, in modo officiándi qui in Eccléſiis Cathedrálibus obſervári conſuévit & tenéri, inviolabíliter obſervétur.

SABBATO
ANTE DOMINICAM III.
Adventûs.

AD VESPERAS.

Quantæ ſint venturi Redemptoris dotes; & quanta ex ejus Adventu bona ſecutura.

Ant. t. 1. *A.* Vetus error ábiit: Servábis pacem, Dómine, pacem; quia in te ſperávimus. *Iſ.* 26. 3.

Ant. t. 3. *E.* Erit Jerúſalem ſancta, & in die illa ſtillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte. *Joel,* 3. 17. 18.

Ant. t. 4. *E.* Addúcet Deus Iſrael cum jucunditáte, in lúmine majeſtátis ſuæ cum miſericórdia. *Bar.* 5. 9.

Ant. t. 6. *F.* Rex véniet tibi juſtus, & Salvátor: loquétur pacem géntibus. *Zach.* 9. 9. 10.

Ant. t. 8. *G.* Tempus requiréndi Dóminum, cum vénerit qui docébit vos juſtítiam. *Oſee* 10. 12.

Capitulum. Iſ. 2. 3.

Veníte, aſcendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos vias ſuas, & ambulábimus in sémitis ejus, quia de Sion exíbit lex, & verbum Dómini de Jerúſalem.

HYMNUS.

O Quanta nobis áffluunt
Per te, Redémptor, múnera!
En tota terris úberes
Ruunt in imbres æthera.
Tandem revérſa náſcitur
Dives ſuis pax frúgibus;
Noſtríſque lumen méntibus
Exórta per te véritas.

Doctor venis, & Légifer,
In mortis umbra déſides
Docére gentes; & ſuo
In corde legem ſcríbere.

Tu Rex ades, Dux Iſrael,
Promíſſus & Paſtor vigil
Qui móntium per árdua
Oves requíres dévias.

Felix Sion, nunc réſpice
Deſérta pridem cívitas,
Urbs ſancta ſis, & ínclyta
Multis reférta cívibus.

Gaude: Redémptor qui venit
Totum Patris pandit ſinum;
Ut hoc reclúſo, dívites
Cœli tibi pluant opes.

O Trine, qui favens Deus,
Terram polúmque mútuæ
Pacis revíncis fœdere,
Sit laus tibi per ſæcula.
Amen.

℣. Dóminus dabit benignitátem. ℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum. *Pſ.* 84. 13.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *A.* Revertétur Jacob, & quiéſcet, & cunctis áffluet bonis. *Jerem.* 30. 10.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA TERTIA
ADVENTUS,
Quæ eſt ij. Claſſis.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Fílii Sion, exultáte, & lætámini in Dómino; * Quia dedit vobis Doctórem juſtítiæ. *Joel.* 2. 23.

IN I. NOCTURNO.

Nobis promittitur Meſſias, ut Doctor; hinc audiendus.

Ant. t. 3. *E.* Flos de radíce Jeſſe aſcéndet, & requiéſcet ſuper eum ſpíritus ſapiéntiæ, & intelléctûs, ſpíritus ſciéntiæ & pietátis. *Iſ.* 11. 1. 2.

Ant. t. 4. *A.* Docébit nos de viis ſuis, & íbimus in ſémitis ejus. *Mich.* 4. 2.

Ant. t. 7. *D.* Redémptor tuus, Sanctus Iſrael, Deus tuus docens te utília. *Iſ.* 48. 17.

℣. Díriget manſuétos in judício; ℟. Docébit mites vias ſuas. *Pſ.* 24. 9.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 49. 1. *ad* 7.

AUdíte, ínſulæ; & atténdite, pópuli de longè: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus eſt nóminis mei. Et póſuit os meum quaſi gládium acútum: in umbra manûs ſuæ protéxit me, & póſuit me ſicut ſagíttam eléctam: in pháretra ſua abſcóndit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Iſrael, quia in te gloriábor. Et ego dixi: In vácuum laborávi, ſine cauſa, & vanè fortitúdinem meam conſúmpſi: Ergo judícium meum cum Dómino, & opus meum cum Deo meo. Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero ſervum ſibi, ut redúcam Jacob ad eum, & Iſrael non congregábitur: & glorificátus ſum in óculis Dómini, & Deus meus factus eſt fortitúdo mea. Et dixit: Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitándas tribus Jacob, & fæces Iſrael converténdas. Ecce dedi te in lucem géntium, ut ſis ſalus mea uſque ad extrémum terræ.

℟. Ecce ſervus meus: dedi ſpíritum meum ſuper eum: in veritáte edúcet judícium. Non erit triſtis, neque turbuléntus; * Et legem ejus ínſulæ expectábunt. ℣. Judícium géntibus nuntiábit; non conténdet, neque clamábit. * Et legem ejus. *Iſ.* 42. 1. 3. 4. *Matth.* 12. 18. 19.

Lectio ij. v. 7. *uſque ad* 12.

HÆc dicit Dóminus Redémptor Iſrael Sanctus ejus, ad contemptíbilem ánimam, ad abominátam gentem, ad ſervum dominórum: Reges vidébunt, & conſúrgent príncipes, & adorábunt propter Dóminum, quia fidélis eſt, & Sanctum Iſrael qui elégit te. Hæc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, & in die ſalútis auxiliátus ſum tuî: & ſervávi te, & dedi te in fœdus pópuli, ut ſuſcitáres terram, & poſſidéres hæreditátes diſſipátas: ut díceres his qui vincti ſunt: Exíte; & his qui in ténebris: Revelámini. Super vias paſcéntur, & in ómnibus planis páſcua eórum. Non eſúrient, neque ſítient; & non percútiet eos æſtus & ſol: quia

miſerátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & sémitæ meæ exaltabúntur.

℞. Non docébit ultrà vir próximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognóſce Dóminum :* Omnes enim cognóſcent me à mínimo eórum uſque ad máximum. ℣. Eſt ſcriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. * Omnes enim. *Jerem.* 31. 34. *Joan.* 6. 45.

Lectio iij. Cap. 51. *v.* 1. *ad* 7.

AUdíte me, qui ſequímini quod juſtum eſt, & quæritis Dóminum. Atténdite ad petram unde excíſi eſtis, & ad cavérnam laci, de qua præcíſi eſtis. Atténdite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ péperit vos: quia unum vocávi eum, & benedíxi ei, & multiplicávi eum. Conſolábitur ergo Dóminus Sion, & conſolábitur omnes ruínas ejus: & ponet desértum ejus quaſi delícias, & ſolitúdinem ejus quaſi hortum Dómini. Gáudium & lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio & vox laudis. Atténdite ad me, pópule meus, & tribus mea, me audíte; quia lex à me éxiet, & judícium meum in lucem populórum requiéſcet. Propè eſt juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus, & bráchia mea pópulos judicábunt: me ínſulæ expectábunt, & bráchium meum ſuſtinébunt. Leváte in cœlum óculos veſtros, & vidéte ſub terra deórſum; quia cœli ſicut fumus liquéſcent, & terra ſicut veſtiméntum atterétur, & habitatóres ejus ſicut hæc interíbunt: Salus autem mea in ſempitérnum erit, & juſtítia mea non defíciet.

℞. Senſum tuum, Dómine, quis ſciet,*Niſi tu ſapiéntiam míſeris de altíſſimis: † Et ſic corréctæ ſint sémitæ eórum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didícerint hómines? ℣. Qui ámbulat in ténebris neſcit quò vadat.* Niſi tu ſapiéntiam. Glória Patri. † Et ſic corréctæ ſint. *Sap.* 9. 17. 18. *Joan.* 12. 35.

IN II. NOCTURNO.

Ovibus déviis Paſtor venit: ipſum ſequimini.

Ant. t. 1. *A.* Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in bráchio ſuo congregábit agnos, & in ſinu ſuo levábit. *Iſ.* 40. 11.

Ant. t. 2 *D.* Dabo eis cor unum, & viam unam, ut tímeant me univérſis diébus: & bene ſit eis, & fíliis eórum poſt eos. *Jer.* 32. 39.

Ant. t. 8. *C.* Sedébit pópulus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulénta. *Iſ.* 32. 18.

℣. Salvos nos fac, Dómine Deus noſter, & cóngrega nos de natiónibus; ℞. Ut confiteámur nómini ſancto tuo. *Pſ.* 105. 47.

Sermo ſancti Leónis Papæ.
Serm. 2. de Jejunio 10. menſis.
Lectio iv.

QUòd témporis rátio & devotiónis noſtræ ádmonet conſuetúdo, paſtoráli vobis, dilectíſſimi, ſollicitúdine prædicámus, décimi menſis celebrándum eſſe jejúnium, quo pro conſummáta perceptióne ómnium frúctuum, digníſſimè largitóri eórum Deo continéntiæ libámen offertur. Quid enim poteſt efficácius eſſe jejúnio, cujus obſervántiâ appropinquámus Deo? Semper enim virtúti cibus jejúnium fuit. De abſtinéntia dénique pródeunt caſtæ cogitatiónes, rationáles voluntátes, ſalubrióra consília. Et per voluntárias afflictiónes caro cōcupiſcéntiis móritur; virtútibus ſpíritus innovátur.

℟. Annuntiáte in ínſulis, quæ procul ſunt, & dícite: * Qui diſpérſit Iſrael congregábit eum: & cuſtódiet eum ſicut paſtor gregem ſuum. ℣. Non répulit Deus plebem ſuam, quam præſcívit. * Qui diſpérſit. *Jerem.* 31. 10. *Rom.* 11. 2.

Lectio v.

SEd, quia non ſolo jejúnio, animárum noſtrárum ſalus acquíritur, jejúnium noſtrum miſericórdiis páuperum ſuppleámus. Impendámus virtúti, quod ſubtráhimus voluptáti. Fiat reféctio páuperis, abſtinéntia jejunántis. Studeámus viduárum defenſióni, pupillórum utilitáti, lugéntium conſolatióni, diſſidéntium paci. Suſcipiátur peregrínus: adjuvétur oppréſſus: veſtiátur nudus: foveátur ægrótus: ut, quicúmque noſtrûm de juſtis labóribus auctóri bonórum ómnium Deo ſacrificium hujus pietátis obtúlerit, ab eódem regni cœléſtis præmium percípere mereátur.

℟. Anima noſtra súſtinet Dóminum; quóniam adjútor & protéctor noſter eſt. * In eo lætábitur cor noſtrum: & in nómine ſancto ejus ſperávimus. ℣. Dictum eſt per Iſaíam Prophétam: In nómine ejus gentes ſperábunt. * In eo. *Pſ.* 32. 20. 21. *Matth.* 12. 17. 21.

Lectio vj. Serm. 4. Cap. 2.

JEjúnium ſine eleemóſyna, non tam purgátio ánimæ quàm carnis afflíctio eſt: magíſque ad avarítiam quàm ad continéntiam referéndū eſt, quando áliquis ſic à cibo ábſtinet, ut étiã à pietáte ſe ſubdúcat. Noſtra ergo jejúnia, dilectíſſimi, abúndent frúctibus largitátis, & in páuperes Chriſti benígnis ſint fœcúnda munéribus. Nec tardéntur in hoc ópere mediócres, quia parum ſit, quòd poſſint de ſua facultáte decérpere. Novit Dóminus ómnium vires: & ſcit juſtus inſpéctor de qua mensúra quiſque quid tríbuat: Diſsímiles quidem ſubſtántiæ símiles

erogatiónes habére non poſſunt : ſed æquátur plerúmque mérito, quod diſtat impéndio; quia poteſt eſſe par ánimus, étiam ubi impar eſt cenſus.

℟. Confitémini Dómino exercítuum, quóniam bonus Dóminus, quóniam in ætérnum miſericórdia ejus : * Redúcam enim converſiónem terræ ſicut à princípio, dicit Dóminus. ℣. Alias oves hábeo, quæ non ſunt ex hoc ovíli; & illas opórtet me addúcere, & vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus paſtor. * Redúcam. Glória. * Redúcam. *Jerem.* 33. 11. *Joan.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Rex & Judex conſtituitur : mandatis ejus obſequimini.

Ant. t. 5. *A.* Regnábit Dóminus in monte Sion, ex hoc, nunc, & uſque in ætérnum. *Mich.* 4. 7.

Ant. t. 7. *C.* Præparábitur in miſericórdia ſólium, & ſedébit ſuper illud in veritáte. *Iſ.* 16. 5.

Ant. t. 8. *G.* Regnábit Rex, & ſápiens erit; & fáciet judícium & juſtítiam in terra. *Jerem.* 23. 5.

℣. Juſtítia ante eum ambulábit; ℟. Et ponet in via greſſus ſuos. *Pſ.* 84. 14.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 2.

IN illo témpore : Joánnes cùm audíſſet in vínculis ópera Chriſti, mittens duos de diſcípulis ſuis, ait illi : Tu es qui ventúrus es, an álium expectámus ? Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

In Matth. l. 2. *Cap.* 11.

JOánnes non quaſi ignórans intérrogat; ipſe enim cæteris ignorántibus demonſtráverat, dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, & Patris vocem audíerat intonántis : Hic eſt Fílius meus diléctus in quo mihi complácui. Sed quómodo Salvátor intérrogat ubi ſit póſitus Lázarus; ut qui locum ſepúlchri indicábant, ſaltem ſic pararéntur ad fidem, & vidérent mórtuum reſurgéntē; ſic & Joánnes interficiéndus ab Heróde, diſcípulos ſuos mittit ad Chriſtum, ut per hanc occaſiónem vidéntes ſigna atque virtútes, créderent in eum, & Magíſtro interrogánte, ſibi díſcerent.

℟. Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos : tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt. * Tunc ſáliet ſicut cervus, claudus, & apérta erit lingua mutórum. ℣. Cæci vident, claudi ámbulant, lepróſi mundántur, ſurdi áudiunt. * Tunc ſáliet. *Iſ.* 35. 4. 5. 6. *Matth.* 11. 5.

Lectio viij.

JOánnes interrogáverat per diſcípulos : Tu es qui ventúrus es, an álium expe-

támus? Chriſtus ſigna demónſtrat; non ad ea reſpóndens quæ interrogátus fúerat, ſed ad ſcándalū nuntiórum: Ite, inquit, & dícite Joánni ſigna quæ cérnitis; cæcos vidéntes, claudos ambulántes, & réliqua. Et, quod his non minus eſt, páuperes evangelizántur, vel páuperes ſpíritu, vel certè ópibus páuperes; ut nulla inter nóbiles & ignóbiles, inter dívites & egénos, in prædicatióne diſtántia ſit. Hæc magíſtri rigórem, hæc præceptóris comprobant veritátem; quando omnis apud eum qui ſalvári poteſt, æquális eſt. Quod autem ait: Et beátus qui non fúerit ſcandalizátus in me, internúntios pércutit, ſicut in conſequéntibus demonſtrábitur.

℟. Ecce ſuper montes pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem: *Célebra, Juda, feſtivitátes tuas, & redde vota tua. ℣. Mórtui resúrgunt, páuperes evangelizantur. * Célebra. *Nahum.* 1. 15. *Matth* 11. 5.

Lectio ix.

SI ſupérior ſenténtia contra Joánnem proláta fúerat in eo quod ait: Beátus eſt qui non fúerit ſcandalizátus in me, quómodo nunc Joánnes tantis láudibus prædicátur? Sed quia turba circúmſtans interrogatiónis myſtériū neſciébat, & putábat Joánnem dubitáre de Chriſto, quem ipſe monſtráverat dígito, ut intellígerent Joánnem non ſibi interrogáſſe, ſed diſcípulis ſuis: Quid, inquit, exíſtis in desértum? Numquid ob hoc ut hóminem viderétis cálamo ſímilem, qui omni vento circumfértur, & levitáte mentis de eo ambígeret, quem ántea prædicárat? An fórſitan ſtímulis contra me invídiæ cógitur, & prædicátio ejus vanam ſectátur glóriam, ut ex ea quærat lucra? Cur divítias cúpiat? Ut áffluat dápibus? Locúſtis véſcitur, & melle ſylvéſtri. An ut móllibus veſtiátur? Pili camelórum tegmen ejus ſunt. Iſtiúſmodi cibus & veſtis, cárceris hoſpítio recipiúntur, & prædicátio veritátis tale habet habitáculum. Qui autem adulatóres ſunt, & ſectántur lucra, & quærunt divítias, & delíciis áffluunt, & móllibus veſtiúntur; iſti in dómibus regum ſunt. Ex quo oſténditur, rígidam vitam, & auſtéram prædicatiónem vitáre debére aulas regum, & móllium hóminum palátia declináre.

℟. Beátus homo qui audit me. * Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet ſalútem à Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam ſuam. ℣. Beátus eſt qui non fúerit ſcandalizátus in me. * Qui me invénerit. Glória Patri. * Qui me invénerit. *Proverb.* 8. 34. 35. 36. *Matth.* 11. 6.

AD LAUDES MATUTINAS.

In divitiis ſalutis per Juſtum facienda, lætamini.

℣. *Sacerdotalis.* Apud Dóminum miſericórdia; ℟. Et copióſa apud eum redémptio. *Pſ.* 129. 7.

Ant. *t.* 5. *A.* QUàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! *Iſ.* 52. 7.

Ant. *t.* 6. *f.* Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris: & dicétis in die illa: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus. *Iſ.* 12. 3. 4.

Ant. *t.* 1. *d.* Béthleem Ephráta, ex te mihi egrediétur qui ſit Dominátor in Iſrael: & egréſſus ejus, à diébus æternitátis. *Mich.* 5. 2.

Ant. *t.* 8. *C.* Salvábitur Juda, & Iſrael habitábit confidénter: & hoc eſt nomen quod vocábunt eum, Dóminus juſtus noſter. *Jer.* 23. 6.

Ant. *t.* 8. *G.* Domus Jacob, veníte, & ambulémus in lúmine Dómini. *Iſ.* 2. 5.

Capitulum. *Deut.* 18. 15.

PRophétam de gente tua, & de frátribus tuis, ſicut me, ſuſcitábit tibi Dóminus Deus tuus; ipſum áudies.

℣. Hic eſt Deus noſter in ætérnum; ℟. Ipſe reget nos in ſæcula. *Pſ.* 47. 15.

Ad Bened. *Ant.* *t.* 1. *a.* Evangelizáre paupéribus miſit me, prædicáre captívis remiſſiónem, & cæcis viſum. *Luc.* 4. 18. 19.

Oratio.

AUrem tuam, quæſumus, Dómine, précibus noſtris accómmoda; & mentis noſtræ ténebras grátiâ tuæ viſitatiónis illúſtra; Qui vivis, &c.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

℟. *br.* ℣. Qui à Deo veníſti Magiſter. *Joan.* 3. 2.

CANON

Ex Concílio Románo.

An. 1059. *Can.* 13.

NUllus Láïcus ad quémlibet gradum Eccleſiáſticum repéntè promoveátur; niſi poſt mutátum hábitum ſæculárem diutúrnâ converſatióne inter Cléricos fúerit comprobátus.

AD TERTIAM.

Capitulum. *Iſ.* 54. 12. 13. 14.

POnam univérſos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis fíliis tuis; & in juſtítia fundáberis.

℟. *br.* Audiam quid loquátur in me * Dóminus Deus. Audiam. ℣. Quóniam loquétur pacem in plebem ſuam. * Dóminus. Glória. Audiam. *Pſ.* 84. 9.

℣. Suſcípiant montes pacem pópulo, ℟. Et colles juſtítiam. *Pſ.* 71. 3.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jer. 23. 5.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & ſuſcitábo David germen juſtum; & regnábit Rex, & ſápiens erit: & faciet judícium & juſtítiam in terra.

℟. *br.* Juſtítia & judícium * Præparátio ſedis tuæ. Juſtítia. ℣. Miſericórdia & véritas præcédent fáciem tuam. * Præparátio. Glória. Juſtítia. *Pſ.* 88. 15.

℣. Dómini eſt aſsúmptio noſtra, ℟. Et ſancti Iſrael Regis noſtri. *Pſ.* 88. 19.

AD NONAM.

Capitulum. Zach. 8. 13.

SIcut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda, & domus Iſrael: ſic ſalvábo vos, & éritis benedíctio: nolíte timére: confortentur manus veſtræ.

℟. *br.* Víſita nos, Dómine, * In ſalutári tuo. Víſita. ℣. Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum. * In ſalutári. Glória. Víſita nos. *Pſ.* 105. 4. 5.

℣. Benígnè fac, Dómine, ℟. In bona voluntáte tua Sion. *Pſ.* 50. 20.

AD II. VESPERAS.

In Meſſiæ dotibus, veteri Teſtamento novum concordat.

Ant. t. 4. A. SCriptū eſt per Prophetā: Et tu, Bethleem terra Juda; ex te éxiet dux, qui regat pópulum meum Iſrael. *Matth.* 2. 5. 6.

Ant. t. 8. G. Móyſes dixit: Prophétam ſuſcitábit vobis Deus de frátribus veſtris: tamquam me, ipſum audiétis. *Act.* 7. 37.

Ant. t. 1. d. Vocátur nomen ejus, Verbum Dei, & habet in veſtiménto ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dñus dominántiū. *Apoc.* 19. 13. 16.

Ant. t. 2. d. Fidélis & verax, cum juſtítia júdicat. *Apoc.* 19. 11.

Ant. t. 7. C. Erátis ſicut oves errántes; ſed convérſi eſtis ad paſtórem animárum veſtrárum. 1. *Petr.* 2. 25.

Capitulum. Hebr. 8. 8. 10.

ECce dies vénient, dicit Dóminus: & conſummábo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda, Teſtaméntum novum; dando leges meas in mentem eórum, & in corde eórum ſuperſcríbam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in pópulum.

Hymn. O quanta, *p.* 197.

℣. Deſcéndet ſicut plúvia in vellus: ℟. Et ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram. *Pſ.* 71. 6.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. D.* Qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte, per Chriſtum máxima & pretióſa nobis promíſſa donávit. 2. *Pet.* 1. 3 4 (*niſi dicenda ſit Ant.* O.)

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

IN FERIIS

INFRA DOMINICAM III. Adventûs.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium ut in Dominica iij. Adventûs.

Pſalmi de Pſalterio ſecundùm Feriam.

Antiphonæ, Verſus & Reſponſoria ex uno Nocturno Dominicæ, juxta Rubricam ſuperiùs aſſignatam.

Ad Laudes & cæteras Horas Antiphonæ de Laudibus Dominicæ.

(Niſi tamen dicendæ ſint Antiphonæ Feriales quæ incipientur die 17. Decembris, ut notabitur infrà:) cætera ut in Dominica, præter

AD PRIMAM.

Capitulum. Mich. 2. 12.

COngregatióne congregábo Jacob totum te: in unum condúcam relíquias Iſrael, páriter ponam illum quaſi gregem in ovíli.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui à Deo veníſti Magíſter. *Joan.* 3. 2.

ANTIPHONÆ MAJORES

Inchoantur die decimâ ſeptimâ Decembris, & dicuntur ad Magnificat *ſingulis diebus uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini, etiam die Dominicâ: in Feſtis occurrentibus illæ Antiphonæ ſumuntur pro Commemoratione Adventûs, cum* ℣. *& Orat. Domin. Cùm autem dicuntur iſtæ Antiphonæ majores, omittuntur Preces ad Veſperas tantùm.*

DIE XVII.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.*

O Sapiéntia, quæ ex ore Altíſſimi prodiíſti, attíngens à fine uſque ad finem fórtiter, ſuavitérque diſpónens ómnia; veni ad docéndum nos viam prudéntiæ. *Eccli.* 24. 5. *Sap.* 8. 1. *Iſ.* 40. 14.

DIE XVIII.

Ad Magn. *Ant. t.* 3. *E.*

O Adonaï & Dux domûs Iſrael, qui Móyſi in igne flammæ rubi apparuíſti, & ei in Sina legem dedíſti; veni ad rediméndum nos in bráchio exténto. *Judith.* 16. 16. 1. *Paralipomen.* 17. 7. *Act.* 7. 30. 38. *Exod.* 6. 6.

DIE XIX.

Ad Magn. *Ant. t.* 4. *E.*

O Radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populórum, ſuper quem continébunt reges os ſuum; quem gentes deprecabúntur; veni ad rediméndum nos: jam noli tardáre. *Iſ.* 11. 10. *&* 52. 15. *Pſ.* 25. 11. 39. 18.

DIE XX.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.*

O Clavis David, & ſceptrum domûs Iſrael; qui áperis, & nemo claudit; claudis, & nemo áperit; veni, & educ vinctum de domo cárceris, ſedéntem in ténebris & umbra mortis. *Iſ.* 22. 22. *&* 24. 7. *Jer.* 51. 19. *&* 52. 11. *Pſ.* 106. 10.

DIE XXI.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *A.*

O Oriens, ſplendor lucis ætérnæ, & ſol juſtítiæ; veni, & illúmina ſedéntes in ténebris & in umbra mortis. *Zachar.* 3. 8. *Sapient.* 7. 26. *Malach.* 4. 2. *Luc.* 1. 79.

DIE XXII.

Ad Magn. *Ant. t. 6. f.*

O Rex géntium, Deus Iſrael & Salvátor, lapíſque anguláris qui facis útraque unum; veni, & ſalva hóminem quem de limo formáſti. *Jerem.* 10. 7. *Iſ.* 45. 15. *&* 28. 16. *&* 35. 4. *Eph.* 2. 14. *Gen.* 2. 7.

DIE XXIII.

Ad Magn. *Ant. t. 8. G.*

O Emmánuel, Rex & Légifer noſter, expectátio géntium, & deſiderátus eárum; veni ad ſalvándum nos, Dómine, Deus noſter. *Iſ.* 7. 14. *&* 33. 22. *Gen.* 49. 10. *Aggæi* 2. 8. *Zach.* 9. 16.

ANTIPHONÆ FERIALES

Inchoantur die decimâ ſeptimâ Decembris, & dicuntur diebus infrà notatis ad Laudes, ad Horas breves, & ad Veſperas.

Si dies decima ſeptima fuerit Dominica; ſequenti tantùm die incipientur Antiphonæ Feriales per illas quæ aſſignantur pro die decima octava.

Nullæ habentur die vigeſimâ primâ propter Feſtum ſancti Thomæ quod eo die celebratur, aſſignatur tantùm Antiphona propria ad Benedictus, *pro commemoratione Adventûs; & hæc Antiphona ſemper dicitur, etiam ſi dies vigeſima prima ſit Dominica, ſicut Antiphona,* O, *ad* Magnificat.

Quòd ſi Feſtum ſancti Thomæ incidat in Dominicam, transfertur ad diem ſequentem, & omittuntur Antiphonæ Feriales quæ illâ die dicendæ fuiſſent. Die autem Dominicâ dicentur Antiphonæ quæ cuique Dominicæ propriæ aſſignantur, omiſſis Antiphonis Ferialibus pro illa die notatis.

DIE XVII Decembris.

AD LAUDES & alias Horas ſequentes; omiſſâ quartâ pro Horis brev.

Ant. t. 4. E. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant juſtum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem. *Iſ.* 45. 8.

Ant. t. 5. F. Deus cœlórum, exáudi: meménto, Dómine, teſtaménti tui: ut omnes gentes agnóſcant quia tu es Deus. *Judith.* 9. 17. 18. 19.

Ant. t. 7. C. Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Iſrael. *Jer.* 31. 7.

Ant. t. 8. C. Miſerére Iſrael quem coæquáſti primogénito tuo: reple glóriâ tuâ pópulum tuum. *Eccli.* 36. 14. 16.

Ant. t. 8. G. Mitte, Dómine, ſapiéntiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitúdinis tuæ. *Sap.* 9. 10.

DIE XVIII.

AD LAUDES, HORAS & VESPERAS.

Ant. t. 1. A. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terræ de petra desérti ad montem filiæ Sion. *Iſ.* 16. 1.

Ant. t. 2. d. Recordáre, Dómine, ſervi dominátu ſunt noſtri; non fuit qui redime-

ret de manu eórum. *Thren.* 5. 1. 8.

Ant. t. 3. *a.* Réſpice, Dómine, de domo ſanctâ tua in nos; & inclína aurem tuã, & exáudi nos. *Bar.* 2. 16.

Ant. t. 4. *A.* Ne díſſipes teſtaméntum tuum; neque auferas miſèricórdiam tuam à nobis. *Dan.* 3. 34 35.

Ant. t. 7. *C.* Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 14.

DIE XIX.

AD LAUDES, HORAS & VESPERAS.

Ant. t. 3. *E.* UTtinam dirúmperes cœlos, & deſcénderes! *Iſ.* 64. 1.

Ant. t. 4. *E.* Erue nos in mirabílibus tuis, & da glóriam nomini tuo. *Dan.* 3. 43.

Ant. t. 2. *D.* Miſerére noſtrì, Deus ómnium, & réſpice nos, & oſténde nobis lucem miſeratiónum tuárũ. *Eccli.* 36. 1.

Ant. t. 3. *A.* Convérte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies noſtros ſicut à princípio. *Thr.* 5. 21.

Ant. t. 1. *F.* Aperi, Dómine, óculos tuos, & vide: Deus noſter, ſalva nos. *Iſ.* 37. 17. 20.

DIE XX.

AD LAUDES, HORAS & VESPERAS.

Ant. t. 1. *A.* EXpectátio Iſrael, Dómine, ſalvum me fac, & ſalvus ero. *Jer.* 17. 13. 14.

Ant. t. 3. *a.* Tu, Dómine, Pater noſter, Redémptor noſter: convértere propter ſervos tuos. *Iſ.* 63. 16. 17.

Ant. t. 4. *A.* Cóngrega omnes tribus Jacob, ut cognóſcant quia non eſt Deus, niſi tu; & enárrent magnália tua. *Eccli.* 36. 13.

Ant. t. 7. *A.* Nomen tuum invocàtum eſt ſuper nos: ne derelínquas nos, Dómine. *Jerem.* 14. 9.

Ant. t. 8. *D.* Dómine, opus tuum; in médio annórum vivífica illud. *Hab.* 3. 2.

DIE XXI.

Feſtum

SANCTI THOMÆ.

Pro Commemoratione Adventûs ad Laudes. Ant. t. 1. *a.* Æquo ánimo eſtóte, & hos quinque dies expectémus à Dómino miſericórdiam; & dabit glóriam nómini ſuo. *Judith.* 7. 23. 24.

Pro Commemoratione ad Veſperas. O Oriens.

DIE XXII.

AD LAUDES, HORAS & VESPERAS.

Ant. t. 1. *d.* VEtus error ábiit: Servábis pacem, Dómine, pacem; quia in te ſperávimus. *Iſ.* 26. 3.

Ant. t. 3. *E.* Dabis, Deus, veritátem Jacob, miſericórdiam Abrahã; quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antíquis. *Mich.* 7. 20.

Ant. t. 5. *A.* Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo. *Iſ.* 12. 2.

Ant. t. 6. f. Venit mihi gáudium à Sancto ſuper miſericórdia, quæ véniet ab ætérno Salutari noſtro. *Bar.* 4. 22.

Ant. t. 7. C. Non repéllet in ſempitérnum Dóminus: ſi abjécit, & miſerébitur. *Thr.* 3. 31. 32.

DIE XXIII.

AD LAUDES, HORAS & VESPERAS.

Ant. t. 5. F. LAuda, & lætáre, filia Sion; quia ecce vénio, ait Dóminus *Zach.* 2. 10.

Ant. t. 6. f. Dícite filiæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. *Iſ.* 62. 11.

Ant. t. 8. G. Collum veſtrum ſubjícite jugo, & ſuſcípiat ánima veſtra diſciplínam: in próximo eſt enim invenire eam. *Eccli.* 51. 34.

Ant. t. 4. A. Præparate corda veſtra Dómino, & ſervíte ei ſoli, & éruet vos. 1. *Reg.* 7. 3.

Ant. t. 5. A. Gaudébunt campi, exultábunt ligna ſylvárum à facie Dómini; quia venit. *Pſ.* 95. 12. 13.

Ad Benedict. *Ant. t. 1. D.* Sint paráti in diem tértium: in die enim tértia deſcéndet Dóminus. *Exod.* 19. 11.

Et hæc Antiphona dicitur ſemper die 23. etiamſi ſit Dominica.

FERIA SECUNDA.

De Iſaia Prophéta.

Lectio j. Cap. 51. *v.* 7. *ad* 11.

AUdite me, qui ſcitis juſtum, pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére opprobrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis. Sicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic devorábit eos tínea: Salus autem mea in ſempitérnum erit, & juſtítia mea in generatiónes generatiónum. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini: consúrge ſicut in diébus antíquis, in generatiónibus ſæculórum. Numquid non tu percuſſiſti ſupérbum, vulnerâſti dracónem? Numquid non tu ſiccâſti mare, aquam abyſſi veheméntis: qui poſuiſti profúndum maris viam, ut transírent liberati?

℟. Ecce ſervus. *ex* 1. *Nocturno Domin. pag.* 198.

Lectio ij. v. 11. *ad* 15.

ET nunc qui redempti ſunt à Domino, reverténtur, & vénient in Sion laudántes, & lætítia ſempitérna ſuper cápita eórum, gáudium & lætítiam tenébunt, fúgiet dolor & gémitus. Ego, ego ipſe conſolabor vos: quis tu ut timéres ab hómine mortáli, & à filio hóminis, qui, quaſi fœnum ita aréſcet? Et oblitus es Dómini factóris tui, qui tetendit cœlos, & fundávit terram: & formidâſti

midáſti júgiter totâ die à fácie furóris ejus qui te tribulábat, & paráverat ad perdéndum: ubi nunc eſt furor tribulantis? Citò véniet grádiens ad aperiéndum, & non interficiet uſque ad internecióne̅, nec deficiet panis ejus.

℟. Non docébit. *p.* 199.

Lectio iij. v. 15. *ad* 20.

Ego autem ſum Dóminus Deus tuus, qui contúrbo mare, & intuméſcunt fluctus ejus: Dóminus exercítuum nomen meum. Póſui verba mea in ore tuo, & in u̅bra manûs meæ protéxi te, ut plantes cœlos, & fundes terram: & dicas ad Sion: Pópulus meus es tu. Eleváre, eleváre, consúrge, Jerúſalem, quæ bibíſti de manu Dómini cálicem iræ ejus: uſque ad fundum cálicis ſopóris bibíſti, & potáſti uſque ad fæces. Non eſt qui ſuſténtet eam ex ómnibus fíliis, quos génuit: & non eſt qui apprehéndat manum ejus ex ómnibus fíliis, quos enutrívit. Duo ſunt quæ occurrérunt tibi; quis contriſtábitur ſuper te? váſtitas, & contrítio, & fames, & gládius; quis conſolábitur te?

℟. Senſum, *p.* 199.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *A.* Qui redémpti ſunt à Dómino reverténtur, & vénient in Sion laudántes. *Iſ.* 51. 11.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 22. *de Reform. Cap:* 1.

Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſsíduè ínſtruat, quàm eórum vita & exémplum qui ſe divíno miniſtério dedicárunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſubláti locum conſpiciántur; in eos, tâquam in ſpéculum, relíqui óculos conjiciunt, ex eíſque ſumunt quod imiténtur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Salvábo gregem meum, & ſuſcitábo ſuper eas paſtórem unum, qui paſcat eas. *Ezech.* 34. 22. 23.

Niſi dicenda ſit Antiphona O.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 52. *v.* 7. *ad* 11.

Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox ſpeculatórum tuórum: levavérunt vocem, ſimul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt cùm convérterit Dóminus Sion. Gaudéte, & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem: quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem. Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in óculis ómnium géntium: & vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei noſtri.

℟. Annunciáte, *ex ſecundo Nocturno Domin.* pag. 200.

Lectio ij. v. 11. *ad finem.*

Recédite, recédite, exíte inde, pollútum nolíte

tángere : exíte de médio ejus, mundámini, qui fertis vaſa Dómini. Quóniam non in tumúltu exibitis, nec in fuga properábitis : præcédet enim vos Dóminus, & congregábit vos Deus Iſrael. Ecce intélliget ſervus meus, exaltábitur, & elevábitur, & ſublímis erit valdè. Sicut obſtupuérunt ſuper te multi, ſic inglórius erit inter viros aſpéctus ejus, & forma ejus inter fílios hominum. Iſte aſpérget gentes multas, ſuper ipſum continébunt reges os ſuum : quia quibus non eſt narrátum de eo, vidérunt; & qui non audiérunt, contempláti ſunt.

℟. Anima, *pag.* 200.

Lectio iij. Cap. 54. *v.* 1. *ad* 4.

LAuda, ſtérilis quæ non paris : decánta laudem, & hinni quæ non pariébas : quóniam multi fílii desértæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentorii tui, & pelles tabernaculórum tuórum exténde, ne parcas : longos fac funículos tuos, & clavos tuos consolida. Ad déxteram enim & ad lævam penetrabis : & ſemen tuum gentes hæreditábit, & civitates desertas inhabitabit.

℟. Confitémini, *pag.* 201.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in óculis ómnium géntium : & vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei noſtri. *Iſ.* 52. 10.

CANON
Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 22. *de Ref. Cap.* 1.

SIc decet omníno Clericos in ſortem Dómini vocátos, vitam moréſque ſuos omnes compónere, ut hábitu, geſtu, inceſſu, ſermóne aliiſque ómnibus rebus nil niſi grave, moderátum ac religióne plenum præ ſe ferant ; lévia étiam delícta, quæ in ipſis máxima eſſent, effúgiant, ut eórum actiones cunctis ƒfferant veneratiónem.

Ad Magn. *Ant. t.* 2. *d.* Erit fides in tempóribus tuis ; divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia. *Iſ.* 33. 6.

Niſi dicenda ſit Antiph. O.

FERIA QUARTA
QUATUOR TEMPORUM.
De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 54. *v.* 4. *ad* 9.

NOli timére, quia non confundéris, neque erubéſces : non enim te pudébit, quia confuſiónis adoleſcéntiæ tuæ oblivíſcéris, & opprobrii viduitátis tuæ non recordáberis ámpliùs. Quia dominábitur tuî qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen ejus : & Redémptor tuus Sanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur. Quia ut mulíerem derelíctam & mœréntem ſpíritu vocávit te Dóminus, & uxórem ab adoleſcéntia abjéctam, dixit Deus tuus. Ad punctum in módico derelíqui te, & in miſerationibus magnis congregá-

bo te. In moménto indignatiónis abſcóndi fáciem meam parúmper à te, & in miſericórdia ſempitérna misértus ſum tuî: dixit Redémptor tuus Dominus.

℟. Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces veſtras, * Si manéntes permanséritis in jejúniis, & oratiónibus in conſpéctu Dómini. ℣. Si fúerit númerus filiórum Iſrael tamquam aréna maris, relíquiæ ſalvæ fient. * Si manéntes. *Judith.* 4. 12. *Rom.* 9. 27.

Lectio ij. v. 10. *ad* 15.

MOntes enim commovebúntur, & colles contremíſcent: miſericórdia autem mea non recédet à te, & fœdus pacis meæ non movébitur: dixit miſerátor tuus Dóminus. Paupércula, tempeſtáte convúlſa, abſque ulla conſolatióne. Ecce ego ſternam per órdinem lápides tuos, & fundabo te in ſapphíris, & ponam jáſpidem propugnácula tua: & portas tuas in lápides ſculptos, & omnes términos tuos in lápides deſiderabiles: univérſos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis fíliis tuis. Et in juſtítia fundáberis: recéde procul à calúmnia, quia non timébis; & à pavóre, quia non appropinquábit tibi.

℟. Expéctat Dóminus, ut miſereátur veſtrî, & ídeò exaltábitur parcens vobis. * Deus judícii Dóminus; beáti omnes qui expéctant eum. ℣. Apparébit expectántibus ſe in ſalútem. * Deus judícii, &c. *Iſ.* 30. 18. *Heb.* 9. 28.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 26.

IN illo témpore, Miſſus eſt Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem deſponsátam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Cap. 1. *Luc.*

IN FESTO ANNUNTIAT. 7.

EXórdium noſtræ redemptiónis, fratres chariſſimi, hodiérna nobis ſancti Evangélii léctio comméndat, quæ Angelum à Deo de cœlis miſſum narrat ad Vírginem; ut novam in carne nativitátem Filii Dei prædicáret; per quam nos, abjectâ vetuſtáte nóxiâ, renovári, atque inter fílios Dei computári poſsímus. Aptum profectò humánæ reſtauratiónis princípium fuit, ut Angelus à Deo mitterétur ad Vírginem partu conſecrándam divíno; quia prima perditiónis humánæ fuit cauſa, cùm ſerpens à diábolo mittebátur ad mulíerem ſpíritu ſupérbiæ decipiéndam: immo ipſe in ſerpénte veniébat diabolus, qui genus humánum, decéptis paréntibus primis, immortalitátis gló-

riâ nudáret.

℟. Ave, gratiâ plena, Dóminus tecum: Spiritus ſanctus ſupervéniet in te, & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. Ideóque, & * Quod naſcétur ex te ſanctum vocabitur Fílius Dei. ℣. Creávit Dóminus novum ſuper terram: fœmina circúmdabit virum. * Quod naſcétur, &c. Glória. * Quod naſcétur. *Luc.* 1. 28. 35. *Jer.* 31. 22.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Ne tímeas, María, inveníſti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, & páries Fílium: hic erit magnus; & Fílius Altíſſimi vocabitur. *Luc.* 1. 30. 31. 32.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut redemptiónis noſtræ ventúra ſolémnitas, & præséntis nobis vitæ ſubſídia cónferat, & ætérnæ beatitúdinis præmia largiátur; Per Dóminum noſtrum, &c.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *Part.* 1. *Cap.* 5.

SAcra quátuor jejuniórum témpora, ſicut olim ſolemni celebritáte, & religióſo ſupplicatiónum officio colebántur; ita ad illórum cultum, paſtorali curâ erudítis fidélium méntibus, in uſum antíquæ pietátis revocanda ſunt.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus: & regnábit in domo Jacob in ætérnum, & regni ejus non erit finis. *Luc.* 1. 32. 33.

Niſi dicenda ſit Antiph. O.

FERIA QUINTA

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 55. *v.* 6. *ad* 10.

QUærite Dominum, dum inveníri poteſt: invocáte eum, dum propè eſt. Derelínquat ímpius viam ſuam, & vir iníquus cogitatiónes ſuas, & revertátur ad Dóminum, & miſerébitur ejus, & ad Deum noſtrum, quóniam multus eſt ad ignoſcéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia ſicut exaltántur cœli à terra, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitatiónes meæ à cogitatiónibus veſtris.

℟. Ecce ſervus, *ex* 1. *Noct. Domin. pag.* 198.

Lectio ij. v. 10. *ad finem.*

ET quómodo deſcéndit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non revértitur, ſed inébriat terram, & infúndit eam, & germináre eam facit, & dat ſemen ſerénti, & panem comedénti; ſic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vácuum, ſed fáciet quæcúmque vólui, & proſperábitur in his, ad quæ miſi illud. Quia in lætítia egrediémini, & in pace deducémini: montes & colles cantábunt coram vobis lau-

dem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro ſaliúnca aſcendet abies, & pro úrtica creſcet myrtus: & erit Dóminus nominátus in ſignum ætérnum, quod non auferétur.

℟. Non docébit, *pag.* 199.

Lectio iij. Cap. 57. v. 15. ad 20.

HÆc dicit Excélſus, & ſublímis hábitans æternitátem: & ſanctum nomen ejus in excélſo & in ſancto habitans, & cum contríto & húmili ſpíritu: ut vivíficet ſpíritum humílium, & vivíficet cor contritórum. Non enim in ſempitérnum litigábo, neque uſque ad finem iráſcar: quia ſpíritus à fácie mea egrediétur, & flatus ego fáciam. Propter iniquitátem avarítiæ ejus irátus ſum, & percúſſi eum: abſcóndi à te fáciem meam, & indignátus ſum: & ábiit vagus in via cordis ſui. Vias ejus vidi, & ſanávi eum, & redúxi eum, & réddidi conſolatiónes ipſi, & lugéntibus ejus. Creávi fructum labiórum pacem, pacem ei, qui longè eſt, & qui propè, dixit Dóminus, & ſanávi eum.

℟. Senſum tuum, *pag.* 199.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *A.* In lætítia egrediémini: & in pace deducémini: montes & colles cantábunt coram vobis laudem. *Iſ.* 55. 12.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Seſ. 23. *de Ord. Can.* 3.

SI quis díxerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinatiónem, non eſſe verè ac própriè Sacraméntum, à Chriſto Dómino inſtitútum; anathéma ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *F.* Magnificábitur uſque ad términos terræ: & erit iſte pax. *Mich.* 5. 4. 5.

Niſi dicenda ſit Antiph. O.

F E R I A S E X T A

QUATUOR TEMPORUM.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 58. *v.* 1. *ad* 5.

CLama, ne ceſſes, quaſi tuba exálta vocem tuam, & annúntia pópulo meo ſcélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens quæ juſtítiam fécerit, & judícium Dei ſui non derelíquerit: rogant me judícia juſtítiæ: appropinquáre Deo volunt. Quare jejunávimus, & non aſpexíſti: humiliavimus ánimas noſtras, & neſcíſti? Ecce in die jejúnii veſtri invenítur volúntas veſtra, & omnes debitóres veſtros repétitis. Ecce ad lites & contentiónes jejunátis, & percútitis pugno ímpiè. Nolíte jejunáre ſicut uſque ad hanc diem, ut audiátur in excélſo clamor veſter.

℟. Non timébo, quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * Et factus eſt mihi

in ſalútem. ℣. Venit Fílius hóminis ſalváre quod períerat. * Et factus, &c. *Iſ.* 12. 2. *Matth.* 18. 11.

Lectio ij. v. 5. ad 9.

NUmquid tale eſt jejúnium quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam ſuam? Numquid contorquére quaſi círculum caput ſuum, & ſaccum & cínerem ſtérnere? Numquid iſtud vocábis jejúnium, & diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc eſt magis jejúnium quod elégi? Diſsólve colligatiónes impietátis, ſolve faſcículos deprimentes; dimítte eos, qui confrácti ſunt, líberos, & omne onus dirúmpe. Frange eſuriénti panem tuum, & egénos vagóſque induc in domũ tuam: cùm víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne deſpéxeris. Tunc erúmpet quaſi manè lumen tuum, & ſánitas tua cítiùs oriétur, & anteíbit fáciem tuam juſtítia tua, & gloria Dómini cólliget te.

℟. Dulcis & rectus Dóminus legem dabit delinquéntibus in via. * Díriget manſuétos in judício; docébit mites vias ſuas. ℣. Sicut locútus eſt per os ſanctórum, qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus, * Díriget, &c. *Pſalm.* 24. 8. 9. *Luc.* 1. 70.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 39.

IN illo témpore; Exúrgens María, ábiit in montána, cum feſtinatióne, in civitátem Juda: & intrávit in domum Zachariæ, & ſalutávit Elízabeth. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Libro 2. *in Luc.*

MOrále eſt ómnibus, ut qui fidem éxigunt, fidem áſtruant: & ídeò Angelus cùm abſcóndita nuntiáret, ut fides aſtruerétur exémplo, ſenióris fœminæ ſterilíſque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit; ut poſsíbile Deo, omne quod ei placúerit, aſséreret. Ubi audívit hoc María, non quaſi incrédula de oráculo, nec quaſi incérta de núntio, nec quaſi dúbitans de exémplo; ſed quaſi læta pro voto, religióſa pro offício, feſtína pro gáudio, in montána perréxit. Quò enim jam Deo plena, niſi ad ſuperióra cum feſtinatióne conténderet? Neſcit tarda molímina Spíritûs ſancti grátia.

℟. Unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Beáta quæ credidíſti; quóniam * Perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino. ℣. Benedíctus Dóminus qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum noſtrórum. * Perficiéntur. Glória, &c. Perficiéntur. *Luc.* 1. 43. 45. *Judith.* 13. 24.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Exclamávit voce magnâ Eliſzabeth, & dixit: Benedícta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni; ut hi qui in pietáte tua confidunt, ab omni cítiùs adverſitáte liberéntur; Qui vivis & regnas, &c.

CANON

Ex Concílio Rotomagénſi.

Ann. 1445. *Cap.* 16.

AD ſacros Ordines promovéndi hábeant beneficium, ſeu patrimónium, vel títulum verum, & non fictum à ſuis paréntibus & propínquis, ſine fraude. In quo ſi qui ſuos datóres, aut promotóres circumvénerint, ſuórum ſint Ordinum executióne ſuſpénſi.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt ſicut merídies. *Iſ.* 58. 10.

Niſi dicenda ſit Antiph. O.

SABBATO.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 61. *v.* 1. *ad* 5.

SPíritus Dómini ſuper me, eò quòd únxerit Dóminus me: ad annuntiandum manſuétis miſit me, ut medérer contrítis corde, & prædicárem captívis indulgéntiam, & clauſis apertiónem: ut prædicárem annum placábilem Domino, & diem ultiónis Deo noſtro: ut conſolárer omnes lugéntes: ut pónerem lugéntibus Sion, & darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro ſpíritu mœróris: & vocabúntur in ea fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. Et ædificábunt deſérta à ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes desértas, diſſipátas in generatiónem & generatiónem.

℟. Dómine, qui auferſ iniquitátem, * Dabis veritátem Jacob, miſericórdiam Abraham; quæ juráſti pátribus noſtris à diébus antiquis. ℣. Ad dandam ſciéntiam ſalútis, in remiſſiónem peccatórum. * Dabis veritátem, &c. *Mich.* 7. 18. 20. *Luc.* 1. 77.

Lectio ij. Cap. 62. *v.* 1. *ad* 6.

PRopter Sion non tacébo, & propter Jeruſalem non quiéſcam, donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur, & vidébunt gentes juſtum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum: & vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultrà, Derelícta: & terra tua non vocábitur ámpliùs Deſoláta: ſed vocáberis Volúntas mea in ea, & terra tua Inhabitáta; quia complácuit Dómino in te: & terra tua inhabitábitur. Habitábit enim júvenis cum

vírgine, & habitábunt in te fílii tui. Et gaudébit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudébit ſuper te Deus tuus.

℟. Sion, non diſſolvántur manus tuæ; Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipſe ſalvábit: * Gaudébit ſuper te in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. ℣. Scriptum eſt: Véniet ex Sion, qui erípiat, & avértat impietátem à Jacob. * Gaudébit. *Soph.* 3. 16. 17. *Rom.* 11. 26.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 19.

IN illo témpore; Miſérunt Judæi ab Jeroſólymis Sacerdótes & Levítas ad Joánnem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 7. *in Evang.*

EX hujus nobis lectiónis verbis, fratres chariſſimi, Joánnis humílitas commendátur: qui cùm tantæ virtútis eſſet, ut Chriſtus credi potuíſſet, elégit ſólidè ſubſíſtere in ſe, ne humánâ opinióne raperétur ínániter ſuper ſe. Nam conféſſus eſt; & non negávit: & conféſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Sed qui dixit, Non ſum, negávit planè quod non erat, ſed non negávit quod erat: ut veritátem loquens, ejus membrum fieret, cujus ſibi nomen falláciter non uſurpáret. Cùm ergo non vult appétere nomen Chriſti, factus eſt membrum Chriſti: quia dum infirmitátem ſuam ſtúduit humíliter agnóſcere, illíus celſitúdinem méruit veráciter obtinére.

℟. Qui poſt me ventúrus eſt, ante me factus eſt: * Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrígiam calceaménti. ℣. Ante Dóminum, qui elégit me, vílior fiam pluſquam factus ſum. * Cujus, &c. Glória. * Cujus. *Joan.* 1. 27. 2. *Reg.* 6. 21. 22.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *C.* Médius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcítis. Ipſe eſt, qui poſt me ventúrus eſt. *Joan.* 1. 26. 27.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis, quia ex noſtra pravitáte afflígimur; concéde propítius, ut ex tua viſitatióne conſolémur; Qui vivis & regnas, &c.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi.

An. 1536. *Part.* 1. *Cap.* 21.

QUo affécto, ac propóſito accédant ordinándi, vidéndum, accuratèque inveſtigándum eſt, num vidélicet, Dei causâ tantùm, an pótiùs ſuæ commoditátis grátiâ ad Ordines capeſſéndos aſpírent, quæréntes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti.

AD VESPERAS.

Sion, præparare in occurſum Domini; quia propè eſt.

Antiphonæ Feriales juxta ordinem dierum, qui ſuprà notatus eſt. pag. 206.

Capitulum. Iſ. 46. 13.

PRopè feci juſtítiam meâ, non elongábitur, & ſalus mea non morâbitur. Dabo in Sion ſalútem, & in Iſrael glóriam meam.

HYMNUS.

INſtántis ad vocem Dei,
Sacra Sion ſonet tubâ,
Feſtíſque munus ínclytum
Præoccupémus cánticis.
Venére tandem témpora
Priſcis negáta ſæculis:
Emptus tot annórum morâ
Affulget è cœlo dies.
En vox Joánnis prævia
Jordánis oris núntiat:
Viam paráte Númini;
Salus adeſt mortalibus.
Manſuétus & clemens venit:
Occúrre, feſtína, Sion;
Ultrò tibi quam pórrigit,
Ne dura pacem réſpuas.
Fœtus tenebrárum, die
Cedant propínquo crímina:
Adam reformétur vetus,
Imágo ſuccédat novi.
Qui próximus pulſat Deo
Rectas terámus sémitas;
Domóſque dignas, péctora
Tanto parémus hóſpiti.
Sit laus Patri, qui Fílium
Sonti dat orbi víctimam:
Sit qui venit laus Filio,
Quo fit caro, laus Flámini.
Amen.

℣. Deus maniféſtè véniet: ℟. Deus noſter, & non ſilébit. *Pſ. 49. v. 3.*

Ad Magnif. *Antiphona* O.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Quæ eſt ij. Claß.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Statim véniet Dominátor, quem quæritis, * Veníte, adorémus. *Malach. 3. 1.*

IN I. NOCTURNO.

In proximo eſt qui ſalvet populum ſuum.

Ant. t. 1. D. Sciet omnis caro, quia ego Dóminus ſalvans te, & Redémptor tuus fortis. *Iſ. 49. 26.*

Ant. t. 2. D. Tempus requiréndi Dóminum, cum venerit qui docébit vos juſtítiam. *Oſee. 10. 12.*

Ant. t. 3. A. Sicut vidérunt vicínæ Sion captivitátem veſtram; ſic vidébunt & in celeritáte ſalútem veſtram à Deo. *Baruch. 4. 24.*

℣. Expécta Dóminum, viríliter age: ℟. Confortétur cor tuum, & ſúſtine Dóminum. *Pſ. 26. 14.*

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 63. v. 1. ad 7.

QUis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis véſtibus de Boſra? iſte formóſus in ſtola ſua, grádiens in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Ego, qui loquor juſtítiam, & propugnátor ſum ad ſalvándum. Quare ergo rubrum eſt induméntum tuum, & veſtiménta tua ſicut calcántium in torculári? Torcúlar calcávi ſolus, & de géntibus non eſt vir mecum: calcávi eos in furóre meo, & con-

culcávi eos in ira mea: & aſpérſus eſt ſanguis eórũ ſuper veſtiménta mea, & ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumſpéxi, & non erat auxiliátor: quæsívi, & non fuit qui adjuváret: & ſalvávit mihi bráchium meum, & indignátio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, & inebriávi eos in indignatióne mea, & detráxi in terram virtútem eórum.

℟. Vidébunt ſalútem veſtram, quæ ſupervéniet vobis cum honóre magno: * Perſecútus eſt te inimícus tuus; ſed citò vidébis perditiónem ipsíus. ℣. Princeps hujus mundi ejiciétur foràs. * Perſecútus eſt. *Baruch.* 4. 24. 25. *Joan.* 12. 31.

Lectio ij. v. 7. ad 11.

MIſeratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini ſuper ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, & ſuper multitúdinem bonórum dómui Iſrael, quæ largítus eſt eis ſecúndùm indulgéntiam ſuam, & ſecúndùm multitúdinem miſericordiárum ſuárum. Et dixit: Verúmtamen pópulus meus eſt, fílii non negántes: & factus eſt eis Salvátor. In omni tribulatióne eórum non eſt tribulátus, & ángelus faciéi ejus ſalvávit eos: in dilectióne ſua, & in indulgéntia ſua ipſe redémit eos, & portávit eos, & elevávit eos cunctis diébus ſæculi. Ipſi autem ad iracúndiam provocavérunt, & afflixérunt ſpíritum Sancti ejus: & convérſus eſt eis in inimícum, & ipſe debellávit eos.

℟. Super montem excélſum aſcénde tu, qui evangelízas Sion: exálta in fortitúdine vocem tuam. Dic civitátibus Juda: * Ecce Deus veſter, & opus illíus coram illo: ℣. Quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt, hanc Deus adimplévit. * Ecce Deus, &c. *Iſ.* 40. 9. 10. *Act.* 13. 32. 33.

Lectio iij. v. 11. *ad* 15.

REcordátus eſt diérum ſæculi Móyſi, & pópuli ſui: ubi eſt qui edúxit eos de mari cum paſtóribus gregis ſui? ubi eſt qui póſuit in médio ejus ſpíritũ Sancti ſui? Qui edúxit ad déxteram Móyſen bráchio majeſtátis ſuæ, qui ſcidit aquas ante eos, ut fáceret ſibi nomen ſempitérnum: qui edúxit eos per abyſſos quaſi equum in desérto non impingéntem. Quaſi ánimal in campo deſcéndens, ſpíritus Dómini ductor ejus fuit: ſic adduxíſti pópulum tuum, ut fáceres tibi nomen glóriæ.

℟. In ſpíritu conſtitúti humiliáto, ſerviéntes illi, * Dicámus ut fáciat nobíſcum miſericórdiam ſuam. ℣. Has habéntes promiſſiónes, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & ſpíritûs. *

Dicámus ut fáciat. Glória. * Dicámus, &c. *Judith.* 8. 16. 17. 2. *Corinth.* 7. 1.

IN II. NOCTURNO.

Inſtans oratio vobis ſit ad Adventum Domini præparatio.

Ant. t. 4. *a.* Hæc dicit Dóminus: Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argénto redimémini. *Iſ.* 52. 3.

Ant. t. 7. *a.* Quærite Dóminum, dum inveníri poteſt: invocáte eum, dum propè eſt. *Iſ.* 55. 6.

Ant. t. 8. *G.* Vobíſcum ſum, ut ſalvos vos fáciam, & dabo vobis miſericórdias, & miſerébor veſtrì. *Jerem.* 42. 11. 12.

℣. Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eum, ℟. Invocántibus eum in veritáte. *Pſ.* 144. 18.

Sermo ſancti Máximi Epiſcopi.

In Vigiliis Nativitatis Domini.

Lectio iv.

LÆtítia quanta ſit, quantúſque concúrſus cùm Imperatóris mundi iſtíus Natális celebrándus eſt, bene noſtis; quemádmodum duces ejus & príncipes, omnes étiam militántes accuráti séricis véſtibus, accíncti operóſis cíngulis, auro fulgénte pretióſis, ámbiunt ſólito nitídiùs in conſpéctu regis incédere... Si ergo, fratres, ſæculi iſtíus hómines propter præséntis honóris glóriam terréni regis ſui Natális diem, tantâ apparatióne ſuſcípiunt: quantâ nos accuratióne ætérni Regis noſtri Jeſu Chriſti Natálem ſuſcípere debémus, qui pro devotióne noſtra, non nobis temporálem largiétur glóriam; ſed ætérnam; nec terréni honóris adminiſtratiónem dabit, quæ Succeſsóre finítur, ſed cœléſtis Impérii dignitátem quæ non habet ſucceſsórem?

℟. Quærite Dóminum, omnes manſuéti terræ; * Qui judícium ejus eſtis operáti; quærite juſtũ, quærite manſuétũ. ℣. Remíſſas manus, & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris. * Qui judícium. *Soph.* 2. 3. *Heb.* 12. 12. 13.

Lectio v.

QUibus induméntis nos exornári opórtet? Quod autem díximus, Nos, hoc eſt, Animas noſtras; quia Rex noſter Chriſtus non tam nitórem véſtium, quàm animárum requírit afféctum; nec ínſpicit ornaménta córporũ, ſed cónſiderat corda meritórum... Ambiámus ergo inveníri ante ipſum probáti fide, concépti miſericórdiâ, móribus accuráti: & qui fidéliùs Chriſtum díligit, nitídiùs ſe mandatórum ejus obſervatióne compónat; ut verè nos in ſe crédere vídeat, cùm ita in ejus ſolemnitáte fulgeámus; & eò magis lætus ſit, quò nos perſpéxerit purióres. Atque ídeò ante complúres dies caſtificémus cor-

da noſtra, mundémus conſciéntiam, purificémus ſpíritum, ac nitidi & ſine mácula, immaculáti Dómini ſuſcipiámus Advéntum; ut cujus Natívitas per immaculátam Vírginem cónſtitit, ejus Natális per immaculátos sérvulos procurétur.

℞. Præparáte viam pópulo, planum fácite iter. * Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit. ℣. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: emundáte manus, & purificáte corda. * Ecce Dóminus, &c. *Iſ.* 62. 10. 11. *Jac.* 4. 8.

Lectio vj.

Quiſquis enim in illa die sórdidus fúerit ac pollútus, Natálem Chriſti votúmque non curat. Intérſit licèt Domínicæ Feſtivitáti córpore, mente tamen lóngiùs à Salvatóre ſeparátur. Nec societátem habére póterunt immúndus & ſanctus, avárus & miséricors, corrúptus & virgo; niſi quòd magis ingeréndo ſe indígnus, offenſiónem cóntrahit, cùm mínimè ſe cognóſcit. Dum enim vult officióſus eſſe, injurióſus exíltit; ſicut ille in Evangélio, qui in cœtu Sanctórum invitátus, ad núptias veníre auſus eſt, veſtem non habens nuptiálem: & cùm álius nitéret juſtítiâ, álius lucéret fide, álius caſtitáte fulgéret; ille ſolus conſciéntiæ fœditáte pollútus, cunctis ſplendéntibus, defórmi horróre ſordébat: & quantò plus ſimul diſcumbéntium candébat sánctitas, tantò magis peccatórum illíus apparébat impróbitas; qui potúerat minùs diſplicuíſſe fórſitan, ſi in consórtium juſtórum mínimè ſe dediſſet.

℞. Deus qui liberávit pópulum ſuum; ſicut promíſit in lege, * Sperámus quòd citò noſtrî miſerébitur, & congregábit de ſub cœlo in locum ſanctum. ℣. Aſpérſi corda à conſciéntia mala, teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem, (fidélis enim eſt qui repromíſit.) * Sperámus. Glória. * Sperámus. 2. *Mach.* 2. 17. 18. *Hebr.* 10. 22. 23.

IN III. NOCTURNO.

Facite fructus dignos pœnitentiæ; mundamini ad feſtum propè venturum.

Ant. t. 3. *E.* Expécta illum; quia véniens véniet, & non tardábit. *Habac.* 2. 3.

Ant. t. 4. *a.* Adéſſe feſtínant témpora: judicábit pópulum ſuum, & in ſervis ſuis miſerébitur. *Deut.* 32. 35. 36.

Ant. t. 8. *G.* Mundámini: præcédet vos Dóminus, & congregábit vos Deus Iſrael. *Iſ.* 52. 11. 12.

℣. Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde; ℞. Et húmiles ſpíritu ſalvábit. *Pſ.* 33. 19.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 3. v. 1.

ANno quinto décimo impérii Tibérii Cæſaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, factum eſt verbum Dómini ſuper Joánnem Zacharíæ fílium in desérto. Et venit in omnem regiónem Jordánis prædicans baptíſmum pœniténtiæ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 20. in Evang. n. 1. & 7.

REdemptóris noſtri præcúrſor quo témpore prædicatiónis verbū accéperit, memoráto Románæ Reipúblicæ príncipe, & Judææ régibus, deſignátur. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui ex Judæa quoſdam, & multos ex géntibus redēmptúrus erat, per regem géntium & príncipes Judæórum, prædicatiónis ejus témpora deſignántur.... Dicébat Joánnes ad turbas quæ exíbant ut baptizaréntur ab eo: Genímina viperárum, quis oſténdit vobis fúgere à ventúra ira? Ventúra enim ira eſt animadvérſio ultiónis extrémæ, quam tunc fúgere peccátor non valet, qui nunc ad laménta pœniténtiæ non recúrrit.

℟. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tuâ, Sion, * Indúere veſtiméntis glóriæ tuæ, Jerúſalem cívitas Sancti; quia non adjíciet ultrà ut pertránſeat per te immúndus. ℣. Deus, ſecúndùm promiſſiónem edúxit Iſráel ſalvatórem Jeſum, prædicánte Joánne ante fáciem Advéntûs ejus baptíſmum pœniténtiæ.* Indúere. *Iſ. 52. 1. Act. 13. 23. 24.*

Lectio viij. n. 8.

SEd, quia jam peccávimus; quia uſu malæ conſuetúdinis involúti ſumus; dicat quid nobis faciéndum ſit, ut fúgere à ventúra ira valeámus. Séquitur: Fácite ergo fructus dignos pœniténtiæ. In quibus verbis notandum eſt, quòd amícus ſponſi non ſolum fructus pœniténtiæ, ſed dignos pœniténtiæ ádmonet eſſe faciéndos. Aliud namque eſt, pœnitentiæ fructum fácere: áliud, Dignum pœniténtiæ fructū fácere: Ut enim ſecúndùm dignos pœniténtiæ fructus loquámur, ſciéndum eſt, quia quiſquis illícita nulla commíſit; huic jure concéditur, ut lícitis utátur: ſicque pietátis ópera fáciat, ut tamen ſi nolúerit, ea quæ mūdi ſunt non relínquat.

℟. Propter Sion non tacébo; & propter Jerúſalem * Non quiéſcam; donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvátor ejus ut lampas accendátur. ℣. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini. * Non quiéſcam. *Iſ. 62. 1. Luc. 3. 4.*

Lectio ix.

AT, ſi quis in fornicatiónis culpam, vel fortáſſe, quod eſt grávius, in adultérium lapſus eſt; tantò à ſe lícita debet abſcíndere, quantò ſe méminit & illícita perpetráſſe. Neque enim par fructus boni óperis eſſe debet, ejus qui minùs, & ejus qui ámplius delíquit: aut ejus qui in nullis, & ejus qui in multis eſt lapſus. Per hoc ergo quod dícitur: Fácite dignos fructus pœniténtiæ, uniuſcujúſque conſciéntia convenítur; ut tantò majóra quærat bonórum óperum lucra per pœniténtiam, quantò gravióra ſibi íntulit damna per culpam.

℟. Revertámur ad Dóminum, quia ipſe cepit, & ſanábit nos. * Quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus ejus, & véniet quaſi imber nobis temporáneus. ℣. Confirmáte corda veſtra, quóniam Advéntus Dómini appropinquávit. * Quaſi dilúculum. Glória. * Quaſi, &c. *Oſee.* 6. 1. 2. 3. *Jacob.* 5. 8.

AD LAUDES.

Non niſi per juſtitiam, Juſto venturo præparatur via.

℣. *Sacerd.* A cuſtódia matutína uſque ad noctem, ℟. Speret Iſrael in Dómino. *Pſ.* 129. 6.

Ant. t. 1. d. LAva à malítia cor tuum, Jeruſalem, ut ſalva fias; úſquequò morabúntur in te cogitatiónes nóxiæ? *Jer.* 4. 14.

Ant. t. 3. *E.* Juxtà eſt ſalus mea, ut véniat; & juſtítia mea, ut reveletur. *Iſ.* 56. 1.

Ant. t. 4. *A.* Propè eſt Juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus. *Iſ.* 51. 5.

Ant. t. 6. f. Vox clamántis in deſérto: Paráte viam Dómini: rectas fácite in ſolitúdine sémitas Dei noſtri. *Iſ.* 40. 3.

Ant. t. 5. *A.* Lauda, & lætáre, filia Sion; quia ecce vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2. 10.

Capitulum. Iſ. 10. 24. 25. 27.

HÆc dicit Dóminus Deus exercítuum: Noli timére, pópulus meus habitátor Sion: adhuc paúlulum, modicúmque; & auferétur onus de húmero tuo, & jugum de collo tuo.

℣. Propè timéntes eum ſalutáre ipſíus; ℟. Ut inhábitet glória in terra noſtra. *Pſ.* 84. 10.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Erunt prava in dirécta, & áſpera in vias planas; & vidébit omnis caro Salutáre Dei. *Luc.* 3. 5. 6.

Oratio.

EXcita, quæſumus, Dómine, poténtiam tuam, & veni, & magnâ nobis virtúte ſuccúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod noſtra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret; Qui vivis & regnas, &c.

Ad Horas brev. Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi ſæculórũ, &c.

In ℟. *br.* ℣. Qui propè es, Salvátor meus. *Iſ.* 51. 5.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ord. Can.* 7.

SI quis díxerit eos... qui nec ab Eccleſiáſtica & canónica poteſtáte ritè ordináti, nec miſſi ſunt, ſed aliúnde véniunt, legítimos eſſe verbi & ſacramentórum miniſtros: anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Phil. 4. 4. 5.

FRatres, Gaudéte in Dómino ſemper: íterum dico: Gaudéte. Modéſtia veſtra nota ſit ómnibus homínibus: Dóminus propè eſt.

℟. *br.* Adjútor meus, * Et protéctor meus tu es. Adjútor meus. ℣. Deus meus, ne tardáveris. * Et protéctor. Glória. * Adjútor meus. *Pſ.* 39. 18.

℣. Propè es tu, Dómine: ℟. Et omnes viæ tuæ véritas. *Pſ.* 118. 151.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Petr.* 3. 11. 12.

QUales opórtet vos eſſe in ſanctis converſatiónibus & pietátibus, expectántes, & properántes in Advéntum diéi Dómini.

℟. *br.* Lætábimur, Dómine, * In ſalutári tuo. Lætábimur. ℣. In nómine Dei noſtri magnificábimur. * In ſalutári. Glória. Lætábimur. *Pſ.* 19. 6.

℣. Liberátor meus es tu: ℟. Dómine, ne moréris. *Pſ.* 69. 6.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Theſſ.* 5. 23.

DEus pacis ſanctíficet vos per ómnia, ut íntegrer ſpíritus veſter, & ánima, & corpus ſine queréla in Advéntu Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſervétur.

℟. *br.* Véniat ſuper me * Miſericórdia tua, Dómine. Véniat. ℣. Salutáre tuum ſecúndùm elóquium tuum. * Miſericórdia. Glória. Véniat. *Pſ.* 118. 41.

℣. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ; ℟. Quia páuperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

AD VESPERAS.

Cavete ne imparatos vos inveniat: tempus enim propè eſt.

Ant. 1. 1. *d.* DOminus Deus ſpírituũ Prophetárum miſit osténdere ſervis ſuis, quæ opórtet fíeri citò: tempus enim propè eſt. *Apoc.* 22. 6. 10.

Ant. 1. 2. *d.* Adhuc módicum aliquántulùm: qui ventúrus eſt véniet, & non tardábit. *Hebr.* 10. 37.

Ant. 1. 3. *A.* Hæc expectántes, ſatágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace. 2. *Pet.* 3. 14.

Ant. 1. 4. *E.* Vigiláte, omni témpore orántes, ut digni habeámini ſtare ante Fílium hóminis. *Luc.* 21. 36.

Ant. t. 7. D. Nihil vobis deſit in ulla grátia, expectántibus revelatiónem Dómini noſtri Jeſu Chriſti. 1. *Cor.* 1. 7.

Capitulum. Tit. 2. 12. 13.

Abnegántes impietátem & ſæculária deſidéria, sóbriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo, expectántes beátam ſpem, & Advéntum glóriæ magni Dei, & Salvatóris noſtri Jeſu Chriſti.

Hymnus. Inſtántis ad vocem, *ut in Veſperis Sabbati præcedentis.*

℣. Ne longè fácias miſeratiónes tuas à me. ℟. Miſericórdia tua, & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me. *Pſ.* 39. 12.

Ad Magn. *Ant.* O.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

COMPLETORIUM

Ut in primo Sabbato Adventûs.

IN FERIIS INFRA DOMINICAM IV. Adventûs.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. ut in Dominica IV.

Pſalmi de Pſalterio ſecundùm Feriam.

Antiphonæ, ℣. & Reſponſoria ex uno Nocturno Dominicæ IV. juxta Rubricam ſuperiùs aſſignatam.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* A cuſtódia matutína uſque ad noctem, ℟. Speret Iſrael in Dómino. *Pſ.* 129. 6.

Antiphonæ Feriales juxta ordinem dierum qui ſuperiùs dictus eſt, pag. 206. *Capitulum & cætera ut in Dominica IV. præter Ant. ad* Benedict.

Ad alias Horas, Antiphonæ Feriales quæ dictæ ſunt ad Laudes : cætera ut in Dominica, præter

AD PRIMAM.

Capitulum. Judæ 24.

Ei qui potens eſt vos conſerváre ſine peccáto, & conſtitúere ante conſpéctum glóriæ ſuæ immaculátos in exultatióne in Advéntu Dómini noſtri Jeſu Chriſti; ſoli Deo Salvatóri noſtro, per Jeſum Chriſtum, glória.

FERIA SECUNDA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 63. *v.* 15. *ad finem.*

Attén de de cœlo, & vide de habitáculo ſancto tuo, & glóriæ tuæ: ubi eſt zelus tuus, & fortitúdo tua, multitúdo víſcerum tuórum, & miſeratiónum tuárum? ſuper me continuérunt ſe. Tu enim Pater noſter, & Abraham neſcívit nos, & Iſrael ignorávit nos: tu, Dómine, Pater noſter, Redémptor noſter, à ſæculo nomen tuum. Quare erráre nos fecíſti, Dómine, de viis tuis: indurâſti cor noſtrum ne timerémus te? Convértere propter ſervos tuos, tribus hæreditátis tuæ. Quaſi níhilum poſſedérunt pópulum ſanctum tuum: hoſtes noſtri conculcavérunt ſanctificatiónem tuam. Facti ſumus quaſi in princípio, cùm non dominaréris

dominaréris noſtrî, neque invocarétur nomen tuum ſuper nos.

℟. Vidébunt, *ex* 1. *Nocturno Domin.* pag. 218.

Lectio ij. Cap. 64. *v.* 1. *ad* 6.

UTinam dirúmperes cœlos, & deſcénderes! à fácie tua montes deflúerent: ſicut exúſtio ignis tabéſcerent: aquæ ardérent igni, ut notum fíeret nomen tuum inimícis tuis: à facie tua gentes turbaréntur. Cùm féceris mirabília, non ſuſtinébimus: deſcendíſti, & à fácie tua montes defluxérunt. A ſæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparáſti expectántibus te. Occurríſti lætánti, & faciénti juſtítiam: in viis tuis recordabúntur tuî: ecce tu irátus es, & peccávimus: in ipſis, fúimus ſemper, & ſalvábimur.

℟. Super. *pag.* 218.

Lectio iij. v. 8. *ad finem.*

ET nunc, Dómine, Pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & ópera mánuum tuárum omnes nos. Ne iraſcáris, Dómine, ſatis, & ne ultrà memíneris iniquitátis noſtræ: ecce réſpice, pópulus tuus omnes nos. Civitas Sancti tui facta eſt déſérta, Sion deſérta facta eſt, Jerúſalem deſoláta eſt. Domus ſanctificatiónis noſtræ, & glóriæ noſtræ, ubi laudavérunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtiónem ignis, & ómnia deſiderabília noſtra verſa ſunt in ruinas. Nũquid ſuper his continébis te, Dómine, tacébis, & afflíges nos veheménter?

℟. In ſpíritu. *pag.* 218.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *d.* Captivitátem meam dimíttet, non in prétio, neque in munéribus. *Iſ.* 45. 13.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 2. *Cap.* 9.

QUi in erudiéndis atque inſtruéndis pópulis præeſt, necéſſe eſt ut in ómnibus ſanctus ſit, & in nullo ópere reprehenſíbilis habeátur: qui enim álium de peccátis árguit, ipſe à peccáto debet eſſe aliénus.

Ad Magn. *Ant.* O.

FERIA TERTIA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 65. *v.* 1. *ad* 6.

QUæſiérunt me qui ante non interrogabant; invenérunt qui non quæſiérunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocábat nomen meũ. Expándi manus meas totâ die ad pópulum incrédulum, qui gráditur in via non bona poſt cogitatiónes ſuas. Pópulus qui ad iracúndiam próvocat me ante fáciem meam ſemper: qui ímmolant in hortis, & ſacríficant ſuper láteres: qui hábitant in ſepúlchris, & in delúbris idolórum dórmiunt;

qui cómedunt carnem ſuíllam, & jus profanum in vaſis eorum. Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: iſti fumus erunt in furóre meo, ignis ardens totâ die.

℟. Quærite, *ex 2. Noct. Domin. pag.* 219.

Lectio ij. v. 6. uſque ad 10.

ECce ſcriptum eſt coram me: Non tacébo, ſed reddam, & retríbuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrórum ſimul, dicit Dominus, qui ſacrificavérunt ſuper montes, & ſuper colles exprobravérunt mihi, & remétiar opus eórum primùm in ſinu eorum. Hæc dicit Dóminus: Quomodo ſi inveniátur granum in botro, & dicátur: Ne díſſipes illud, quóniam benedíctio eſt: ſic fáciam propter ſervos meos, ut non diſpérdam totum. Et edúcam de Jacob ſemen, & de Juda poſſidéntem montes meos: & hæreditábunt eam elécti mei, & ſervi mei habitabunt ibi.

℟. Præparáte. *pag.* 220.

Lectio iij. v. 13. *ad* 17.

PRopter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſervi mei cómedent, & vos eſuriétis: ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſervi mei lætabúntur, & vos confúndémini: ecce ſervi mei laudábunt præ exultatione cordis, & vos clamábitis præ dolóre cordis, & præ contritióne ſpíritûs ululábitis. Et dimittétis nomen veſtrum in juraméntum eléctis meis: & interfíciet te Dóminus Deus, & ſervos ſuos vocabit nomine álio. In quo qui benedíctus eſt ſuper terram, benedicétur in Deo, Amen: & qui jurat in terra, jurábit in Deo, Amen: quia oblivióni tráditæ ſunt angúſtiæ prióres, & quia abſconditæ ſunt ab óculis meis.

℟. Deus, qui. *pag.* 220.

Ad Benedictus *Ant. t.* 8. *G.* Edúcam de Jacob ſemen, & de Juda poſſidéntem montes meos: & ſervi mei habitábunt ibi. *Iſ.* 65. 9.

CANON

Ex Decrétis Concílii Provinciális Treviréńſis, *Publicatis anno* 1549. *Decr.* 2. *de Prædicatoribus verbi.*

HOc habet Apoſtólica Ecclésia, ut nullus niſi miſſus prædicet: ſed nec Apóſtoli hoc fecíſſent, niſi mandato à Chriſto accépto: Ite: ecce ego mitto vos. Proínde nos Evangélicæ & Apoſtolicæ régulæ inniténtes, ſtatúimus & præcípimus, ne quis poſthâc, étiam quamcúmque religionem proféſſus, públicè prædicáre præsúmat, niſi ab Epíſcopo Ordinario, vel ejus Vicario Generáli admíſſus fúerit.

Ad Magn. *Ant.* O.

FERIA QUARTA.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Capite 65. v. 17. ad 20.

ECce ego creo cœlos nòvos, & terram novam: & non erunt in memoria prióra; & non aſcéndent ſuper cor. Sed gaudébitis & exultábitis uſque in ſempitérnum, in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerúſalem exultationem, & pópulum ejus gáudium. Et exultabo in Jerúſalem, & gaudébo in pópulo meo: & non audiétur in eo ultrà vox fletûs & vox clamóris.

℟. Consúrge. *Ex tertio Noct. Domin.* pag. 221.

Lectio ij. v. 20. ad 23.

NOn erit ibi ámplius infans dierum, & ſenex qui non ímpleat dies ſuos: quóniam puer centum annórum morietur, & peccátor centum annórum maledictus erit. Et ædificabunt domos, & habitábunt: & plantabunt víneas, & cómedent fructus eárum. Non ædificábunt, & alius habitabit: non plantábunt, & alius cómedet: ſecundùm enim dies ligni, erunt dies pópuli mei: & ópera manuum eórum inveterábunt.

℟. Propter Sion, *p.* 221.

Lectio iij. v. 23. ad finem.

ELecti mei non laborábunt fruſtrà, neque generábunt in conturbatione: quia ſemen benedictórum Domini eſt: & nepótes eórum cum eis. Eritque antequam clament, ego exáudiam: illis adhuc loquéntibus, ego áudiam. Lupus & agnus paſcéntur ſimul, leo & bos cómedent páleas: & ſerpénti pulvis panis ejus: non nocebunt, neque occídent in omni monte ſancto meo, dicit Dóminus.

℟. Revertámur. *pag.* 222.

Ad Bened. *Ant. t. 3. a.* Ecce ego creo Jerúſalem exultatiónem, & pópulum ejus gáudium. *Iſ.* 65. 18.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Treviránſi.

In Decr. pub. an. 1545. *Decr.* 3.

QUando non parum refert quis qualíſve ſit, cui alios inſtituendi & docéndi poteſtas tradita eſt; probandi primùm & explorándi ſunt, futúri Concionatóres, à quibus & quomodo inſtructi ſint: ne peregrínis forte & hæreticis doctrínis imbúti, non ſatis perſpecti recipiantur in ovile Chriſti, ad gravem Domínici gregis perniciem.

Ad Magn. *Ant.* O.

FERIA QUINTA.

De Iſaia Prophéta.

Lectio j. Cap. 66. v. 1. ad 3.

HÆc dicit Dominus: Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabéllum pedum meórum: quæ eſt iſta domus, quam ædificábitis mihi? & quis eſt iſte locus quiétis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta

ſunt univérſa iſta, dicit Dóminus. Ad quem autem reſpíciam, niſi ad paupérculum, & contrítum ſpíritu, & treméntẽ ſermónes meos?

℟. Vidébunt. *Ex* 1. *Noct. Domin. pag.* 218.

Lectio ij. v. 3. *ad* 5.

QUi ímmolat bovem, quaſi qui interfíciat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excérebret canem: qui offert oblatiónem, quaſi qui ſánguinem ſuillum óſſerat: qui recordátur thuris, quaſi qui benedícat idólo. Hæc ómnia elegérunt in viis ſuis, & in abominatiónibus ſuis ánima eórum delectáta eſt. Unde & ego éligam illuſiónes eórum: & quæ timébant, addúcam eis: quia vocávi, & non erat qui reſpondéret: locútus ſum, & non audiérunt: fecerúntque malum in óculis meis, & quæ nólui elegérunt.

℟. Super montem. *p.* 218.

Lectio iij. v. 5. *ad* 7.

AUdíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum ejus: dixérunt fratres veſtri odiéntes vos, & abjiciéntes propter nomen meum: Glorificétur Dóminus, & vidébimus in lætítia veſtra: ipſi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dñi reddéntis retributiónem inimícis ſuis.

℟. In ſpíritu. *pag.* 218.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *C.* Oriétur vobis timéntibus nomen meum ſol juſtítiæ, & ſánitas in pennis ejus. *Malach.* 4. 2.

CANON

Ex Concílio Ravennénſi.

An. 1311. *rubr.* 20.

CUm ſecúndùm Apóſtolum nemo ſibi débeat honórem aſſúmere, niſi tamquam Aáron fúerit vocátus à Deo: hoc minùs atténdunt ſuæ ſalútis oblíti, qui ſe intrúdunt ad dignitátes Eccleſiáſticas, vel beneficia, & éligi & intrúdi procúrant per poténtiam Laicálem.

Ad Magn. Ant. O.

FERIA SEXTA

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 66. *v.* 7. *ad* 10.

ANtequam parturíret, péperit: ántequam veníret partus ejus, péperit máſculum. Quis audívit umquam tale? & quis vidit huic símile? Numquid partúriet terra in die una? aut pariétur gens ſimul, quia parturívit & péperit Sion fílios ſuos? Numquid ego, qui álios párere fácio, ipſe non páriam, dicit Dóminus? Si ego, qui generatiónem cæteris tríbuo, ſtérilis ero, ait Dóminus Deus tuus?

℟. Quærite. *Ex* 2. *Noct. Domin. pag.* 219.

Lectio ij. v. 10. *ad* 13.

LÆtámini cum Jeruſalem, & exultáte in ea, omnes qui dilígitis eam: gaudéte cum ea gáudio, univérſi qui lugétis ſuper eam, ut ſugátis, & repleámini ab úbere conſolatiónis ejus; ut

mulgeátis, & delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus. Quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo ſuper eam quaſi flúvium pacis, & quaſi torréntem inundántem glóriam Géntium, quam ſugétis: ad úbera portabímini, & ſuper génua blandiéntur vobis.

℟. Præparáte. *pag.* 220.

Lectio iij. v. 13. *ad* 18.

QUómodo ſi cui mater blandiátur, ita ego conſolábor vos, & in Jerúſalem conſolabímini. Vidébitis, & gaudébit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinábunt: & cognoſcétur manus Dómini ſervis ejus, & indignábitur inimícis ſuis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, & quaſi turbo quadrígæ ejus: réddere in indignatióne furórem ſuum, & increpatiónem ſuam in flamma ignis: quia in igne Dóminus dijudicábit, & in gládio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabúntur interfécti à Dómino. Qui ſanctificabántur, & mundos ſe putábant in hortis poſt jánuam intrínſecus, qui comedébant carnem ſuíllam, & abominatiónem, & murem: ſimul conſuméntur, dicit Dóminus.

℟. Deus, qui. *pag.* 220.

Ad Bened. *Ant. notata pro die* 23. *pag.* 208.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 13.

PEnſándum valdè eſt ad culmen quiſque regíminis quáliter véniat: atque ad hoc ritè pervéniens, quáliter vivat: & bene vivens, quáliter dóceat: & rectè docens, infirmitátem ſuam quotídie quantâ conſideratióne cognóſcat: ne aut humílitas accéſſum fúgiat, aut perventióni vita contradícat, aut vitam doctrína déſtruat, aut doctrínam præſúmptio extóllat.

Ad Magn. *Ant.* O.

IN VIGILIA

NATIVIT. DOMINI.

Si occurrat in Dominica, Officium fiet hoc modo.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium de Vigilia, Cras erit, &c. *ut infrà.*

In 1. *&* 2. *Nocturno, Antiphonæ, Pſalmi,* ℣. *Lectiones & Reſponſoria ex Dominica quarta Adventûs.*

In 3. *Nocturno Pſalmi de* 3. *Noct. Domin. iv. Antiphonæ,* ℣. *Lectiones & Reſponſoria de Vigilia: non legitur Homilia Dominicæ, ſed tres fiunt Lectiones de Homilia Vigiliæ, diviſionibus factis ad aſteriſcos * & nihil fit ampliùs de Dominica.* Te Deum *non dicitur.*

Si autem Vigilia iſta occurrat in Feriis, Officium fiet ut ſeq.

AD OFFIC. NOCT.

Invit. Cras erit vobis ſalus; * Veníte, adorémus. 1. *Reg.* 11. 9

Pſalmi de Feria ſub tribus Antiphonis ſequentibus.

Ant. t. 1. *D.* Aperi, Dómine, óculos tuos, & vide; Deus noſter, ſalva nos. *Iſ.* 37. 17. 20.

Ant. t. 4. *a.* Dóminus lux mea eſt, & edúcet me in lucem: vidébo juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 8. 9.

Ant. t. 7. *c.* Adhuc unum módicum, & véniet Deſiderátus cunctis géntibus. *Agg.* 2. 7. 8.

℣. Exultábit cor meum in ſalutári tuo.

℟. Cantabo Dómino qui bona tribuit mihi. *Pſ.* 12. 6.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j, Cap. 66. *v.* 18. *ad* 21.

VEnio ut cóngregem cum ómnibus géntibus & linguis; & vénient, & vidébunt glóriam meam. Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fúerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam; in Itáliam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam Géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros de cunctis Géntibus donum Dómino, in equis, & in quadrígis, & in lécticis, & in mulis, & in carrúcis, ad montem ſanctum meum Jeruſalem, dicit Dominus, quómodo ſi inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini.

℟. Propè eſt Juſtus meus, egréſſus eſt Salvátor meus. * Salus mea in ſempitérnum erit, & juſtítia mea non defíciet. ℣. Propior eſt noſtra ſalus, quam cùm credídimus. * Salus mea, &c. *Iſ.* 51. 5. 6. *Rom.* 13. 11.

Lectio ij, v. 21. *ad finem.*

ET aſſúmam ex eis in ſacerdotes & levitas, dicit Dóminus. Quia ſicut cœli novi, & terra nova, quæ ego fácio ſtare coram me, dicit Dominus; ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & ſábbatum ex ſabbato; véniet omnis caro ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus. Et egrediéntur, & vidébunt cadávera virórum, qui prævaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eórum non extinguétur: & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni.

℟. Ego ſperávi in ætérnum ſalutem; * Venit mihi gaudium a ſancto ſuper miſericordia quæ veniet ab æterno Salutári noſtro. ℣. Non tardat Dóminus promiſſiónem ſuam. * Venit mihi. *Bar.* 4. 22. 2. *Petr.* 3. 9.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 18.

CUm eſſet deſpōſáta Mater Jeſu Maria Joſeph, ántequam convenírent, in-

vénta eſt in útero habens de Spíritu ſancto. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Comment. in Cap.* 1. *Matthæi.*

QUare non de símplici Vírgine, ſed de deſponsáta concipitur? Primùm ut per generatiónem Joſeph, origo Maríæ monſtraretur. Secúndò ne lapidarétur à Judæis ut adúltera. Tértiò ut in Ægyptum fúgiens habéret ſolatium maríti. Martyr Ignatius étiam quartam áddidit cauſam, cur à deſponsáta concéptus ſit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo dum eum putat non de Vírgine, ſed de uxóre generatum. * Quod autem dicitur, Antequam convenírent, non séquitur ut póſtea convénerint: ſed Scriptúra quòd factum non ſit oſténdit. Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, & nollet eam tradúcere, vóluit occúltè dimíttere eam. Si quis fornicáriæ conjúngitur, unum corpus efficitur. Et in lege præcéptum eſt, non ſolùm reos; ſed & cónſcios críminum obnóxios eſſe peccáti: Quómodo Joſeph cum crimen celet uxóris, juſtus ſcríbitur? Sed hoc teſtimónium Maríæ eſt, quòd Joſeph ſciens illíus caſtitátem, & admírans quod evénerat, celat ſiléntio, cujus myſtérium neſciébat. * Joſeph, Fili David, noli timere accípere Maríam conjugem tuam. Notandum, quòd Joſeph fílius eſſe dicátur David, ut María quoque de ſtirpe David monſtrarétur. Et vocabis nomen ejus Jeſum, Jeſus hebraïco ſermone Salvátor dicitur. Etymológiam ergo nóminis ejus Evangeliſta ſignavit, dicens: Vocabis nomen ejus Jeſum; quia ipſe ſalvum fáciet pópulum ſuum.

℟. Tu, Bethleem Ephráta, parvulus es in míllibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael; & egréſſus ejus à diébus æternitatis. * Parturiens pariet: & reliquiæ fratrum ejus convertténtur. ℣. Páriet María Fílium, & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum fáciet pópulum ſuum. * Partúriens, &c. Gloria. * Partúriens, &c. *Mich.* 5. 2. 3. *Matth.* 1. 21.

Deinceps Officium ſit Duplex.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam; ℟. Quia in te ſperavi. *Pſ.* 142. 8.

Ant. 1. 5. *F.* COnfidénter ſtate, & vidébitis auxílium Dómini ſuper vos, ô Juda & Jerúſalem! 2. *Paralipom.* 20. 17.

Ant. 2. 5. *a.* Cras fáciet Dóminus inter vos mirabília: in hoc ſciétis, quòd Dóminus Deus vivens in médio veſtrì eſt. *Joſ.* 3. 5. 10.

Ant. 3. 6. *f.* Véſperè ſcié-

tis quòd Dóminus edúxerit vos ; & manè vidébitis glóriam Dómini. *Exod.* 16. 6. 7.

Ant. t. 6. *F.* Audi.

CANTICUM. *Iſ.* 52. 7.

QUàm pulchri ſuper mõtes pedes annuntiántis & prædicántis pacem ; * annuntiántis bonum, prædicántis ſalútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus !

Vox ſpeculatórum tuórum : * levavérunt vocem, ſimul laudábunt :

Quia oculo ad óculum vidébunt ; * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte ſimul, desérta Jerúſalem : * quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum, redémit Jerúſalem.

Parávit Dóminus bráchium ſanctum ſuum in óculis omnium géntium : * & vidébunt omnes fines terræ Salutáre Dei noſtri.

Glória Patri, &c.

Ant. Audi : Ecce ego addúcam ſervum meum Oriéntem. *Zach.* 3. 8.

Ant. t. 8. *C.* Dómine, ſntroduc Judam ad pópulum ſuum : manus ejus pugnábunt pro eo, & adjútor illíus contra adversários ejus erit. *Deuter.* 33. 7.

Capitulum. Iſ. 10. 24. 25. 27.

POpulus meus, adhuc paúlulum, modicùmque, & auferétur onus de húmero tuo, & jugum de collo tuo.

℣. Deus illúminet vultum ſuum ſuper nos, ℟. Et miſereátur noſtri. *Pſ.* 66. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *A.* Ecce Virgo in útero habébit, & páriet filium : & vocábunt nomen ejus, Emmánuel, quod eſt interpretátum, Nobíſcum Deus. *Mat.* 1. 23.

Oratio.

DEus, qui nos redemptiónis noſtræ ánnuâ ſolemnitáte lætíficas : præſta, ut Unigénitum tuum quem Redemptórem læti ſuſcípimus, veniéntem quoque júdicem ſecúri videámus Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum, &c.

AD PRIMAM.

Antiph. Confidénter. *Ex Laudibus.*

Capitulum. Iſ. 35. 4.

DIcite puſillánimis: Confortámini, & nolíte timére : ecce Deus veſter ipſe véniet, & ſalvábit vos.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui propè es, Salvátor meus. *Iſ.* 51. 5.

CANON

Ex Concílio Bituricénſi.

An. 1584. *tit.* 8. *Can.* 1.

SErvétur Vigília Nativitátis Dómini ad imitándum pietátem Paſtórum, qui Chriſto Dómino eâ nocte adoratiónis munus impendérunt.

AD TERTIAM.

Ant. Cras fáciet.

Capitulum. Iſ. 56. 1.

HÆc dicit Dóminus : Fácite juſtítiam : quia juxtà eſt ſalus mea ut vé-

niat, & juſtítia mea ut revelétur.

℟. *br.* Excita poténtiam tuam * Et veni, Dómine, Excita. ℣. Ut ſalvos fácias nos. * Et veni. Glória. Excita. *Pſ.* 79. 3.

℣. Deus maniféſtè véniet.

℟. Deus noſter, & non ſilébit. *Pſ.* 49. 3.

AD SEXTAM.

Ant. Veſperè.

Capitulum. Iſ. 43. 18. 19.

NE memineritis priórum, & antíqua ne intueámini. Ecce ego fácio nova, & nunc oriéntur; útique cognoſcétis ea, dicit Dóminus.

℟. *br.* Exúrge, Dómine Deus, * Exaltétur manus tua. Exúrge. ℣. Ne oblivíſcaris páuperum. * Exaltétur Glória. Exúrge. *Pſ.* 9. 12.

℣. Exultábunt ómnia ligna ſylvárum.

℟. A fácie Dómini, quia venit. *Pſ.* 95. 12. 13.

AD NONAM.

Ant. Dómine.

Capitulum. Apoc. 22. 20.

DIcit qui teſtimónium perhibet iſtorū: Etiam vénio citò: Amen. Veni, Dómine Jeſu.

℟. *br.* Deus, tu convérſus * Vivificábis nos. Deus, tu. ℣. Et plebs tua lætabitur in te.* Vivificábis. Glória. Deus, tu. *Pſ.* 84. 7.

℣. Dicant ſemper: Magnificétur Dóminus,

℟. Qui díligunt Salutáre tuum. *Pſ.* 69. 5.




Deo et in
Terra Pax
Papillon inv. et Sculp.

IN NATIVITATE DOMINI.

Duplex I. Claſſis.

ANNUALE.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Accinge te, Iſrael: in januis eſt Salvator tuus.

Ant. t. 5. f. PRæparáre in occúrſum Dei tui, Iſrael; quia ecce annúntians hómini elóquium ſuum. *Amos. 4. 12. 13.*

Ant. t. 6. F. Statim véniet Angelus teſtamenti quem vos vultis: ecce venit. *Malach. 3. 1.*

Ant. t. 7. C. Vidébunt & in celeritáte ſalutem veſtram à Deo, quæ ſupervéniet vobis cum honóre magno, & ſplendóre ætérno *Bar. 4. 24.*

Ant. t. 2. d. State, & vidéte magnalia Domini, quæ factúrus eſt hodie. *Exod. 14. 13.*

Ant. t. 3 A. Reple Sion, Dómine, inenarrabílibus verbis tuis, & glóriâ tuâ pópulum tuum. *Eccli. 36. 16.*

Capitulum. Zach. 2. 10.

LAuda, & lætáre, filia Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî: ait Dominus.

℟. Confidénter ſtate, & vidébitis auxílium Dómini ſuper vos, ô Juda & Jerúſalem: * Nolíte timére; † Cras egrediémini, & Dóminus erit vobíſcum. ℣. Virgo páriet Fílium, & vocábunt nomen ejus Emmánuel, quod eſt interpretátum, Nobíſcum Deus. * Nolíte. Glória. † Cras. *2. Par. 20. 17. Mat. 1. 23.*

HYMNUS.

PEr muta noctis pérſonat
ótia
Orbi ſopíto cœlícolum
chorus:
Ignóta terris appulére
Gáudia divitiæque cœli.
Ceſſent geméntum tædia;
nóxiis
Captíva dudum ſólvere
vínculis,
Sion: ſalútis ſe dat Omen
Exóriens tibi pacis auctor.
Stupénda mundo quot ſimul
éxhibet
Nox illa ſummo ſplendídior die!
Pari ne terris adveníre
Ordine te décuit, Redémptor?
Adéſte cunis: régia Núminis,
Præsépe: fœnum, léctulus;
& tener
Infans diéi Numen alget:
Virgo parit, ſine labe mater.

O ! quantus orbi próditur
hinc amor !
Spes quanta ſeſe córdibus
inſerit !
Spirant iiſdem, Chriſte,
tecum
Spes & amor ſociáta cunis.
Pannis amíctus vílibus, hóſpitâ
Si vagit infans in pécudum ſpecu,
Mundi ſalútem vagiéndo
Ecce puer Deus auſpicátur.
Qui nos creáſti, ſit tibi laus,
Pater:
Fili Redémptor, par tibi
glória :
Tu, Flamen, almi fons
amóris,
Perpétuo celebráre cultu.
Amen.

℣. Propè timéntes eum Salutáre ipsíus ; ℟. Ut inhábitet glória in terra noſtra. *Pſ.* 84. 10.

Ad Magnif. *Ant.* 1. *D.* Béthleem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda : ex te mihi egrediétur, qui ſit Dominátor in Iſrael, & egréſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. *Mich.* 5. 2.

Oratio.

DEus, qui hanc ſacratíſſimam noctem veri lúminis fecíſti illuſtratióne claréſcere : da, quæſumus; ut cujus lucis myſtéria in terra cognóvimus, ejus quoque gáudiis in cœlo perfruámur ; Qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Pſalterio, præter ea quæ ſequuntur.

HYMNUS.

PRoles ab alvo Vírginis
Mundi Creátor prodiit:
Mirétur omne ſæculum :
Talis decet partus Deum.
Caſtæ paréntis víſcera
Virtus obúmbrat Núminis :
Et néſciens mater virum
Nullo dolóre párturit.
Edit parens Virgo Deum,
Quem Gábriel prædíxerat :
Quem matris alvo géſtiens
Felix Joánnes ſénſerat.
Fœno jacére ſúſtinet :
Præsépe non horret Deus ;
Parvóque lacte páſcitur
Per quem nec ales éſurit.
A Patre miſſus, pérditi
Qui factus es mundi ſalus,
Jeſu, períre ne ſinas
Tot quos emis labóribus.
Et nos perénnis, ô ! quibus
Salútis auctor náſceris :
Fac éxequi quæ tu doces :
Fac æmulári quæ facis.
Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

Capitulum. Exod. 12. 42.

NOx iſta eſt obſervábilis Dómini : hanc obſerváre debent omnes fílii Iſrael in generatiónibus ſuis.

℣. Cuſtódi nos, &c.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* 1.

5. *A.* Cánticum erit vobis, ſicut nox ſanctificátæ ſolemnitátis. *Iſ.* 30. 29.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Chriſtus natus eſt nobis, * Veníte, adorémus. *Luc.* 2. 11.

IN I. NOCTURNO.

Canite tubâ in Sion : tempus redemptionis ejus advenit.

Ant. t. 1. *D.* Dóminus.

PSALMUS 2.

Chriſti divina generatio : ipſi ſerviendum.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

Aſtitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * advérsùs Dóminum, & advérsùs Chriſtum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus ſubſannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira ſua, * & in furóre ſuo conturbábit eos.

Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite diſciplínã, * nequándo iraſcátur Dóminus, & pereátis de via juſta.

Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Dóminus dixit ad me : Fílius meus es tu : ego hódie génui te. *v.* 7.

Ant. t. 5. *f.* Ipſe tamquam.

PSALMUS 18.

Chriſtus ſol juſtitiæ oritur : Legis Evangelicæ commendatio.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi : * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multùm ; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea ; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit ? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei ; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

Ant. Ipſe, tamquam ſponſus procédens de thalamo ſuo. *v.* 6.

Ant. t. 6. *F.* Specióſus.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale : Chriſti & Eccleſiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Specióſus formâ præ filiis hóminum ; diffúſa eſt grátia in lábiis tuis : * proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam ; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tuâ, Deus, in ſæculum ſæculi : * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à domibus ebúrneis ; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtitu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam, * & oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui :

Et concupíſcet rex decórem tuum ; * quóniam ipſe eſt Dominus Deus tuus ; & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus ; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intùs, * in fimbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne, * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii: * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Speciólus formâ præ fíliis hóminum; diffuſa eſt grátia in lábiis tuis. *v.* 3.

℣. Deus rex noſter ante ſæcula; ℟. Operátus eſt ſalútem in médio terræ. *Pſ.* 73. 12.

Tres ſequentes Lectiones ſine titulo leguntur.

Lectio j. Iſ. 9. v. 1. ad 8.

PRimo témpore alleviáta eſt terra Zabúlon, & terra Néphtali: & novíſſimò aggraváta eſt via maris trans Jordánem Galilææ géntium. Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Multiplicáſti gentem, non magnificáſti lætítiam. Lætabúntur coram te, ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ, quando dívidunt ſpólia. Jugum enim óneris ejus, & virgam húmeri ejus, & ſceptrum exactóris ejus ſuperáſti, ſicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, & veſtiméntum miſtum ſánguine, erit in combuſtiónem, & cibus ignis. Párvulus enim natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis, & factus eſt principátus ſuper húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, Deus, fortis, Pater futúri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, & pacis non erit finis: ſuper sólium David, & ſuper regnum ejus ſedébit: ut confírmet illud, & corróboret in judício & juſtítia, ámodò & uſque in ſempitérnū. Tu autem, Dñe, &c.

℟. In voce exultatiónis annuntiáte: audítum fácite hoc, & * Efférte illud uſque ad extréma terræ: dícite: Redémit Dóminus ſervum ſuum Jacob. ℣. Miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut ſalvétur mundus per ipſum. * Efférte. *Iſ.* 48. 20. *Joan.* 3. 17.

Lectio ij. Cap. 40. v. 1. ad 9.

COnſolámini, conſolámini, pópule meus, dicit Deus veſter. Loquímini ad cor Jeruſalem, & advocáte eam: quóniam compléta eſt malítia ejus, dimíſſa eſt iníquitas illíus: ſuſcépit de manu Dómini duplícia pro óm-

nibus peccátis ſuis. Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini, rectas fácite in ſolitúdine sémitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltábitur, & omnis mons & collis humiliábitur ; & erunt prava in dirécta, & áſpera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum eſt. Vox dicéntis : Clama. Et dixi : Quid clamábo ? Omnis caro fœnum, & omnis glória ejus quaſi flos agri. Exſiccátum eſt fœnum, & cécidit flos, quia Spíritus Dómini ſufflávit in eo. Verè fœnum eſt pópulus : exſiccatum eſt fœnum, & cécidit flos : verbum autem Dómini noſtri manet in ætérnum.

℟. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius advérsùs eum : hic adinvénit omnem viam diſciplínæ ; & trádidit illã Jacob púero ſuo, & Iſrael dilécto ſuo : * Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt. ℣. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri viſitávit nos Oriens ex alto. * Poſt hæc.

Bar. 3. 36. 37. 38. Luc. 1. 78.

Lectio iij. Cap. 52. v. 1. ad 7.

CONsúrge, consúrge, indúere fortitúdine tuâ, Sion, indúere veſtiméntis glóriæ tuæ, Jerúſalem cívitas Sancti : quia non adjíciet ultrà ut pertránſeat per te incircumcíſus & immúndus. Excútere de púlvere, consúrge ; ſede, Jerúſalem : ſolve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus : Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dñus Deus : In Ægyptum deſcéndit pópulus meus in princípio, ut colónus eſſet ibi : & Aſſur abſque ulla cauſa calumniátus eſt eum. Et numquid mihi eſt hic, dicit Dominus, quóniam ablátus eſt pópulus meus gratìs ? Dominatóres ejus iníquè agunt, dicit Dóminus, & júgiter totâ die nomen meum blaſphemátur. Propter hoc ſciet pópulus meus nomen meum in die illa : quia ego ipſe qui loquébar, ecce adſum.

℟. Cùm quiétum ſiléntium continéret omnia, & nox in ſuo curſu médium iter habéret ; * Omnípotens ſermo tuus, Dómine, de cœlo à regálibus sédibus proſilívit. ℣. Impléti ſunt dies Maríæ, ut páreret : & péperit Fílium ſuum. * Omnípotens. Glória Patri. * Omnípotens.

Sap. 18. 14. 15. Luc. 2. 6. 7.

IN II. NOCTURNO.

Qui naſcitur homo, Deus eſt; in ipſo ſperate.

Ant. t. 4. E. Hic eſt Deus.

PSALMUS 47.

Ob Dei præſentiam & tutelam ſit in Sion lætitia.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur,

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion ; * látera Aquilónis ; cívitas Regis magni

Deus in dómibus ejus cognoſcétur ; * cum ſuſcípiet eam ;

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt ; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ; ſic admiráti ſunt ; * conturbáti ſunt , commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos : * ibi dolóres ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus , ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum , in civitáte Dei noſtri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus , Deus , miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum , Deus , ſic & laus tua in fines terræ : * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion , & exúltent fíliæ Judæ , * propter judícia tua ; Dómine.

Circúmdate Sion , & compleƈtímini eam ; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus , & diſtribúite domos ejus ; * ut enarrétis in progénie áltera ;

Quóniam hic eſt Deus , Deus noſter in ætérnum , & in ſæculum ſæculi : * ipſe reget nos in ſæcula.

Ant. Hic eſt Deus , Deus noſter in ætérnum : ipſe reget nos in ſæcula. *v.* 15.

Ant. t. 3. *A.* Oriétur.

PSALMUS 71.

Chriſti regnum juſtum , pacificum & glorioſum.

DEus , judícium tuum regi da ; * & juſtítiam tuam fílio regis ,

Judicáre pópulum tuum in juſtítia , * & páuperes tuos in judício.

Suſcípiant montes pacem pópulo , * & colles juſtítiam.

Judicábit páuperes pópuli , & ſalvos fáciet fílios páuperum , * & humiliábit calumniatórem ;

Et permanébit cum ſole , & ante lunam , * in generatióne & generatiónem.

Deſcéndet ſicut plúvia in vellus , * & ſicut ſtillicídia ſtillántia ſuper terram.

Oriétur in diébus ejus juſtítia , & abundántia pacis , * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari uſque ad mare , * & à flúmine uſque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes ; * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharſis & ínſulæ múnera ófferent ; * reges Arabũ & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ ; * omnes gentes sérvient ei ;

Quia liberábit páuperem à potente ; * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi , & ínopi ; *

& ánimas páuperum ſalvas fáciet.

Ex uſúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum ; * & honorábile nomen eorum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arabiæ, & adorábunt de ipſo ſemper ; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in ſummis móntium, ſuperextollétur ſuper Líbanum fructus ejus ; * & florébunt de civitáte ſicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in ſæcula ; * ante ſolem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ ; * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael, * qui facit mirabília ſolus.

Et benedíctum nomen majeſtátis ejus in ætérnum ; * & replébitur majeſtáte ejus omnis terra : Fiat, fiat.

Ant. Oriétur in diébus ejus juſtítia & abundántia pacis. *v.* 7.

Ant. t. 6. *f.* Véritas.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis : Verbi Incarnatio.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſiſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigaſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis ? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem.

Deus, tu convérſus vivificábis nos ; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam ; * & ſalutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus ; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam ;

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi ; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem ; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Véritas de terra orta eſt, & juſtítia de cœlo proſpéxit. *v.* 12.

℣. Miſericórdia & véritas obviaverunt ſibi ; ℟. Juſtítia & pax oſculátæ ſunt. *Pſalm.* 84. 11.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv.

Serm. 1. de Nativitate Domini. Cap. 1.

SAlvátor noſter, dilectíſſimi, hódie natus eſt: gaudeámus. Neque enim locum fas eſt ibi eſſe triſtítiæ, ubi natalis eſt vitæ: quæ, conſūpto mortalitátis timore, nobis íngerit de promíſſa æternitáte lætítiam. Nemo ab hujus alacritátis participatióne ſecérnitur, una cunctis lætítiæ commúnis eſt rátio: quia Dóminus noſter, peccáti mortíſque deſtrúctor, ſicut nullum à reátu líberum réperit, ita, pro liberándis ómnibus venit. Exúltet ſanctus, quia propínquat ad palmam: gáudeat peccátor, quia invitatur ad véniam: animétur gentilis, quia vocátur ad vitam. Dei namque Filius ſecúndùm plenitúdinem témporis, quam divíni consílii inſcrutábilis altitúdo diſpóſuit, reconciliándam auctori ſuo natúram géneris aſsúmpſit humani; ut invéntor mortis diábolus, per ipſam quam vícerat, vincerétur.

℟. Egréſſus es, Dómine, in ſalútem pópuli tui, in ſalútem cum Chriſto tuo: * Ego autem in Dómino gaudébo; & exultabo in Deo Jeſu meo.

℟. Natus eſt hódie Salvátor, qui eſt Chriſtus Dóminus. * Ego autem. *Habac.* 3. 13. 18. *Luc.* 2. 11.

Lectio v.

IN quo conflíctu pro nobis inito, magno & mirabili æquitátis jure certátum eſt, dum omnipotens Dóminus cum ſæviſſimo hoſte, non in ſua majeſtáte, ſed in noſtra congreditur humilitáte: objíciens ei eámdem formam, eamdémque natúram, mortalitátis quidem noſtræ partícipem, ſed peccáti totíus expértem. Aliénum quippe ab hac Nativitáte eſt, quod de ómnibus légitur: Nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt uníus diéi vita ſuper terram. Nihil ergo in iſtam ſingulárem Nativitátem de carnis concupiſcéntia tranſívit, nihil de peccáti lege manávit. Virgo régia Davídicæ ſtirpis elígitur, quæ, ſacro gravidanda fœtu, divínam humanámque prolem priùs conciperet mente quàm córpore. Et ne, ſupérni ignára consílii, ad inuſitátos pavéret effectus, quod in ea operándum erat à Spíritu ſancto, collóquio diſcit Angélico: nec damnum credit pudóris, Dei Génitrix mox futúra.

℟. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo; quia * Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus eſt mihi in ſalútem. ℣. Audívimus, & ſcímus, quia hic eſt verè Salvátor mundi. * Fortitúdo mea. *Iſ.* 12. 2. *Joan.* 4. 42.

Lectio vj. *Cap.* 3.

AGámus ergo, dilectíſſimi, grátias Deo Patri, per Fílium ejus in Spíritu ſancto: qui propter multam charitátem ſuam, quâ diléxit nos, misértus eſt noſtrî: & cùm eſsémus mórtui peccátis, convivificávit nos Chriſto; ut eſsémus in ipſo nova creatúra, novúmque figméntum. Deponámus ergo véterem hóminem cum áctibus ſuis: & adépti participatiónem generatiónis Chriſti, carnis renuntiémus opéribus. Agnóſce, ô Chriſtiáne, dignitátem tuam; & divínæ conſors factus natúræ, noli in véterem vilitátem degéneri converſatióne redíre. Meménto, cujus cápitis & cujus córporis ſis membrum. Reminíſcere, quia érutus de poteſtáte tenebrárum, translátus es in Dei lumen & regnum.

℞. Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: annuntiáte hoc in univérſa terra: * Exúlta, & lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael. ℣. Hosánna Fílio David: benedíctus qui venit in nómine Dómini. * Exúlta. Glória Patri. * Exúlta. *Iſ.* 12. 5. 6. *Matth.* 21. 9.

IN III. NOCTURNO.

In adventu Salvatoris, cœli & terra perſonent gaudiis.

Ant. 1. 2. 4. Lætentur.

PSALMUS 95.

Eccleſiæ pro Chriſti Adventu Canticum.

CAntáte Dómino cánticū novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis eſt ſuper omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium, dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; * ſanctimónia & magnificéntia in ſanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóſtias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérſa terra: * dícite in géntibus, quia Dñus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis ſunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna ſylvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte ſua.

Ant. Læténtur cœli, & exúltet terra à fácie Dómini; quóniam venit. *v.* 11. 13.

Ant. t. 7. D. Lux orta eſt.

PSALMUS 96.

Chriſti regnum: ille ſolus adorandus.

DOminus regnávit, exúltet terra; * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ; * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórũ ſuórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino, * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

Ant. Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætítia. *v.* 11.

Ant. t. 5. F. Notum.

PSALMUS 97.

Chriſtus celebrandus, qui omnibus ſeſe exhibiturus eſt, & orbem judicaturus.

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ, * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu Regis Dómini; * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum, allelúia. ℣. 2.

℣. Dóminus virtútum nobíſcum; ℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. *Pſ.* 45. 12.

Pater noſter.

Benedíctio. Detur tibi ſermo in apertióne oris tui cum fidúcia, notum fácere myſtérium Evangélii. *Epheſ.* 6. 19.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. 1.

IN illo témpore; Exiit edíctum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberétur univérſus orbis. Et réliqua.

Homilia ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 8. *in Evang.*

QUia, largiénte Dómino, Miſſarum ſolémnia ter hódie celebratúri ſumus, loqui diu de Evangélica lectióne non póſſumus; ſed nos áliquid vel bréviter dícere, Redemptóris noſtri Natívitas ipſa compéllit. Quid eſt, quod naſcitúro Dómino mundus deſcríbitur, niſi hoc quod apértè monſtrátur, quia ille veniébat in carne, qui eléctos ſuos adſcríberet in æternitáte? Quò contra de réprobis per Prophétam dícitur: Deleántur de libro vivéntium, & cum juſtis non ſcribantur. Qui bene étiam in Béthleem náſcitur: Béthleem quippe domus panis intérpretátur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcéndi. Locus ergo, in quo Dóminus náſcitur, domus panis ántea vocátus eſt: quia futúrum profécto erat, ut ille ibi per matériam carnis apparéret, qui electórum mentes intérnâ ſatietáte refíceret. Qui non in paréntum domo, ſed in via náſcitur: ut profécto oſténderet, quia per humanitátem ſuam quam aſſúmpſerat, quaſi in alieno naſcebátur.

℟. Expectátio Iſrael, Salvátor ejus: * Quare quaſi colonus futúrus es in terra, & quaſi viátor declínans ad manéndum? Quare futúrus es velut vir vagus? ℣. María péperit Fílium ſuum primogénitum, & reclinavit eum in præſépio: quia non erat eis locus in diversório. * Quare quaſi. *Jerem.* 14. 8. 9. *Luc.* 2. 7.

Benedíctio. Fúlgeat nobis illúminátio Evangélii glóriæ Chriſti, qui eſt imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio viij. Cap. 2. 15.

IN illo témpore; Paſtóres loquebántur ad ínvicem: Tranſeámus uſque Béthleem, & videámus hoc verbum,

quod factum eſt, quod Dóminus oſténdit nobis. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Libro 2. *in Cap.* 2. *Lucæ.* *num.* 53.

VIdes feſtinare paſtóres; nemo enim cum deſídia Chriſtum requírit. Vides paſtóres Angelo credidíſſe; & tu Patri, Fílio, Spirítui ſancto, Angelis, Prophétis & Apóſtolis crede. Vide quàm ſignátè Scriptúra ſingulorum libret mom énta verbórum: Feſtínant, inquit, Verbum vidére. Etenim cùm caro Dómini vidétur, Verbum vidétur, quod eſt Fílius. Non medíocre fídei tibi hoc videátur exémplum, non vilis persóna paſtórum. Certè quò vílior ad prudéntiam, eò pretióſior ad fidem. Non gymnáſia choris reférta ſapiéntum, ſed plebem símplicem Dóminus requisívit, quæ phaleráre audíta, & fucáre neſcíret. Simplícitas enim quæritur, non ambítio deſiderátur.

℞. Párvulus natus eſt nobis, & Fílius datus eſt nobis: & factus eſt principátus ſuper húmerū ejus: & * Vocábitur nomen ejus Admirábilis, Conſiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri ſæculi, Princeps pacis. ℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus; & regnabit in domo Jacob in ætérnum. * Vocábitur, &c. *Iſ.* 9. 6. *Luc.* 1. 32.

Benedictio. Annúntia vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. 1. *Joan.* 1. 2.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio IX. *Cap.* 1. 1.

IN princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Epiſt. ad Hon. 140. *aliàs* 120. *Cap.* 3. & 4.

QUem Fílium Deus míſerit, fieríque ex mulíere volúerit, quantus ille Deus ſit, qui hanc humilitátem pro ſalúte fidélium ſuſcípere dignátus fúerit, ut agnóſcas, nunc atténde Evangélium: In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hic ergo Deus, Verbum Dei, per quod facta ſunt ómnia, Fílius Dei eſt incommutabíliter manens, ubíque præſens... qui cùm eſſet Fílius Dei, venit ut fieret Fílius hóminis, donarétque nobis, qui erámus Fílii hóminum, fílios Dei fíeri.... Deſcéndit ergo ille, ut nos aſcenderémus;... ut participátâ natúrâ filiórum hóminum, ad participándam étiam ſuā natúram adoptáret fílios hóminum. Quaprópter cùm díxiſſet: Dedit eis poteſtatem

filios Dei fieri, modúmque adjunxíſſet, ne carnális intelligerétur Nativitas, quòd ſcílicet eis id præſtíterit, qui credunt in nómine ejus, & per grátiam renaſcúntur ſpiritálem, mox commendávit quaſi hujus viciſſitúdinis ſacraméntum. Tamquam enim miráti tantum bonum non auderémus optáre, ſtatim ſubjúnxit: Et Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis. Tamquam díceret: O hómines! nolíte deſperáre vos fieri poſſe filios Dei, quia & ipſe Filius Dei, hoc eſt, Verbum Dei caro factum eſt, & habitávit in nobis. Réddite vicem. Efficímini ſpíritus, & habitáte in illo qui caro factus eſt, & habitávit in vobis.

℟. Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis: * Et † Vídimus glóriam ejus, glóriam quaſi unigéniti à Patre. ℣. Gaudéte, & laudáte ſimul; quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum; parávit bráchium ſuum in óculis ómnium géntium. * Et vídimus. Glória. † Vídimus *Joan.* 1. 14. *Iſ.* 52. 9. 10.

Poſt ℟. *cantatur à Diacono*, Liber generatiónis, *quo dicto, inchoatur* Te Deum. *Deinde prima Miſſa celebratur poſt mediam noctem, quâ finitâ, Sacerdos ad altare dicit*:

℣. *Sacerdot.* Benedíctus qui venit in nómine Dómini,

℟. Deus Dóminus, & illúxit nobis. *Pſ.* 117. 26. 27.

Deinde, Deus, in adjutórium, &c.

AD LAUDES.

Audite fauſtum ab Angelis nuntium.

Pſalmi de Dominica.

Ant. 1. *5. F.* EVangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo. *Luc.* 2. 10.

Ant. t. 6. *f.* Natus eſt vobis hódie Salvátor, qui eſt Chriſtus Dóminus, in civitáte David. *Luc.* 2. 11.

Ant. t. 2. *d.* Et hoc vobis ſignum: Inveniétis Infántem pannis involútum, & póſitum in præſépio. *Luc.* 2. *v.* 12.

Ant. t. 1. *irr.* Facta eſt.

CANTICUM

Iſ. 12. *v.* 1. *ad fin.*

COnfitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi; * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus Salvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illa: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérſa terra.

Exúlta, & lauda, habitátio

Sion, * quia magnus in médio tui Sanctus Iſrael.

Ant. Facta eſt cum Angelo multitúdo milítiæ cœleſtis, laudántium Deum & dicéntium : Glória in altíſſimis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis. *Luc.* 2. *v.* 13. *&* 14.

Ant. t. 3. *A.* Tranſeámus uſque Béthleem, & videámus hoc Verbum quod factum eſt, quod Dóminus oſténdit nobis. *Luc.* 2. *v.* 15.

Capitulum. Tit. 3. 4. 5.

BEnígnitas & humánitas apparuit Salvatóris noſtri Dei ; non ex opéribus juſtítiæ quæ fécimus nos, ſed ſecúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit.

℣. Confitébor tibi quóniam exaudíſti me ; ℟. Et factus es mihi in ſalútem. *Pſ.* 117. 28.

Ad Bened. *Ant.* t 6. *f.* Revérſi ſunt paſtóres glorificántes, & laudántes Deum in ómnibus quæ audíerant, & víderant, ſicut dictum eſt ad illos. *Luc.* 2. 20.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos ſub peccáti jugo vetúſta ſérvitus tenet; Per eúmdem, &c.

Ad Horas br. Hymni & Pſalmi de Dominica, Antiphonæ de Laudibus.

In Hymnis Doxologia.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

Et ſic dicitur in omnibus Hymnis ejuſdem metri uſque ad Epiphaniam.

AD PRIMAM.

Capit. Regi ſæculórum, &c.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. *v.* 16. *& ſic dicitur uſque ad Epiphaniam.*

CANON

Ex Concílio Toletáno.

Anno 684. *Cap.* 10.

SI quis Jeſu Chriſto Dei Fílio, ex útero Maríæ Vírginis nato, áliquid divinitátis imminuit, aut de ſuſcépta humanitáte ſubdúcit, excéptâ ſolâ lege peccáti, & non eum verum Deum, hominémque perfectum in una perſóna ſubſiſténtem ſinceríſſimè credit; anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Hebr. 1. 1.

MUltifáriam, multíſque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis : noviſſimè, diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit hærédem universórum, per quem fecit & ſæcula.

℟. Confitébor tibi, Dómine Rex, & collaudábo te Deum Salvatórem meum. * Confitébor nómini tuo ; quóniam adjútor & protéctor factus es mihi; & libe-

ráſti me ſecúndùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui. ℣. Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Chriſtus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veníſti. * Confitébor. Glória. * Confitébor. *Eccli.* 51. 1. 2. 4. *Joan.* 11. 27.

℣. Redemíſti virgam hæreditátis tuæ; ℟. Mons Sion, in quo habitáſti in eo, allelúia. *Pſ.* 73. 2.

Per Octavam. ℟. *br.* Dóminus virtútum nobíſcum; * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Suſcéptor noſter Deus Jacob. * Allelúia. Glória. Dóminus virtútum. *Pſ.* 45. 8.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram; ℟. Aúferens bella uſque ad finem terræ, allelúia. *Pſalm.* 45. 9. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 8. 9.

SCitis grátiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti; quóniam propter vos egénus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illíus inópiâ vos dívites eſſétis.

℟. *br.* Suſcípiant montes pacem pópulo, & colles juſtítiam: * Allelúia, allelúia. Suſcípiant. ℣. Judicábit páuperes pópuli, & ſalvos fáciet fílios páuperum. * Allel. Glória. Suſcípiant. *Pſalm.* 71. 3. 4.

℣. Vídeant páuperes, ℟. Et læténtur, allelúia. *Pſ.* 68 33.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 15.

FIdélis ſermo, & omni acceptióne dignus: quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere.

℟. *br.* Vidérunt omnes términi terræ, * Allelúia, allelúia. Vidérunt. ℣. Salutáre Dei noſtri. * Allelúia. Glória. Vidérunt. *Pſ.* 97. 3.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, allelúia. *Pſalm.* 102. 2. 4.

AD VESPERAS.

Promiſſa ſua adimplevit Deus; facta eſt per ipſum copioſa redemptio.

Ant. 1. *D.* Tecum princípium.

PSALMUS 109.

Chriſti æterna generatio, ſacerdotiumque & regnum.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominare in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es Sacérdos in ætérnum ſecúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis : * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquaſsábit cápita in terra multórũ.

De torrénte in via bibet ; * proptérea exaltábit caput.

Ant. Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum : ex útero ante lucíferum génui te. *v.* 3.

Ant. t. 3. *A.* Redemptiónem.

PSALMUS 110.

Redemptionem miſit Deus : teſtamentum ejus æternum.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio juſtórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini, * exquiſíta in omnes voluntátes ejus.

Confeſſio & magnificéntia opus ejus : * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Memóriam fecit mirabílium ſuórum, miséricors & miſerátor Dóminus : * eſcam dedit timéntibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtaménti ſui : * virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo,

Ut det illis hæreditátem géntium. * Opera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in ſæculum ſæculi ;* facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo ; * mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum.

Sanctum & terríbile nomen ejus : * inítium ſapiéntiæ, timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in ſæculum ſæculi.

Ant Redemptiónem miſit Dóminus pópulo ſuo : mandávit in ætérnum teſtaméntum ſuum. *v.* 9.

Ant. t. 5. *F.* Exórtum eſt.

PSALMUS 111.

Lumen rectis exortum eſt : miſerator Dominus.

BEátus vir qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus : * & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Exórtum eſt in ténebris lumen rectis : * miséricors, & miſerátor, & juſtus.

Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat, diſpónet ſermónes ſuos in judício ; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit juſtus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino, confirmátum eſt cor ejus : * non commovébitur, donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſpérſit, dedit paupéri-

bus, juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabéſcet: * deſidérium peccatórum períbit.

Ant. Exórtum eſt in ténebris lumen rectis: miséricors, & miſerator, & juſtus Dominus. *v.* 4.

Ant. *t.* 2. *d.* Apud Dóminum.

P s a l m u s 129.

Spes in Domino collocanda, quia copioſa apud eum redemptio.

De profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt: * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia; * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, &c.

Ant. Apud Dóminum miſericórdia; & copióſa apud eum redémptio. *v.* 7.

Ant. *t.* 6. *F.* Jurávit.

P s a l m u s 131.

Juxta Dei promiſſa Chriſtus ex Davide oriturus memoratur.

Meménto, Dómine, David, * & omnis manſuetúdinis ejus;

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * ſi aſcéndero in lectum ſtrati mei;

Si dédero ſomnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino; * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta; * invénimus eam in campis ſylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco, ubi ſtetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca ſanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur juſtítiā; * & ſancti tui exúltēt.

Propter David ſervum tuum, * non avértas fáciem Chriſti tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum; * De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodíerint filii tui teſtaméntum meum; * & teſtimónia mea hæc, quæ docébo eos;

Et filii eórum uſque in ſæculum * ſedébunt ſuper ſedem tuam;

Quóniam elégit Dóminus Sion; * elégit eam in habitatiónem ſibi.

Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi; * hîc habitábo, quóniam elégi eam;

Víduam ejus benedícens benedícam; * páuperes ejus ſaturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam ſalutári; * & ſancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David; * parávi lucérnam Chriſto meo.

Inimícos ejus índuam confuſióne; * ſuper ipſum autem efflorébit ſanctificátio mea.

Ant. Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eum; De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *v.* II.

Capitulum. I. *Joan.* 4. 9.

IN hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Filium ſuum unigénitum miſit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

HYMNUS.

FEſtis, terra, polus, pláudite cántibus:
Hæc eſt illa dies ínclyta, mútuo
Quæ vos conſóciat fœdere: núbila
Luctûs cédite, témpora.
Ut pacem ſolido pígnore ſánciat,
Naſcens ecce Deus ſe ligat óbſidem;
In cunis brévibus cóminus áſpici
Fauſto ſe dedit ómine.
O! quid non pótuit tantus amor Dei!
Terris, ipſe tui Núminis ímmemor,
Dum te, factus homo, dévehis éxulem,
Cœlis ádvehis éxules.
Qui jus princípibus dívidis árbiter,
Nullo ſuſcíperis tu vagus hóſpite:
Orbis qui dígito póndera ſúſtines
Vili náſceris in ſpecu.
Nos, ex hac cáthedra, quanta doces, Deus!
Quid cunas lácrymis párvulus írrigas?
Te, Verbúmve ſilens, flétibus éxplicas;
Mundi crímina díluis.
Ut quid nata poli míttere fúlmina
Cingúntur téneris bráchia fáſciis!
Vinclis hiſce tuis, vis puer ómnium
Nexus ſólvere críminum.
Qui mittis Génitum, ſit tibi laus, Pater;
Fili factus homo, par tibi glória:
Quo fœcúnda parit Virgo puérpera,
Par ſit laus tibi, Spíritus. Amen.

℣. Vivit Dóminus & benedíctus Deus meus; ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ. *Pſ.* 17. 47.

Ad Magnif. Ant. t. 6. *F.* Hosánna Fílio David: benedíctus qui venit in nómine

Dómini, hoſánna in altíſſimis. *Matth.* 21. 9.

Oratio, Concéde, *ut ad Laudes.*

Pro commemoratione S. Stephani Ant. Congregátæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidétur; & aſpíciat in Sion óculus noſter. Ipſi autem non cognovérunt cogitatiónes Dómini. *Mich.* 4. 11. 12.

℣. In memória ætérna erit juſtus; ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Pſ.* 111. 7.

Orémus.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus; ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus Natalítia celebrámus, qui novit étiam pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus. Proles ab alvo, &c. *ut in Completorio poſt primas Veſperas.*

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chriſti Jeſu.

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* 1. 5. *A.* Egréſſus es, Dómine, in ſalútem pópuli tui, in ſalútem cum Chriſto tuo. *Habac.* 3. 13.

Sic dicitur Completorium uſque ad Epiphaniam.

DIE XXVI.

IN FESTO SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Duplex I. *Claſſis.*

ANNUALE.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jeſum, quem vidit Stéphanus ſtantem à dextris Dei, * Veníte, adorémus. *Act.* 7. 55.

IN I. NOCTURNO.

Quanto zelo pro Domino zelatus eſt Stephanus.

Ant. t. I. *d.* Zelo zelátus ſum pro Dómino: quia dereliquérunt pactum tuum filii Iſrael; & quærunt ánimam meam ut áuferant eam. 3. *Reg.* 19. 10.

In Pſ. 3. Dómine, quid multiplicáti ſunt. *pag.* 4.

Ant. t. 4. *E.* Sermo Dómini factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans. *Jer.* 20. 9.

In Pſ. 10. In Dómino confído, *pag.* 55.

Ant. t. 3. *a.* Danti mihi ſapiéntiam, dabo glóriam: zelátus ſum bonum, & non confúndar. *Eccli.* 51. 23. 24.

In Pſ. 16. Exáudi, Dómine, juſtítiam. *pag.* 136.

℣. Propter te ſuſtínui oppróbrium: ℟. Quóniam zelus domûs tuæ comédit me. *Pſ.* 68. 8. 10.

De Actibus Apoſtolórum.

Lectio I. *Cap.* 6. *v.* I. *ad.* 7.

IN diébus illis, creſcénte número diſcipulórum, factum eſt murmur Græcórum advérsùs Hebræos, eò quòd deſpiceréntur in miniſtério quotidiáno víduæ eórum. Convocántes autem duódecim multitúdinem diſcipulórum, dixérunt: Non eſt æquū nos derelínquere verbum Dei, & miniſtráre menſis. Conſideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spíritu ſancto, & ſapiéntiâ, quos conſtituámus ſuper hoc opus. Nos verò oratióni & miniſtério verbi inſtántes érimus. Et plácuit ſermo coram omni multitúdine. Et elegérunt

Stephanum, virum plenum fide & Spíritu ſancto, & Philíppum, & Próchorum, & Nicánorem; & Timónem, & Pármenam, & Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos ſtatuérunt ante conſpectum Apoſtolórum; & orántes impoſuérunt eis manus.

℟. Levítes præpóſitus erat iis quæ ſponte offerebántur Dómino, primitiiſque & conſecrátis in ſancta ſanctórum; * Ut fidéliter diſtribúeret frátribus ſuis partes. ℣. Elegérunt Stéphanum, virum plenum fide & Spíritu ſancto. * Ut fidéliter. *2. Par.* 31. 14. 15. *Act.* 6. 5.

Lectio ij. v. 8. ad finem.

STéphanus autem plenus grátiâ & fortitúdine, faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de ſynagóga, quæ appellátur Libertinórum, & Cyrenénſium, & Alexandrinórum, & eórum qui erant à Cilícia, & Aſia, diſputántes cum Stéphano: & non póterant reſíſtere ſapiéntiæ & Spirítui, qui loquebátur. Tunc ſubmiſérunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicéntem verba blaſphemiæ, in Moyſen, & in Deum. Commoverunt itaque plebem, & Seniores, & Scribas: & concurréntes rapuérunt eum, & adduxérunt in concílium, & ſtatuérunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba advérsùs locum ſanctum, & legem. Audívimus enim eum dicéntem: Quóniam Jeſus Nazarénus hic, déſtruet locum iſtum, & mutábit traditiónes, quas trádidit nobis Móyſes. Et intuéntes eum omnes, qui ſedébant in concílio, vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli.

℟. Ecce incircumcíſæ aures eórum, & audíre non poſſunt: verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium, & non ſuſcípient illud. * Idcírcò furóre Dómini plenus ſum, laborávi ſúſtinens. ℣. Durâ cervíce & incircumcíſis córdibus & áuribus, vos ſemper Spirítui ſancto reſíſtitis: * Idcircò. *Jerem.* 6. 10. 11. *Act.* 7. 51.

Lectio iij. Cap. 7. v. 55 ad 59.

CUm autem eſſet plenus Spíritu ſancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cœlos apértos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. Exclamántes autem voce magnâ continuérunt aures ſuas, & ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabátur Saulus. Et lapidabant Stéphanum invocantem, & dicéntem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. Pòſitis autem genibus clamavit voce magnâ, dicens: Dómine, ne

ſtatuas

ſtátuas illis hoc peccátum. Et cùm hoc dixíſſet, obdormívit in Dómino.

℟. Iſte hoc modo vitâ * Diſcéſſit, non ſolùm juvénibus, ſed & univérſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. ℣. Lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. * Diſcéſſit. Glória Patri. * Diſceſſit. 2. *Mach.* 6. 31. *Act.* 7. 58.

IN II. NOCTURNO.

Fortis in arguendo impios, in ſublevando pauperes miſericors Stephanus.

Ant. t. 5. *F.* Recordáre quòd ſtéterim in conſpéctu tuo, ut avérterem indignatiónem tuam ab eis. *Jerem.* 18. 20.

In Pſalm. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore. *Pag.* 80.

Ant. t. 1. *D.* Odio habuérunt corripiéntem, & loquéntem perfécte abominati ſunt. *Amos.* 5. 10.

In Pſalm. 55. Miſerére meî, Deus; quóniam conculcávit. *Pag.* 58.

Ant. t. 6. *f.* Replétus ſum fortitúdine Spíritûs Dómini, judicio & virtúte, ut annúntiem Jacob ſcelus ſuum. *Mich.* 3. 8.

In Pſalm. 61. Nonne Deo ſubjécta erit. *Pag.* 59.

℣. Juſtítiam tuam, Dómine, non abſcóndi in corde meo; ℟. Veritátem tuam, & ſalutáre tuum dixi. *Pſalm.* 39. 11.

Sermo ſancti Fulgéntii Epíſcopi.

Serm. 3. *de S. Stephano.*

Lectio iv.

HEri celebrávimus temporálem ſempitérni Regis noſtri natalem; hódie celebrámus triumphalem militis paſſiónem. Heri Rex noſter trábeâ carnis indutus, de aula úteri virginális egrédiens, viſitáre dignatus eſt mundum; hódie miles de tabernáculo córporis exiens, triumphátor migrávit ad cœlum. Glória in excélſis Deo, heri ſáncti Angeli exultántes cantavérunt; hódie Stéphanum lætántes in ſuum consortium ſuſcepérunt. Heri Chriſtus pro nobis pannis eſt involútus; hodie Stéphanus ſtolâ eſt ab eo immortalitátis indútus. Heri præsépis angúſtia Chriſtum portávit infántem; hódie imménſitas cœli ſuſcépit Stéphanum triumphántem.

℟. Beátus, qui poſt aurum non ábiit, nec ſperávit in pecúnia, & theſáuris: qui probátus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi glória ætérna: * Ideò ſtabilíta ſunt bona illíus, & eleemóſynas illius enarrábit omnis eccleſia ſanctórum. ℣. Sicut ſcriptum eſt: Diſpérſit, dedit paupéribus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. * Ideò, &c. *Eccli.* 31. 8. 10. 11. 2. *Cor.* 9. 9.

Lectio v.

NEceſsárium vobis eſt, fratres chariſſimi, agnóſcere quibus armis præcinctus Stephanus, ſævítiam Judæórum pótuit ſuperáre, ut ita meruiſſet felíciter triumpháre. Invíctæ in eo enítuit insígne virtútis, quæ nec frementium ſævítiam formidávit, nec lapidántiũ íctibus devícta ſuccúbuit. Uſque ádeò enim inter frementes permánſit intérritus, & inter lápidum fuit cruciaménta ſecúrus; ut incredulitátem Judæórum fidénter argúeret, & benígnus pro lapidántibus exoráret. Quod eſt ergo tam magnum, atque inſuperábile genus armórũ? Procul dúbio, munimine régio ſeptus, nullátenus eſt ab adverſáriis ſuperatus; quóniam Rex noſter, cùm ſit Altiſſimus, pro nobis húmilis venit, ſed inánis veníre non pótuit. Magnũ quippe donatívum ſuis milítibus attulit, quo eos non ſolùm copióſè ditávit, ſed étiam ad certándum invictiſſimè confortávit. Attulit namque donum charitátis, quo perdúceret hómines ad conſortium Deitátis.

℟. Surréxit quaſi ignis, & verbum ipſíus quaſi fácula ardébat; irritántes illum, pauci facti ſunt. * Non enim póterant ſuſtinére præcepta Dómini. ℣. Audientes diſſecabántur córdibus ſuis, & ſtridébant déntibus in eum. * Non enim. *Eccli.* 48. 1. *Act.* 7. 54.

Lectio vj.

CHáritas ergo, quæ de cœlo ad terras depoſuit Chriſtum, ipſa Stéphanum de terra elevávit ad cœlum. Cháritas quæ præcéſſit in Rege, ipſa ſubſequénter refúlſit in mílite. Stéphanus ergo, ut nóminis ſui corónam meruiſſet accípere, charitátem pro armis habébat; & per ipſam ubíque vincébat. Per charitátem Dei, ſævientibus Judæis non ceſſit: per charitátem próximi pro lapidántibus intercéſſit. Per charitátem arguébat errántes, ut corrigeréntur: per charitátem pro lapidántibus orábat ne puniréntur. Charitátis virtúte ſubníxus, vicit Saulum crudéliter ſævientem; & quẽ hábuit in terra perſecutórẽ, in cœlo méruit habére conſortem.

℟. Iſte in excélſis habitábit: muniménta ſaxórum ſublímitas ejus: panis ei datus eſt, aquæ ejus fidéles ſunt. * Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus. ℣. Inténdens in cœlum Stéphanus vidit glóriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei. * Regem. Glória. * Regem. *Iſ.* 33. 16. *Act.* 7. 55.

IN III. NOCTURNO:

Stephani in paſſione & morte conſtantia.

Ant. t. 3. *A.* Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, manifeſtè tu ſcis, quia du-

vos córporis ſuſtíneo dolóres: propter timórem tuum libénter hæc pátior. 2. *Mach.* 6. 30.

In Pſ. 63. Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor. *Pag.* 77.

Ant t. 7. *A.* Exémplum forte relinquam, ſi prompto ánimo, ac fórtiter pro ſanctíſſimis légibus honéſtâ morte perfúngar. 2. *Mach.* 6. 28.

In Pſalm. 65. Jubiláte Deo, omnis terra, pſalmum *P.* 60.

Ant. t. 8. *G.* Ego ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus; ínvocans Deum genti noſtræ propítiũ fieri. 2. *Mach.* 7. 37.

In Pſalm. 85. Inclína, Dómine, aurem tuam. *Pag.* 78.

℣. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus;

℟. Cùm loquébar illis, impugnábãt me gratis. *Pſ.* 119. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23. 34.

IN illo témpore; Dicébat Jeſus Scribis & Phariſæis: Ecce ego mitto ad vos Prophétas, & Sapiéntes, & Scribas; & ex illis occidétis, & crucifigétis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 317. *de Stephano Martyre, aliàs* 92. *de diverſis. Cap.* 4.

DOminus amárè & acérbè árguit Judæos, ſed amándo: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypócritæ. Quando iſta dicébat, quis nõ díceret, quia óderat illos? Venit ad crucem, & ait: Pater, ignoſce illis, quia néſciunt quid faciunt. Sic & Stéphanus in ſermóne ſuo prius árguit: Durâ cervíce & non circumcíſi córde & áuribus. (Verba ſunt ſancti Stéphani, quando Judæos alloquebátur.) Durâ cervíce, & non circumciſi corde & áuribus, vos ſemper Spirítui ſancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri. Quem Prophetárum nõn occiderũt patres veſtri? Iſta dicéndo quaſi odit, quaſi ſævit. Lingua clamat, cor amat.

℟. Nonne qui odérunt te, Dómine, oderam; & ſuper inimícos tuos tabeſcébam? * Perfécto ódio óderam illos; & inimíci facti ſunt mihi. ℣. Teſtis enim mihi eſt Deus, quómodo cúpiam omnes in viſcéribus Chriſti. * Perfécto ódio. *Pſ.* 138. 21. 22. *Philip.* 1. 8.

Lectio viij.

AUdívimus linguam clamántem; probémus ánimum diligénter: Nam cùm ad lápides cucurriſſent, jactábant in illum. Et cum tanta eſſet in docendo conſtantia; vidéte qualis extiterit in morte patiéntia. Hi enim íctibus lápidum corpus ejus quatiébant; & ille pro inimícis orábat. Contundebátur homo extérior, & ſupplicábat intérior. Sed Dóminus qui cinxerat, qui probáverat, qui ei caractérem

non in manu, ſed in fronte poſúerat, ſpectábat déſuper mílitem ſuum, juvatúrus certántem, coronatúrus vincéntem.

℟. Intuéntes Stéphanum omnes qui ſedébant in concílio, * Vidérunt fáciem ejus tamquam fáciem Angeli. ℣. Similem illum fecit Deus in gloria ſanctórum, & magnificávit eum in timóre inimicórum. * Vidérunt. *Act.* 6. 15. *Eccli.* 45. 2.

Lectio ix.

DEnique oſténdit ſe illi. Ecce enim, inquit, vídeo cœlos apértos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. Solus vidébat, quia illi ſoli apparébat. Et quid ait pro ſe? Dómine Jeſu, áccipe ſpíritum meum. Pro ſe rogans ſtetit, pro illis genu flexit: pro ſe eréctus, pro illis curvus: pro ſe celſus, pro illis húmilis: genu flexit & ait: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum. Et hoc dicto, obdormívit. O ſomnus pacis! qui inter lápides inimicórum dormívit, quo modo in ſuis cinéribus vigilábit?

℟. Póſitis génibus, Stéphanus * Clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccátum; & cùm hoc dixiſſet, † Obdormívit in Dómino. ℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini, mors ſanctórum ejus. * Clamávit. Glória. † Obdormívit. *Act.* 7. 59. *Pſ.* 115. 15.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Dóminus à dextris eſt mihi ne commóveat. ℟. Propter hoc lætátum eſt cor meum. *Pſalm.* 15. 8. 9.

Pſalmi de Dominica.

Paſſionis Stephani hiſtoria ex novo Teſtamento.

Ant. *t.* 1. *D.* STéphanus plenus grátiâ & fortitúdine faciébat prodígia & ſigna magna in pópulo. *Act.* 6. 8.

Ant. *t.* 3. *A.* Surrexérunt quidam de ſynagóga, diſputántes cum Stéphano; & non póterant reſíſtere ſapiéntiæ & Spirítui, qui loquebátur. *Act.* 6. *v.* 9. & 10.

Ant. *t.* 5. *F.* Cùm autem eſſet plenus Spíritu ſancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei. *Act.* 7. 55.

Ant. *t.* 6. *F.* Ait Stéphanus: Ecce vídeo cœlos apértos, & Fílium hóminis ſtantem à dextris Dei. *Act.* 7. 55.

Ant. *t.* 2. *d.* Impetum fecérunt unanímiter in eum; & ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant. *Act.* 7. 56. 57.

Capitulum. *Ezech.* 3. 7. 8.

DIxit ad me Dóminus: Domus Iſrael attrítâ fronte eſt, & duro corde: ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum.

℣. Vidi prævaricántes & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſalm.* 118. 158.

Ad Benedict. Ant. ſ. 1. *A.* Lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: Dómine Jeſu, súſcipe ſpíritum meum. *Act.* 7. 58.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus; ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Pro commemoratione Nativitatis, Antiphona. Deus Iſrael viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ; & eréxit cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui. *Luc.* 1. 68. 69.

℣. Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudíſti me;

℞. Et factus es mihi in ſalútem. *Pſ.* 117. 28.

Oratio, Concéde, *ut ad Laudes in die Nativitatis.*

AD HORAS BREV.

Pſalmi & Hymni de Dominica, Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi, &c.

In ℞. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Epíſtola ſancti Cœleſtíni Papæ ad clerum populúmque Conſtantinopolitánum.

Lecta in Concilio Epheſ. 1. *Anno* 431.

PAtiéntiæ vobis atque conſtántiæ forma Stéphanus primus Chriſti teſtis, exíſtat: Plebs in hunc prædicántem ſtríduit perfidórum. In ſe tamen idóneus comes Chriſti, tácuit quod vidébat.

AD TERTIAM.

Capitulum. Proverb. 16. 22. 23.

DOctrína ſtultórum fatúitas: cor ſapiéntis erúdiet os ejus, & lábiis ejus addet grátiam.

℞. Potens in Scriptúris erat edóctus viam Dómini; & * Fervens Spíritu loquebátur, & docebat diligénter ea quæ ſunt Jeſu. ℣. Sápiens tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ. * Fervens Spíritu. Gloria. * Fervens. *Act.* 18. 24. 25. *Eccli.* 39. 9.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſia magna,

℞. Ecce lábia mea non prohibébo, allelúia. *Pſ.* 39. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. Ezech. 1. 1. 4.

APérti ſunt cœli, & vidi viſiónes Dei.... Et ecce ignis, & ſplendor in circúitu ejus.

℞. *br.* Notas mihi feciſti vias vitæ: * Allelúia, allelúia. Notas. ℣. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo. * Allelúia. Glória. Notas. *Pſal.* 15. 11.

℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: ℞. Oculi tui vídeant æquitátes, allelúia. *Pſ.* 16. 2.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Tim.* 1. 12.

HÆc pátior, ſed non confúndor. Scio cui crédidi, & certus ſum quia potens eſt depóſitum meum ſerváre in illum diem.

℟. *br.* Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ.* Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Obumbráſti ſuper caput meum in die belli.* Allel. Glória. Dómine. *Pſ.* 139. 8.

℣. Ecce Deus ádjuvat me,

℟. Et Dóminus ſuſcéptor eſt ánimæ meæ: allelúia. *Pſ.* 53. 6.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi de 2. Veſperis Nativitatis Domini. Pag. 250.

Coronatur Stephanus, qui legitimè certavit.

Capitulum. Jac. 1. 12.

BEátus vir, qui ſuffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromíſit Deus diligéntibus ſe.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

O! Qui tuo, Dux Mártyrum,
Præfers corónam nómine
Non de cadúcis flóribus
Tibi corónam néctimus.
Tuo cruénta ſánguine
Quàm ſaxa fulgent púlchriùs!
Aptáta ſacro vértici
Non ſic micárent ſídera.
Quot facta fronti vúlnera,
Tot tela lucis émicant;
Et Angelo monſtrat parem
Quod prodit è vultu jubar.
Tu prima Chriſto víctimæ
Vitam rependis víctima,
Primúſque teſtis, æmulo
Deum fatéris fúnere.
Tu primus oſténſam tibi
Maris rubri ſulcas viam;
Quot te ſequéntur, Mártyrum
Quibus præis, exércitus!
Qui natus es de Vírgine
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Confirmátum eſt cor ejus; ℟. Non commovébitur, donec deſpíciat inimícos ſuos. *Pſ.* 111. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *A.* Invocávit Dóminum omnipoténtem; & ſic Dóminus glorificávit eum, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 6. 7.

Oratio ut ad Laudes.

Deinde fit commemoratio de ſancto Joanne Apoſtolo.

Ant. Honorábilis factus es in óculis meis, & glorióſus; ego diléxi te. *Iſ.* 43. 4.

℣. Ecce, Dómine, veritátem dilexíſti;

℟. Incerta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi. *Pſ.* 50. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Pro commemoratione de Nativitate Dom. Ant. Hosánna Fílio David; benedíctus qui venit in nómine Dómini: hosánna in Altíſſimis. *Matth.* 21. 9.

℣. Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ. *Pſ.* 17. 47.

Oratio. Concéde. *Pag.* 249.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in die Nativitatis; & ſic uſque ad Epiphaniam.

DIE XXVII. DECEMB.
In Feſto

SANCTI JOANNIS APOSTOLI & EVANG.

Duplex 3. Claſſis.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jeſum, in cujus ſinu recúbuit Joánnes, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 23.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Mundus corde à Deo diligitur: hinc ejus ſapientia.

Ant. t. 1. *A.* Qui díligit cordis mundítiam, propter grátiam labiórum ſuórum habébit amícum Regem. *Proverb.* 22. 11.

Ant. t. 3. *a.* Immortálitas eſt in cognatióne ſapiéntiæ, & in amicítia illíus delectátio bona. *Sap.* 8. 17. 18.

Ant. t. 1. *D.* Sapiéntia amícos Dei & Prophétas conſtítuit: díligit Deus eum, qui cum ſapiéntia inhábitat. *Sap.* 7. 27. 28.

℣. Ignítum, Dómine, elóquium tuum; ℟. Et ſervus tuus diléxit illud. *Pſalm.* 118. 140.

Incipit Epíſtola prima beati Joánnis Apóſtoli.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

QUod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis noſtris, quod perſpéximus, & manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ: & vita manifeſtáta eſt, & vídimus, & teſtámur, & annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis: quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis, ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum, & ſocíetas noſtrá ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto. Et hæc ſcríbimus vobis ut gaudeátis, & gáudium veſtrum ſit plenum. Et hæc eſt annuntiátio, quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux eſt, & ténebræ in eo non ſunt ullæ.

℟. In fide ſua probátus eſt Prophéta. Et * Cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis: quia vidit Deum lucis. ℣. Diſcípulus ille, quem diligébat Jeſus, * Cógnitus eſt. *Eccli.* 46. 17. 18. *Joan.* 21. 7.

Lectio ij. v. 6. *ad finem.*

SI dixérimus quóniam ſocietátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietátem habémus ad ínvicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus, emúndat nos ab omni pec-

cato. Si dixérimus quóniam peccatum non habémus; ipſi nos ſedúcimus, & véritas in nobis non eſt. Si confiteámur peccata noſtra; fidélis eſt, & juſtus, ut remíttat nobis peccáta noſtra, & emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus; mendácem fácimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.

℟. Elégit eum Deus ex omni carne: audívit eum, & vocem ipsíus; * Dedit illi coràm præcépta, & legem vitæ & diſciplínæ. ℣. Cum recubuíſſet ille ſupra pectus Jeſu; * Dedit illi. *Eccli.* 45. 4. 5. 6. *Joan.* 13. 25.

Lectio iij. Cap. 2. v. 1. ad 6.

FIlíoli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccétis. Sed & ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiátio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed étiam pro totíus mundi. Et in hoc ſcimus quóniã cognóvimus eum, ſi mandáta ejus obſervémus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandáta ejus non cuſtódit; mendax eſt, & in hoc véritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc cháritas Dei perfécta eſt.

℟. Doctrínam ſapiéntiæ & diſciplínæ ſcripſit. * Renovávit ſapiéntiam de corde ſuo. † Beatus qui in iſtis versátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ſápiens erit. ℣. Eò quòd eſſet diſcípulus Jeſu, * Renovávit. Glória Patri. † Beátus qui, &c. *Eccli.* 50. 29. 30. *Joan.* 19. 38.

IN II. NOCTURNO.

Ex amoris privilegio, in ſinu Domini requieſcit.

Ant. t. 4. a. Aſſumam te, ſerve meus, & ponam te quaſi ſignáculum, quia te elégi. *Agg.* 2. 24.

Ant. t. 5. a. Redémi te, & vocavi te nómine tuo: meus es tu. *Iſ.* 43. 1.

Ant. t. 7. D. Elevábitur áquila, & in árduis ponet nidum ſuum, & de longè óculi ejus proſpíciunt. *Job.* 39. 27. 29.

℣. Scápulis ſuis obumbrábit tibi; ℟. Et ſub pennis ejus ſperabis. *Pſ.* 90. 4.

Ex Libro ſancti Hierónymi, Presbyteri de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

Lectio iv. Capite 9.

JOánnes Apóſtolus, quem Jeſus amávit plúrimùm, fílius Zebedæi, frater Jacóbi Apóſtoli, quem Heródes poſt paſſiónem Dómini decollávit, noviſſimus ómnium ſcripſit Evangélium, rogátus ab Aſiæ Epíſcopis advérsùs Cerínthum alióſque hæréticos, & máximè tunc Ebionitárum dogma consúrgens, qui áſſerunt Chriſtum ante Maríam non fuiſſe. Unde & compúlſus eſt divínam ejus Nativitátem edícere.

℟. Dóminus diléxit eum. * Et vocávit nomen ejus, A-

amábilis Dómino, eò quòd diligeret eum Dñus ℣. Aſsúmit Jeſus Joánnem. * Et vocávit. 2. *Reg.* 12. 24. 25. *Matth.* 17. 1.

Lectio v.

QUarto-décimo anno, ſecúndam poſt Nerónem perſecutiónem movénte Domitiano, in Patmos ínſulam relegátus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretátur Juſtínus Martyr, & Irenæus. Interféćto autem Domitiáno, & actis ejus ob nímiam crudelitátem à Senátu reſciſſis, ſub Nerva príncipe rédiit Epheſum: ibíque uſque ad Trajánum príncipem perſevérans, totas Aſiæ fundávit, rexítque Eccléſias: & conféctus ſenio, ſexagéſimo octávo poſt paſſiónem Dómini anno mórtuus, juxta eámdem urbem ſepúltus eſt.

℟. Prophéta magnus & fidélis in conſpéctu Dei * Uſque in ſempitérnum oſténdit futúra, & abſcóndita, ántequam evenírent. ℣. In ínſula, quæ appellátur Patmos, * Uſque in ſempitérnum. *Eccli.* 48. 25. 27. 28. *Apoc.* 1. 9.

Lectio vj.

Ex Commentáriis ejúſdem in in Epíſtolam ad Gálatas.

Lib. 3. *Cap.* 6.

BEátus Joánnes Evangeliſta, cùm Epheſi moraretur uſque ad últimam ſenectútem, & vix inter diſcipulórum manus ad Eccléſiam deferrétur, nec poſſet in plura verba vocem contéxere, nihil áliud per ſíngulas ſolébat proférre colléctas, niſi hoc: Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem diſcípuli & fratres qui áderant, tædio afféćti, quòd éadem ſemper audírent, dixérunt: Magiſter, quare hoc ſemper lóqueris? Qui reſpóndit dignam Joánne ſenténtiam: Quia præcéptum Dómini eſt; & ſi ſolum fiat, ſúfficit.

℟. Amantíſſimus Dómini habitábit confidénter in eo: * Quaſi in thálamo totâ die morábitur, & inter húmeros illíus requiéſcet. ℣. Erat recúmbens unus ex diſcípulis Jeſu in ſinu ejus, quem diligébat Jeſus. * Quaſi in thálamo. Glória. Quaſi, &c. *Deut.* 33. 12. *Joan.* 13. 23.

IN III. NOCTURNO.

Quantus Joannes, cui tot Chriſtus dedit ſpecialis amoris pignora.

Ant. 1. 1. *D.* Convérſus Petrus vidit illum diſcípulum quem diligébat Jeſus, qui & recúbuit in cœna ſuper pectus ejus. *Joan.* 21. 20.

Ant. 1. 3. *e.* Hunc cùm vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Dómine, hic autem quid? *Joan.* 21. 21.

Ant. 1. 8. *C.* Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manére, donec véniam. *Joan.* 21. 22.

℣. Dabis eum in benedictiónem

℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21. 19.

IN illo témpore : Dixit Jeſus Petro : Séquere me. Convérſus Petrus vidit illum diſcípulum, quem diligébat Jeſus, ſequéntem ; qui & recúbuit in cœna ſuper pectus ejus. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homil. 87. *in Joan.*

QUâ grátiâ recúbitûs illíus méminit ? Ut oſténdat Petri poſt negatiónem fidúciã. Qui enim tunc non eſt auſus Jeſum interrogáre, hic álteri vicem ſuam mandat, ſed & ipſe magíſtrum intérrogat. Et Joánnes quidem tacet, ipſe autem lóquitur ; prætéreà & ſuam in eum præ ſe fert dilectiónem. Nam cùm magna Chriſtus Petro communicáſſet, orbis terrárum curam demandáſſet, martyrium prædixíſſet, & majórem erga eum dilectiónem teſtátus eſſet, cùm vellet Petrus Joánnem ſócium & collégam, dixit Jeſu : Hic autem quid ? Numquid eámdem viam aggrediétur ? Et quemádmodum in cœna interrogáre non auſus, Joánnem ſufféćit ; ita nunc vicem reddit, arbitrátus eum velle, ſed non audére de ſe ſciſcitári.

℟. Cùm vidíſſet Jeſus Matrem, & diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit Matri ſuæ : Múlier, ecce Filius tuus : deínde * Dicit diſcípulo : Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam diſcípulus in ſua. ℣. Omni témpore díligit qui amícus eſt. * Dicit diſcípulo. *Joan.* 19. 26. 27. *Prov.* 17. 17.

Lectio viij.

TUm Chriſtus : Si eum volo manére, quid ad te ? Nam cùm nímiâ id charitáte díceret Petrus, nec ab eo divélli vellet, oſténdens Chriſtus quòd quantúmvis eum dilectióne proſequerétur, ſuam áſſequi non poſſet, inquit : Si eum volo manére, quid ad te ? His verbis nos erúdiens neque doléndum, neque curióſiùs præter divínam voluntátem inveſtigándum. Nam cùm Petrus ſemper in hujúſmodi interrogatiónes ferventiùs proſilíret, íterum ejus fervórem retúndens, quòd non ſit ultériùs inquiréndum, in hunc modum reſpóndit.

℟. Stetit Jeſus in líttore : non tamen cognovérunt diſcípuli, quia Jeſus eſt : * Dixit diſcípulus ille quem diligébat Jeſus : Dóminus eſt. ℣. Venit amícus juſti, & inveſtigábit eum. * Dixit. *Joan.* 21. 4. 7. *Prov.* 18. 17.

Lectio ix.

NOn dixit Jeſus : Non móritur, ſed, Si eum volo manére, donec véniam, quid ad te ? Noli arbitrári me eódem modo de vobis diſ-

poſuiſſe. Hoc autem dixit, ut intempeſtívum affectum, & conſuetúdinis deſidérium tólleret. Nam cùm eſſent orbis terrárum curam ſuſceptúri, ſimul ampliùs eos eſſe non oportébat: magnum enim fuíſſet mundo detriméntum. Idcírco, inquit, opus ſuſcepíſti; id consídera, pérfice, labóra, & te certamínibus expóne. Tu autem hoc in loco Evangelíſtæ lenitátem intéllige. Videns namque diſcipulórum ſuſpiciónem, córrigit eam, tamquam quid díxerit, non intellígerent.

℟. Exiit ſermo iſte inter fratres: Quia diſcípulus ille non móritur; & non dixit ei Jeſus: Non móritur; ſed * Sic eum volo manére, donec véniam. ℣. Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis. * Sic eum volo. Glória. * Sic eum. *Joan.* 21. 23. *Eccli.* 49. 3.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Dóminus dabit verbum evangelizántibus ℟. Virtúte multâ. *Pſal.* 67. 12.

Pſalmi de Feria ad Laudes & Horas breves.

Quanta per ſpiritum Joanni revelata ſunt.

Ant. t. 1. *D.* EGo Joánnes, párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Chriſtó Jeſu, fui propter verbum Dei, & teſtimónium Jeſu. *Apoc.* 1. 9.

Ant. t. 3. *E.* Fui in ſpíritu in Domínica die, & audívi poſt me vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis: Quod vides, ſcribe, & mitte Eccléſiis. *Apoc.* 1. 10. 11.

Ant. t. 5. *A.* Dixit mihi Angelus: Opórtet te íterum prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis. *Apoc.* 10. 11.

Ant. t. 6. *f.* Deus ſpirítuum Prophetárum miſit Angelum ſuum, oſténdere ſervis ſuis quæ opórtet fieri citò. *Apoc.* 22. 6.

Ant. t. 8. *C.* Beátus, qui cuſtódit verba Prophetíæ libri hujus. Et ego Joánnes audívi, & vidi hæc. *Apoc.* 22. 7. 8.

Capitulum. Sap. 7. 21. 22.

QUæcúmque ſunt abſcónſa, & improvíſa dídici: ómnium enim ártifex dócuit me ſapiéntia. Eſt enim in illa ſpíritus intelligéntiæ, ſanctus.

℣. Teſtimónia tua intelléxi. ℟. Omnis conſummatiónis vidi finẽ. *Pſ.* 118. 95. 96.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *A.* Quod audívimus, quod vídimus, quod manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut & vos ſocietátẽ habeátis nobíſcum. 1. *Joan.* 1. 1. 3.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, benígnus illúſtra; ut beáti Joánnis Apóſtoli tui & Evangelíſtæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat ſempitérna; Per Dóminum.

Fit commemoratio Nativita-

tis Domini, & S. Stephani ut in Laudibus Feſti S. Stephani, ſuprà, pag. 261.

Ad Horas brev. Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Can.* 94.

CLéricus nitátur eſſe quod dícitur: Vocántur Cléríci, vel quia de ſorte ſunt Dómini, vel quia Dóminus ipſe ſors, id eſt, pars Clericórum eſt.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 20.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus.

℟. Dedit illi Deus palàm fácere ſervis ſuis, quæ opórtet fieri, & * Significávit mittens ſervo ſuo Joánni, qui † Teſtimónium perhíbuit verbo Dei, & teſtimónium Jeſu Chriſti, quæcúmque vidit. ℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum. * Significávit. Glória. † Teſtimónium. *Apoc.* 1. 1. 2. *Pſ.* 93. 12.

℣. Deus, docuíſti me à juventúte mea; ℟. Et uſque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Pſ.* 70. 17.

AD SEXTAM.

Capitulum. Epheſ. 3. 8. 9.

MIhi data eſt grátia hæc, Evangelizáre inveſtigábiles divítias Chriſti, & illumináre omnes, quæ ſit diſpensátio ſacraménti abſcónditi à ſæculis in Deo.

℟. *br.* Ecce labia mea non prohibébo: * Dómine, tu ſciſti. Ecce: ℣. Annuntiávi juſtítiam tuam in ecclésia magna. * Dómine. Glória. Ecce. *Pſ.* 39. 10.

℣. Super ſenes intelléxi; ℟. Quia mandáta tua quæſívi. *Pſ.* 118. 100.

AD NONAM.

Capitulum. Epheſ. 3. 2. 3.

AUdíſtis diſpenſatiónem grátiæ Dei, quæ data eſt mihi: quóniam ſecúndùm revelatiónem notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſuprà ſcripſi.

℟. *br.* Mirabília * Teſtimónia tua. Mirabília. ℣. Ideò ſcrutáta eſt ea ánima mea. * Teſtimónia tua. Glória. Mirabília. *Pſ.* 118. 129.

℣. Occúlta ſapiéntiæ tuæ ℟. Manifeſtáſti mihi. *Pſ.* 50. 8.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi de 2. Veſp. Nativ. Dom. Pag. 250.

Quæ ſibi revelata ſunt juſſus eſt ſcribere.

Capitulum. Apoc. 1. 17. 19.

POſuit déxteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timére: ego ſum primus & noviſſimus. Scribe ergo quæ vidíſti, & quæ ſunt, & quæ opórtet fieri.

HYMNUS. *Ex Santolio Vict.*

TU, quem præ réliquis
Chriſtus amáverat,
O dulces hóminis delíciæ
Dei,

Curárum sócius, fúneris & comes,
Et teſtis quoque glóriæ.
Fortunáte nimis, cui lícitum fuit
Attrectáre manu Verbum, hóminem Deum,
Hunc audíre, óculis cérnere, mútuo
Quin & collóquio frui!
Hæc dos quanta fuit, cùm tibi crédidit
Senſus Chriſtus amans péctoris íntimos
Quando monte ſuper, totus homo Deus
Seſe Númine véſtiit?
Jeſu tu plácido dum récubas ſinu
Potas plena Deo vívida flúmina:
Illápſu tácito ſe própiùs tuis
Numen sénſibus ínſerit.
Hinc creber répetis, creber idem ſonas;
Quidquid faris, amor, ſic amor ímperat:
Vix ſeſe cápiens æſtuat, & ſuis
Pectus rúmpitur ígnibus.
Sit laus ſumma Patri, ſúmmaque Fílio
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus:
Hæc eſt certa fides, fóntibus è tuis,
Quam divínitùs háuſimus. Amen.

℣. Lingua mea cálamus ſcribæ, ℟. Velóciter ſcribéntis. *Pſ.* 44. 2.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Hic eſt discípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus, quia verum eſt teſtimónium ejus. *Joan.* 21. 24.

Pro commemoratione ſanctorum Innocentium, Antiphona. Vox in excélſo audíta eſt lamentatiónis, luctûs, & fletûs Rachel plorántis fílios ſuos, & nolέntis conſolári ſuper eos, quia non ſunt. *Jerem.* 31. 15.

℣. Captábunt in ánimam juſti: ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Pſ.* 93. 21.

Oratio. Deus, qui, *ut infrà ad Laudes.*

Deinde fit commemoratio Nativitatis Domini ſub Antiphona Hosánna Fílio, *ut in ſecundis Veſperis ſancti Stephani.*

Denique commemoratio ſancti Stephani ſub Antiphona, Invocávit, *ex ſecundis Veſperis.*

Die xxviii. Decemb.

In Feſto SS. INNOCENTIUM.

Duplex iij. Claſſis.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jeſum, qui compléxans párvulos, benedicébat eos, * Veníte, adorémus. *Marc.* 10. 16.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Matrum mortem infantium ſuorum lugentium queſtus.

Ant. t. 1. *A* Contemplámini, & vocáte lamentatríces: aſsúmant ſuper nos laméntum; quia mors ingréſſa eſt domos noſtras diſpérdere

párvulos. *Jerem.* 9. 17. 18. 21.

Ant. t. 4. *a.* Quis dabit óculis meis fontem lacrymárum? Et plorabo die ac nocte interféctos fíliæ pópuli mei. *Jerem.* 9. 1.

Ant. t. 2. *D.* Invocábant Dóminum, ut memorarétur iniquiſſimas mortes parvulórum Innocéntum. 2. *Mach.* 8. 2. 4.

℣. Inimíci tui, Dómine, declinavérunt in te mala:

℟. Cogitavérunt consília, quæ non potuérunt ſtabilíre. *Pſ.* 20. 12.

De Jeremía Prophéta.

Lectio j. Cap. 31. *v* 15. *ad* 18.

HÆc dicit Dóminus: Vox in excélſo audíta eſt lamentatiónis, luctûs, & fletûs Rachel plorántis fílios ſuos, & noléntis conſolári ſuper eos, quia non ſunt. Hæc dicit Dominus: Quiéſcat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis: quia eſt merces óperi tuo, ait Dóminus: & reverténtur de terra inimíci. Et eſt ſpes noviſſimis tuis, ait Dóminus: & reverténtur filii ad términos ſuos.

℟. Consúrge, Sion, * Effúnde ſicut aquam cor tuum ante conſpéctum Dómini: Leva ad eum manus tuas pro ánima parvulórum tuórum. ℣. Heródes irátus eſt valdè, & mittēs occídit omnes púeros, qui erant in Béthleem, & in omnibus fínibus ejus. * Effunde ſicut. *Thren.* 2. 19. *Matth.* 2. 16.

Lectio ij. v. 18. *ad* 21.

AUdiens audívi Ephraim tranſmigrántem: Caſtigáſti me, & erudítus ſum quaſi juvĕculus indómitus: convérte me, & convértar: quia tu Dóminus Deus meus. Poſtquam enim convertíſti me, egi pœniténtiam: & poſtquā oſtendíſti mihi, percúſſi femur meum. Confúſus ſum, & erúbui, quóniam ſuſtínui oppróbriū adoleſcéntiæ meæ. Si fílius honorábilis mihi Ephraim, ſi puer delicátus, quia ex quo locútus ſum de eo, adhuc recordábor ejus.

℟. Defecérunt præ lácrymis óculi, * Cùm deficeret párvulus & lactens; cùm exhalárent ánimas ſuas in manu matrum ſuárum. ℣. Adimplétum eſt quod dictum eſt per Jeremíam Prophétam, dicentem: Vox in Rama audíta eſt, plorátus & ululátus multus. * Cùm deficeret. *Thren.* 2. 11. 12. *Matth.* 2. 17. 18.

Lectio iij. v. 21. *ad* 24.

STátue tibi ſpéculam, pone tibi amaritúdines: dírige cor tuum in viam rectam, in qua ambuláſti: revértere, virgo Iſrael, revértere ad civitates tuas iſtas. Uſquequò deliciis diſſolvéris, fília vaga? quia creávit Dóminus novum ſuper terram: Fœmina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Iſrael: Adhuc dicent verbum iſtud in terra Juda, & in úrbibus ejus, cùm convértero captivitátem

...nórum : Benedicat tibi Dóminus, pulchritúdo juſtítiæ, mons ſanctus.

℟. Idcircò ego plorans, & * Oculus meus dedúcens aquas; quia longè factus eſt à me conſolátor : facti ſunt filii mei pérditi, quóniam inváluit inimícus. ℣. In occiſióne gládii mórtui ſunt. * Oculus meus. Glória. * Oculus meus. *Thren.* 1. 16. *Heb.* 11. 37.

IN II. NOCTURNO.

Tyranni in infantium nece crudelitas.

Ant. t. 7. a. Rex efferátis ánimis juſſit milítibus interficere : fiébant ergo natórum extermínia, & parvulórum neces. 2. *Mach.* 5. 11. 12. 13.

Ant. t. 6. f. Inimícus in corde ſuo inſidiátur, & ſi invénerit tempus, non ſatiábitur sánguine. *Eccli.* 12. 15. 16.

Ant. t. 8. G. Teténdit advérsùs Deum manum ſuam, & contra Omnipoténtem roborátus eſt. *Job.* 15. 25.

℣. Peccátor ſtridébit ſuper juſtum déntibus ſuis.

℟. Dóminus autem irridébit eum. *Pſ.* 36. 12. 13.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. in Epiphaniam. 1. *Cap.* 2. & 3.

HEródes áudiens Judæórum príncipem natum, ſucceſſórem ſuſpicátus, expávit; & molítus necem ſalútis auctóri, falſum ſpondet obſéquium. Quàm felix foret, ſi Magórum imitarétur fidem, & convérteret ad religiónem, quod diſponébat ad fraudem! Reverſis Magis ad regiónem ſuam, translatóque Jeſu in Ægyptum ex admonitióne divína, exardéſcit, fruſtratâ in meditatiónibus ſuis Heródis inſániâ. Necári omnes Béthleē párvulos jubet : & quóniam quem métuat neſcit infántem, generálem ſævítiam in ſuſpéctam ſibi tendit ætátem. Sed quos rex ímpius éximit mundo, Chriſtus ínſerit cœlo.

℟. Dóminus díſſipat consília géntium, & réprobat consília príncipum. * Consílium autem Dómini in ætérnum manet. ℣. Magi reſpónſo accépto ne redírent ad Heródem, per áliam viam revérſi ſunt. * Consílium. *Pſ.* 32. 10. 11. *Matth.* 2. 12.

Lectio v. in Epiph. 2. *Cap.* 3.

QUæ iſta, Judæi, tam imperíta in vobis ſciéntia eſt? Interrogáti ubi Chriſtus naſcerétur, veráciter díſcitis quod legíſtis : In Béthleē Judæ. Locum nativitátis de Scripturárum teſtimónio demonſtrátis, præséntiam témporis de cœli & terræ atteſtatióne cognóſcitis; & tamen ubi ad perſequéndum ánimus Heródis exarſit, ibi ad non credéndum veſter ſenſus obdúruit. Felícior ergo ignorántia Infántium quos perſecútor occídit, quàm veſtra ſciéntia, quam in ſua perturbatióne consúluit. Vos noluíſtis regnum ejus récipere, cujus

óppidum potuíſtis oſténdere. Illi potuérunt pro eo mori, quem nondum póterant confitéri. Itaque Chriſtus, ne ullum ei tempus eſſet abſque miráculo, ante uſum linguæ, poteſtátem Verbi tácitus exerébat; & quaſi jam díceret: Sínite párvulos veníre ad me, tálium eſt enim regnum cœlórum; novâ glóriâ coronábat Infántes, & de inítiis ſuis parvulórum primórdia conſecrábat; ut diſcerétur néminem hóminum divíni incapácem eſſe ſacraménti, quando étiam illa ætas glóriæ eſſet apta martyrii.

℟. Cùm cogitárent juſtórum occídere infántes, * Uno liberáto, ſuſcépta eſt à pópulo sánitas. ℣. Angelus appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Accipe púerum, & fuge in Ægyptum. * Uno liberáto. *Sap.* 18. 5. 7. *Matth.* 2. 13.

Lectio vj. in Epiph. 7. Cap. 3. & 4.

AMat Chriſtus infántiam, quam primùm & ánimo ſuſcépit, & córpore. Amat Chriſtus infántiam humilitátis magíſtram, innocéntiæ régulam, manſuetúdinis formam. Amat Chriſtus infántiam, ad quam majórum dírigit mores, ad quam ſenum redúcit ætátes; & eos ad ſuum inclínat exémplum, quos ad regnum ſublímat ætérnum. Ad hanc vos, dilectíſſimi, ſimilitúdinem parvulórum myſtérium hodiérnæ Feſtivitatis invítat; & hanc vobis humilitátis formam adorátus à Magis puer Salvátor insínuat; qui, ut imitatóribus ſuis quid glóriæ paráret, oſténderet, ortûs ſui témpore éditos martyrio conſecrávit: ut in Béthleem, ubi Chriſtus natus eſt, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent paſſiónis.

℟. Plácita erat Deo ánima illórum: * Propter hoc properávit edúcere illos de médio iniquitátum: † Quóniam grátia Dei, & miſericórdia eſt in ſanctos ejus, & reſpéctus in eléctos illíus. ℣. Ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ in vaſa miſericórdiæ, quæ præparávit in glóriam. * Propter hoc. Glória. † Quóniam. *Sap.* 4. 14. 15. *Rom.* 9. 23.

IN III. NOCTURNO.

Matrum luctus vertatur in gaudium.

Ant. t. 7. *A.* Jeruſálem, lætáberis in fíliis tuis; quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum. *Tob.* 13. 17.

Ant. t. 5. *a.* Quiéſcat vox tua à ploráru, & óculi tui à lácrymis; reverténtur fílii ad términos ſuos. *Jer.* 31. 16. 17.

Ant. t. 8. *g.* Ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illórum eſt. *Sap.* 5. 5.

℣. Salvávit eos Dóminus de manu odiéntium: ℟. Et redémit

redémit eos de manu inimíci. *Pſ.* 105 10.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2. 16.

IN illo témpore; Heródes videns quóniam illúſus eſſet à Magis, irátus eſt valdè, & mittēs occídit omnes púeros, qui erant in Béthleem. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

In Natalit. Ss. Innocentium.

NOn otióſè venit quod ex María natum eſt, ſanctum; ſed copióſè diffúndit & nomen & grátiam ſanctitátis: nimírùm inde Stéphanus ſanctus, inde Joánnes ſanctus, inde ſancti étiam Innocéntes. Utili proínde diſpoſitióne, triplex iſta ſolémnitas Natále Dómini comitátur: ut non modò inter contínuas ſolemnitátes devótio contínua perſevéret; ſed & fructus Domínicæ Nativitátis exinde nobis velut ex quadam proſecutióne, evidéntiùs innoteſcat. Síquidem advértere eſt in his tribus ſolemnitátibus tríplicem quamdam ſpéciem ſanctitátis. Habémus in beáto Stéphano martyrii ſimul & opus & voluntátem; habémus ſolam voluntátem in beáto Joánne; ſolum in beátis Innocéntibus opus. Bibérunt omnes hi cálicem ſalutáris, aut córpore ſimul & ſpíritu, aut ſolo ſpíritu, aut corpore ſolo.

℟. Decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter; * Quóniã ſapiéntia apéruit os mutórum, & linguas Infántium fecit disértas. ℣. Cantábãt quaſi cánticum novum ante ſedem Dei. * Quóniam. *Sap.* 10. 20. 21. *Apoc.* 14. 3.

Lectio viij. n. 2.

AN verò de Innocéntium corónis quis dúbitet? Ille pro Chriſto trucidátos Infántes dúbitet inter Mártyres coronári, qui regenerátos in Chriſto non credit inter adoptiónis filios numerári. Alióquin quando coævos ſibi púeros, puer ille qui natus eſt nobis, propter ſe paterétur occídi, (quòd útique ſolo nutu póterat prohibére,) niſi méliùs áliquid eis providéret? Ut quemádmodum cæteris infántibus tunc quidem circumcíſio, nunc verò baptíſmus ſine ullo própriæ voluntátis uſu ſúfficit ad ſalútem; ſic nihilóminus pro eo ſuſcéptum Martyrium illis ſufficeret ad ſanctitátem. Si quæris eórum apud Deum mérita, ut coronaréntur, quære & apud Heródem crímina ut trucidaréntur: an fortè minor Chriſti píetas, quàm Heródis impíetas, ut ille quidem potúerit innoxios morti dare, & Chriſtus non potúerit propter ſe occíſos coronáre?

℟. Vidéntes tua mirabília, tamquam agni exultavérunt, * Magnificántes te, Dómine, qui liberáſti illos. ℣. Sine mácula enim ſunt ante thronum Dei. * Magnificántes. *Sap.* 19. 8. 9. *Apoc.* 14. 5

Lectio ix.

SIt ergo Stéphanus Martyr apud hómines, cujus voluntária páſſio evidénter appáruit. Sit Joánnes apud Angelos Martyr, quibus tamquam ſpiritualibus creatúris ſpirituália devotiónis ejus ſigna cértiùs innotuérunt. Cæterùm hi ſunt planè Mártyres tui, Deus: ut, in quibus, nec homo, nec Angelus méritum invénit, ſinguláris tuæ prærogatívæ grátiæ evidéntiùs commendétur. Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem: Glória in excélſis Deo, Angeli dicunt, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis; magna quidem, ſed (áudeo dícere) necdum perfécta laus, donec véniat, qui dicat: Sínite párvulos ad me veníre; quia tálium eſt regnum cœlórum: & pax homínibus étiam ſine voluntátis uſu, in ſacraménto pietátis.

℟. Viſi ſunt óculis inſipiéntium mori: & * Æſtimáta eſt afflíctio éxitus illórum; & quod à nobis eſt iter, extermínium: illi autem ſunt in pace. ℣. Mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; quia prima abiérunt. * Æſtimáta. Glória. * Æſtimáta. *Sap.* 3. 2. 3. *Apoc.* 21. 4.

Te Deum *non dicitur niſi hoc Feſtum incidat in Dominicam.*

AD LAUDES.

Felices illi quos ſic diligit Dominus.

℣. *Sacerdotal.* Novit Dóminus dies immaculatórum: ℟. Et hæréditas eórum in ætérnum erit. *Pſ.* 36. 18.

Pſalmi de Feria ad Laudes & Horas br.

Ant. *t.* 3. *a.* SInite párvulos ad me veníre: tálium eſt enim regnum cœlórum. *Matth.* 19. 14.

Ant. *t.* 5. *a.* Puſíllus grex, complácuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Luc.* 12. 32.

Ant. *t.* 6. *f.* Non inquinavérũt veſtiménta ſua: ambulábunt mecum in albis, quia digni ſunt. *Apoc.* 3. 4.

Ant. *t.* 7. *D.* Agnus qui in médio throni eſt, reget illos, & dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. *Apoc.* 7. 17.

Ant. *t.* 8. *C.* Vidébunt fáciem Agni: & nomen ejus in fróntibus eórum. *Apoc.* 22. 4.

Capitulum. Sap. 5. 16. 17.

IN perpétuum vivent, & apud Dóminum eſt merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíſſimũ. Ideò accípient regnum decóris, & diadéma ſpeciéi de manu Dómini.

℣. Deus noſter miſerétur

℟. Cuſtódiens párvulos Dóminus. *Pſ.* 114 5. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *F.* Hi ſunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Oratio.

DEus, cujus hodiérnâ die præcónium Innocéntes Mártyres, non loquēdo, ſed moriēndo confeſſi ſunt; ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam quam lingua noſtra lóquitur, étiam móribus vita fateátur; Per Dóminum.

Fiunt commemorationes 1. *de Nativitate*, 2. *de S. Stephano, ut ſuprà*, 3. *de S. Joanne per Antiphonam de Laudibus.*

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ex Cōcilio Montepeſſuláno.

An. 1258. *Cap.* 2.

IN tonſurándo cautélam hábeat Ordinátor, ut talem adſcríbat milítiæ clericáli, qui ex devotióne, non per fraudem, adſcríbi cúpiat Ordini Clericáli, & qui non ſit omnínò expers ſciéntiæ Clericális.

AD TERTIAM.

Capitulum. Apoc. 14. 1.

VIdi; & ecce Agnus ſtabat ſupra montē Sion, & cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in fróntibus ſuis.

℟. Hi empti ſunt ex homínibus primitiæ Deo, & Agno; & in ore eórum non eſt invéntum mendácium: * Sine mácula enim ſunt ante thronum Dei. ℣. Agni immaculáti annículi erunt in holocáuſtum, in odórem ſuavíſſimum Dómino. * Sine mácula. Gloria. * Sine mácula. *Apoc.* 14. 4. 5. *Levit.* 23. 18.

℣. Fílii ſervórum tuórum habitábunt; ℟. Et ſemen eórum in ſæculum dirigétur. *Pſ.* 101. 29.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Tim.* 1. 9.

DEus nos liberávit, & vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, non ſecúndùm ópera noſtra, ſed ſecúndum propóſitum ſuum, & grátiam.

℟. *br.* Anima noſtra ſicut paſſer erépta eſt * De láqueo venántiū. Anima. ℣. Láqueus contrítus eſt; & nos liberáti ſumus * De láqueo. Glória. Anima. *Pſ.* 123. 7.

℣. Salváſti nos de affligéntibus nos; ℟. Et odiéntes nos confudíſti. *Pſ.* 43. 8.

AD NONAM.

Capitulum. Epheſ. 1. 5. 6.

PRædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio ſuo.

℟. *br.* Ex ore infántium, & lacténtium * Perfecíſti laudem. Ex ore. ℣. Propter inimícos tuos. * Perfecíſti.

Glória. Ex ore. *Pſalm.* 8. 3.

℣. Laudáte, púeri, Dóminum: ℟. Laudáte nomen Dómini. *Pſ.* 112. 1.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi de ſecundis Veſperis Nativitatis Domini.

Sanguine ſuo abluti, intrant in ſanctam civitatem.

Capitulum. Epheſ. 1. 3. 4.

Benedíctus Deus, qui elégit nos in Chriſto, ut eſſémus ſancti, & immaculáti in conſpéctu ejus.

HYMNUS *Prudentii.*

Salvéte, flores Mártyrum,
In lucis ipſo límine
Quos ſævus enſis démetit,
Ceu turbo naſcéntes roſas.

Vos prima Chriſti víctima,
Grex immolatórũ tener,
Aram ſub ipſam, símplices
Palmâ & corónis lúditis.

Quid próficit tantum nefas?
Quid crimen Heródem juvat?
Unus, tot inter fúnera
Impúnè Chriſtus tóllitur.

Sic ſtulta regis ímpii
Edícta quondam fúgerat
Chriſti figúram præferens
Moſes redémptor cívium.

Matres, querélis párcite:
Quid rapta fletis pígnora?
Agnum ſalútis óbſidem
Denſo ſequúntur ágmine.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Requírens ſánguinem eórum recordátus eſt Dóminus. ℟. Non eſt oblítus clamórem páuperum. *Pſalm.* 9. 13.

Ad Magn. *Ant.* 1. 1. *A.* Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni; ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

Deinde fit commemoratio S. Thomæ Epiſcopi & Martyris, per Antiph. ſeq. Dixi, Quare derelíquimus domum Dei? Recordáre, Dómine Deus meus, advérsùm eos, qui pólluunt ſacerdótium, juſque ſacerdotále. 2. *Eſdr.* 13. 11. 29.

℣. Zelus domûs tuæ comédit me: ℟. Et factum eſt in oppróbrium mihi. *Pſal.* 68. 10. 11.

Orémus.

Deus, pro cujus Eccléſia gloriósus Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit: præſta, quæſumus; ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónis ſuæ ſalutárem conſequántur effectum; Per Chriſtum, &c.

Poſtea fiunt commemorationes, prima de Nativitate, ſecunda de ſancto Stephano, tertia de ſancto Joanne, per Antiphonam ad Magnificat, *ex ſecundis Veſperis.*

Die xxix. Decembris.

In Feſto

SANCTI THOMÆ

Episcopi & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli ad Romános.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 11.

PAulus, ſervus Jeſu Chriſti, vocátus Apóſtolus, ſegregátus in Evangélium Dei, quod ante promíſerat per Prophétas ſuos in Scriptúris ſanctis de Fílio ſuo, qui factus eſt ei ex sémine David ſecúndùm carnem, qui prædeſtinátus eſt Fílius Dei in virtúte ſecúndùm ſpíritum ſanctificatiónis ex reſurrectióne mortuórum Jeſu Chriſti Dómini noſtri: per quem accépimus grátiam, & Apoſtolátum, ad obediéndũ fidei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus eſtis & vos vocáti Jeſu Chriſti: ómnibus qui ſunt Romæ, diléctis Dei, vocátis ſanctis. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Primùm quidẽ grátias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro ómnibus vobis: quia fides veſtra annuntiátur in univérſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui sérvio in ſpíritu meo in Evangélio Fílii ejus, quòd ſine intermiſſióne memóriam veſtrî fácio ſemper in oratiónibus meis: óbſecrans, ſi quo modo tandem aliquándo próſperum iter hábeam in voluntáte Dei veniéndi ad vos.

Lectio ij. v. 11. *ad* 18.

DEſídero enim vidére vos, ut áliquid impértiar vobis grátiæ ſpirituális ad confirmándos vos: id eſt, ſimul conſolári in vobis, per eam quæ ínvicem eſt, fidem veſtram, atque meam. Nolo autem vos ignoráre, fratres, quia ſæpè propóſui veníre ad vos, (& prohíbitus ſum uſque adhuc) ut áliquem fructum hábeam & in vobis, ſicut & in cæteris géntibus: Græcis ac Bárbaris, ſapiéntibus & inſipiéntibus débitor ſum: ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizáre. Non enim erubéſco Evangéliũ. Virtus enim Dei eſt in ſalútem omni credénti; Judæo primùm, & Græco. Juſtítia enim Dei in eo revelátur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.

Lectio iij. v. 18. *ad* 25.

REvelátur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnẽ impietátem & injuſtítiam hóminum eórum, qui veritátem Dei in injuſtítia détinent: quia quod notũ eſt Dei, manifẽſtũ eſt in illis. Deus enim illis manifeſtávit. Inviſibília enim ipsíus, à creatũra mundi, per ea quæ facta ſunt, intellécta, conſpiciúntur: ſempitérna quoque

ejus virtus, & divínitas: ita ut ſint inexcusábiles. Quia cùm cognovíſſent Deum, non ſicut Deum glorificavérunt, aut grátias egérunt: ſed evanuérunt in cogitatiónibus ſuis, & obſcurátum eſt insípiens cor eórum: dicéntes enim ſe eſſe ſapiéntes, ſtulti facti ſunt. Et mutavérunt glóriam incorruptíbilis Dei, in ſimilitúdinem imáginis corruptíbilis hóminis, & vólucrum, & quadrúpedũ, & ſerpéntium. Propter quod trádidit illos Deus in deſidéria cordis eórum, in immundítiam: ut contuméliis affíciant córpora ſua in ſemetípſis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio 4. Ex Joan. Sarisberienſi Epp. Carnot.

THomas Londíni Gilbérto & Mathílde paréntibus ortus, litterárum ſtúdia Paríſiis felíciter absólvit. Repetítâ deínde Angliâ, públicis munéribus cum laude geſtis, Theobáldo ſuccéſſit Cantuariénſi Epíſcopo: & qui ántea ſe regis Cancellárium præclárè géſſerat, omnes paſtorális officii partes invíctâ ánimi fortitúdine adimplévit; verùm dum opes Eccléſiæ, quas contra fas magnátes inváſerant, líberè víndicat, in ipſum véhemens exardéſcit ódiũ. Nec minùs Henríci regis ánimum offéndit, dum Epíſcopos ad obſervándas conſuetúdines Eccléſiæ júribus contrárias adígere voléenti reſíſtit fórtiter; hinc magna in Thomam furit tempéſtas. Anniténte rege, ab Epíſcopis in conciliábulo damnátus in exílium péllitur. Sed perículis intérritus, infráctus advérſis, nullâ vi, nullo terróre, nullis amicórum & propinquórum ſupplícibus lácrymis, à ſenténtiâ dimovéri pótuit.

Lectio v.

EXul Thomas, Sénonas ad Alexándrum Papam ſe cóntulit, in ejus manus, depóſito ánnulo, Epiſcopátu ceſſúrus: in ſuo gradu juſſus consíſtere, à Pontífice, Abbáti Pontiniacénſi hoſpes excipiéndus cõmendátur. Mirum auſterióri vitæ, quam ſtatim ab inauguratióne ampléxus fúerat, quãtas vigiliárum, jejuniórum, & oratiónum conſuetúdines, in monaſtério degens, addíderit. Nec ibi dudum quieſcere lícuit. Minácibus Henríci in totum Ciſterciénſem Ordinem lítteris è Pontiníaco exturbátus, favénte Ludovíco séptimo Gálliæ Rege, Sénonas in ſanctæ Colúmbæ monaſtérium concéſſit: ubi iíſdem in pietáte exercítiis, eâdem ánimi patiéntiâ, ómnibus ſe præbuit exémplum mirábile.

Lectio vj.

A Géntibus Alexándro & Ludovíco, in Angliâ tandem revérſus Thomas,

effúsâ populórum gratulatióne excipitur: qui dum Epiſcopale munus eo péragit, quo cœperat ánimo; ecce novis ad Henricum calumniis defértur, tamquam advérsùs regnum & quiétem públicam multa clàm molítus. His falsis delatiónibus ceſſit ídeò Rex nímiùm crédulus, ut querens ſæpiùs díceret: Per unum Sacerdótem ſtare quóminùs in regno pace fruerétur. Nec malévolos imprúdens ſermo látuit. Inde áulici quátuor, gratum ſe Regi factúros rati, ſi Epíſcopū è médio tóllerent, trajécto mari, Cantuáriam advéniunt, Thomam in templo Veſpertínis Horis óperam dantem aggreſsúri. Cléricis autem templi áditus præclúdere conántibus, intrépidus accúrrit Thomas. Templi, inquit ad ſuos, páteat óſtium; non eſt more Caſtrórum cuſtodiénda Dei Eccléſia: tum ad mílites: Vos, juſſu Dei, cavéte ne cuípiam meórum noceátis. Flexis deínde génibus, Deo, beátæ Maríæ, ac ſancto Dyoníſio Mártyri Eccléſiam, & ſeipſum commméndans, eâdem, quâ jura Eccléſiæ vindicáverat conſtántiâ, caput ferro præcidéndum óbtulit, quarto Caléndas Januárii, anno Chriſti milléſimo centéſimo ſeptuagéſimo: quem multis póſtea miráculis inſígnem Alexánder inter Sanctos adſcrípſit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. 11.

IN illo témpore; Dixit Jeſus quibúſdam ex Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor ánimā ſuā dat pro óvibus ſuis. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

In Evangel. Joan. Homil. 60.

MAgna res, dilectíſſimi, magna res eſt Eccléſiæ prælátio, & quæ multâ índiget ſapiéntiâ & fortitúdine, qualem Chriſtus propóſuit; ut ánimam pro óvibus ponámus, & numquam illas deſerámus, & ut lupo generóſè reſiſtámus. Hæc enī inter paſtórem & mercenárium eſt differéntia; ſcílicet, quòd hic, própriæ, contémptis óvibus; ille, ſuâ contēptâ, óvium ſemper ſalúti invígilet.

Lectio viij.

PAſtóris exémplo demonſtráto, deceptóres duos méminit Chriſtus; furem mactántem, & rapiéntem oves; & mercenárium permittentem, neque defendéntem commíſſas. Per illū, Theudam, & ejus aſſertóres; per hunc Judæórum miniſtros ſignat, qui nullam curam commíſſis óvibus adhibébant. Quod olim Ezéchiel his verbis inſectátus eſt: Væ paſtóribus Iſrael: nonne paſcébant ſemetípſos? nonne oves paſcúntur à paſtóribus?

Sed illi contrárium faciébant; quod máximæ malítiæ genus eſt, & plurimórũ cauſa malórum. Ideò, inquit, neque errántem reducébant, neque pereúntem quærébant, neque confráctum alligábant; neque infírmum conſolidábant; quóniam ſe, non oves paſcébant.

Lectio ix.

IDem Paulus ſignificat, dicens: Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti: & íterum: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quæ próximi. Verùm Chriſtus ab utróque ſe diſſidére oſténdit: ab illis quidem, qui in aliórum perníciem véniunt, cùm dicat proptérea ſe veníſſe, ut vitam habérent, & abundántiùs habérent; ab iis autem qui oves ſibi commíſſas deféndere negligébant, dicéndo ſe propter oves ánimam pónere, vidélicet, ne illæ períerent: nam cùm Judæi ipſum interímere vellent, non proptérea déſtitit à doctrínâ, neque credéntes trádidit; ſed pérſtitit, & pértulit mortem: ídeò frequénter inquit: Ego ſum paſtor bonus.

In Laudibus fiunt commemorationes Octavarum, ut infrà notatur poſt Dominicam intrà Octavam Nativitatis.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.
Seſſ. 23. de Reform. C. 4.

PRimâ Tonſúrâ non initiéntur qui Sacraméntũ Confirmatiónis non ſuſcéperint; & de quibus probábilis conjectúra non ſit, eos non ſæculáris judícii fugiéndi fraude, ſed ut Deo fidélem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegíſſe.

Veſperæ erunt de Dominica intra Octavam Nativitatis, ut infrà.

DIE XXX. DECEMBRIS.

Eo die, fit Officium de Dominica intra Octavam Nativitatis in quamcumque diem Octavæ inciderit Dominica; incipiendo Officium pridie ad Veſperas.

AD VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi ut in Nativitate Domini. pag. 250.

Capitulum. Epheſ. 1. 9. 10.

PRopóſuit Deus in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

HYMNUS. Per muta, &c. *ut in primis Veſperis Nativ.*

℣. Hic eſt Deus, Deus noſter: ℟. Ipſe reget nos in ſæcula. *Pſ.* 47. 15.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *F.* Ecce nos vénimus ad te; tu enim es Dóminus Deus noſter: verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jerem.* 3. 22. 23.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Deinde fit commemoratio S. Thomæ per Antiph. ad Magn. *ex 2. Veſperis unius Martyris. Poſtea omiſſâ commemoratione Octavæ Nativitatis, fiunt aliæ cõmemorationes Sanctorum*

ut infrà notatur, pag. 287.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Verbum caro factum eſt; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 14.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

Verus eſt Deus, qui Redemptor nobis venit.

Ant. t. 4. *a.* Fílius Dei venit: hic eſt verus Deus, & vita ætérna. 1. *Joan.* 5. 20.

Ant. t. 1. *d.* Deus, ex ſémine David, ſecúndùm promiſſiónem, edúxit Iſrael Salvatórem Jeſum.. *Act.* 13. 23.

Ant. t. 7. *c.* Ipſe eſt pax noſtra, ſolvens inimicítias in carne ſua, ut reconcíliet Deo. *Epheſ.* 2. 14. 16.

℣. In ſplendóribus ſanctórum; ℟. Ex útero génui te. *Pſ.* 109. 3.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 9.

PRopter quod inexcuſábilis es, ô homo omnis, qui júdicas. In quo enim júdicas álterum, teipſum condémnas: éadem enim agis quæ júdicas. Scimus enim quóniam judícium Dei eſt ſecúndùm veritátem in eos qui tália agunt. Exíſtimas autem hoc, ô homo, qui júdicas eos qui tália agunt, & facis ea, quia tu effúgies judícium Dei? An divítias bonitátis ejus, & patiéntiæ, & longanimitátis contémnis? Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? Secúndùm autem durítiam tuam, & impœnitens cor, theſaurízas tibi iram in die iræ, & revelatiónis juſti judícii Dei, qui reddet unicuíque ſecúndùm ópera ejus: iis quidem, qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis, glóriam, & honórem, & incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam: iis autem qui ſunt ex contentióne, & qui non acquiéſcunt veritáti, credunt autem iniquitáti, ira & indignátio.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, * Et Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti ſunt. * Et Deus. *Joan.* 1. 1. 3. *Pſ.* 32. 6.

Lectio ij. v. 9. *ad* 17.

TRibulátio & angúſtia in omnem ánimam hóminis operántis malum, Judæi primùm, & Græci: Glória autem, & honor, & pax omni operánti bonum, Judæo primùm, & Græco: non enim eſt accéptio perſonárum apud Deum. Quicúmque enim ſine lege peccavérunt, ſine lege peribunt: & quicũque in lege peccavérũt, per legẽ judicabúntur. Non enim auditóres legis juſti ſunt apud Deum, ſed factóres legis juſtificabúntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturáliter ea, quæ legis ſunt, fáciunt, ejuſmodi legem non habéntes, ipſi

ſibi ſunt lex : qui oſténdunt opus legis ſcriptum in córdibus ſuis, teſtimónium reddénte illis conſciéntiâ ipsórum, & inter ſe ínvicem cogitatiónibus accusántibus, aut étiam defendéntibus, in die, cùm judicábit Deus occúlta hóminum, ſecúndùm Evangélium meum, per Jeſum Chriſtum.

℟. Cum ſit ſplendor glóriæ, * Et figúra ſubſtántiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. ℣. Candor eſt lucis ætérnæ, ſpéculum ſine mácula Dei majeſtátis. * Et figúra. *Hebr.* 1. 3. 4. *Sap.* 7. 26.

Lectio iij v. 25. ad finem.

CIrcumcíſio quidem pródeſt, ſi legem obsérves : ſi autem prævaricátor legis ſis, circumcíſio tua præpútium facta eſt. Si ígitur præpútium juſtítias legis cuſtódiat : nonne præpútium illíus in circumciſiónem reputábitur ? Et judicábit id, quod ex natúra eſt præpútium, legem consúmmans, te, qui per lítteram & circumciſiónem prævaricátor legis es ? Non enim qui in maniféſto, Judæus eſt : neque quæ in maniféſto, in carne, eſt circumcíſio : ſed qui in abſcóndito, Judæus eſt : & circumcíſio cordis in ſpíritu, non litterâ : cujus laus non ex homínibus, ſed ex Deo eſt.

℟. Cũ introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit : Et * Adórent eum omnes Angeli Dei : thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi : virga æquitátis, virga regni tui. ℣. Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus ; & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. * Adórent. Glória. * Adorent. *Hebr.* 1. 6. 8. *Pſ.* 96. 6.

IN II. NOCTURNO.

Verè pro nobis homo factus eſt.

Ant. t. 1. *a.* Quia púeri communicavérunt carni & ſánguini, ſimíliter participávit eíſdem ; ut repropitiáret delícta pópuli. *Hebr.* 2. 14 17.

Ant. t. 3. *a.* Dedit poteſtátem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1. 12.

Ant. t. 5. *a.* Grátias Deo, qui nos tránſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ ; in quo habémus redemptiónem, remiſſiónem peccatorum. *Col.* 1. 12. 13 14.

℣. Véritas de terra orta eſt ; ℟. Et juſtítia de cœlo proſpéxit. *Pſ.* 84. 12.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

In Natali Domini. 9.

Lectio iv. Cap. 1.

EXcédit quidem, dilectíſſimi, multùmque ſuperéminet humáni elóquii facultátem divíni óperis magnitúdo ; & inde óritur difficúltas fandi, unde adeſt rátio non tacéndi : quia in Chriſto Jeſu Fílio Dei, non ſolùm ad divínam eſſéntiam,

ſed étiam ad humánam ſpectat natúram, quod dictum eſt per Prophétam: Generatiónem ejus quis enarrábit? Utrámque enim ſubſtántiam in unam conveníſſe persónam, niſi fides credat, ſermo non éxplicat: & ídeò nũquam matéria déficit laudis, quia numquam súfficit cópia laudatóris. Gaudeámus igitur, quòd ad eloquéndum tantæ miſericórdiæ ſacraméntum ímpares ſumus; & cùm ſalútis noſtræ altitúdinẽ prómere non valeámus, ſentiámus nobis bonũ eſſe quòd víncimur. Nemo enim ad cognitiónem veritátis magis propínquat, quàm qui intélligit in rebus divínis etiámſi multùm profíciat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Nam qui ſe ad id, in quod tendit, perveníſſe præſúmit, non quæſita répperit, ſed in inquiſitióne defécit.

℟. Sic Deus diléxit mundũ, ut Fílium ſuum Unigénitum daret; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, ſed hábeat vitam ætérnam. ℣. Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, Dómine, in ſalútem cum Chriſto tuo. * Ut omnis. *Joan.* 3. 16. *Habac.* 3. 13.

Lectio v.

NE autẽ infirmitátis noſtræ perturbémur anguſtiis, evangélicæ nos & prophéticæ ádjuvant voces, quibus ita accéndimur, & docémur, ut nobis Nativitátem Dómini, quâ Verbum caro factum eſt, non tam prætéritam recólere, quàm præséntem videámur inſpícere. Quod enim paſtóribus, pro gregum ſuorum cuſtódia vigilantibus, nuntiávit Angelus, étiam noſtrum implévit audítum: & ídeò Domínicis óvibus præſumus, quia verba divínitus édita cordis aure ſervámus; tamquam & in hodiérna feſtivitáte dicátur: Evangelizo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo, quia natus eſt hódie vobis Salvátor, qui eſt Chriſtus Dóminus, in civitáte David. Cujus prædicationis ſummitáti exultátio innumerabílium júngitur Angelórum, ut excelléntius fíeret teſtimónium, cui milítiæ cœléſtis multitúdo concíneret in honórem Dei, unà benedictióne dicéntium: Glória in excélſis Deo, & in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Dei ergo glória eſt ex matre Vírgine Chriſti naſcéntis infántia. In terra autem illa pax concéditur, quæ hómines éfficit bonæ voluntátis. Quo enim ſpíritu de intemerátæ Matris viſcéribus náſcitur Chriſtus, hoc de ſanctæ Eccléſiæ útero renáſcitur Chriſtiánus, cui vera pax eſt, à Dei voluntáte non dívidi, & in his ſolis quæ Deus díligit, delectári.

℟. Chriſtus, cùm in forma Dei eſſet, * Semetípſum exinanívit formam ſervi ac-

cípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. ℣. Ergone credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? * Semetípſum. *Philip.* 2. 6. 7. 2. *Paral.* 6. 18.

Lectio vj. Cap. 2. *&* 3.

NAtálem ígitur, dilectíſſimi, diem Dómini celebrántes, qui ex ómnibus præteritórum témporũ diébus eléctus eſt; licèt diſpenſátio actiónum corporálium, ſicut ætérno consílio fúerat præordináta, transíerit, tótaque Redemptóris humílitas in glóriam patérnæ majeſtátis evécta ſit, ut in nómine Jeſu omne genu flectátur cœléſtium, terréſtriũ, & infernórum; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus in glória eſt Dei Patris: indeſinénter tamen ipſum partũ ſalutíferæ Vírginis adorámus, & illam Verbi & carnis indiſſolúbilem cópulam non minùs ſuſcípimus in præsépe jacéntẽ, quàm in throno patérnæ altitúdinis conſidéntem. Dignum eſt enim atque convéniens, ut dicénte Apóſtolo: Si compátimur & conglorificábimur, ſint humilitátis Chriſti compartícipes, qui ſunt futúræ glóriæ cohærédes.

℞. Convértere, Jacob, * Ambula per viam ad ſplendórem ejus contra lumen ejus: † Ne tradas álteri glóriam tuam, & dignitátem tuam genti aliénæ. ℣. Per Chriſtum máxima & pretióſa nobis promíſſa donávit Deus: ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ. * Ambula. Glória. † Ne tradas. *Baruch.* 4. 2. 3. 2. *Petr.* 1. 4.

IN III. NOCTURNO.

Credite; nam non credentibus erit lapis offenſionis.

Ant. t. 5. *a.* Hic eſt lapis, qui factus eſt in caput ánguli; & non eſt in álio áliquo ſalus. *Act.* 4. 11. 12.

Ant. t. 6. *f.* Vobis honor credéntibus: non credéntibus autem factus eſt lapis offenſiónis, & petra ſcandali. 1. *Pet.* 2. 7. 8.

Ant. t. 8. *g.* Quómodo nos effugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalútem? *Hebr.* 2. 3.

℣. A Dómino factum eſt iſtud; ℞. Et eſt mirábile in óculis noſtris. *Pſ.* 117. 23.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. *v.* 33.

IN illo témpore: Erat pater Jeſu & mater mirántes ſuper his quæ dicebántur de illo; & benedíxit illis Símeon, & dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce póſitus eſt hic in ruínam, & in reſurrectiónem multórum in Iſrael. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Luc. Cap. 2. *Lib.* 1.

PAtrem Salvatóris appéllat Joſeph, non quòd verè juxta Photiniános pater

fúerit ejus, ſed quòd ad famam Maríæ conſervándam, pater ſit ab ómnibus æſtimátus. Neque enim oblítus Evangeliſta, quòd eam de Spíritu ſáncto concepiſſe, & Vírginem peperiſſe narrárit Quamvis & eo modo pater illius váleat dici, quo & vir Maríæ rectè intelligitur, ſine commixtióne carnis, ipsâ copulatióne conjúgii, multò vidélicet conjúnctiùs, quàm ſi eſſet aliúnde adoptátus. Neque enim proptérea non erat appellándus Joſeph pater Chriſti, quia eum non genúerat, quandóquidem rectè pater eſſet étiam ejus, quem non ex ſua cónjuge procreátum alícubi adoptáſſet.

℟. Erat pater Jeſu, & mater mirántes ſuper his quæ dicebántur de illo. * Et benedíxit illis Símeon. ℣. Miráti ſunt in illo, & honoravérunt Deum. * Et benedíxit. *Luc.* 2. 33. 34. *Eccli.* 11. 13.

Lectio viij.

Ecce póſitus eſt hic in ruínam & in reſurrectiónem multórum in Iſrael, & in ſignum cui contradicétur. Bene in reſurrectiónem, quia lumen eſt, quia glória plebis Iſrael; quia dicit: Ego ſum reſurréctio & vita. Quómodo autem in ruínam? Niſi quia & lapis offenſiónis eſt & petra ſcandali; id eſt, ruínæ his qui offéndunt verbo, nec credunt. De quibus ipſe dicit: Si non veníſſem & locútus eis fuiſſem, peccátum non habérent; nunc autem excuſatiónem non habent de peccáto ſuo. Qui non in ſeipſo tantùm, ſed in ſuis quoque prædicátibus in ruínā póſitus eſt reſurrectionémque multórum, teſtánte Apóſtolo, qui ait: Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſalvi fiunt, & in his qui péreunt. Qui enim verbum quod audit amándo ſéquitur, bono odóre reſúrgit, & ſalvátur. Qui odiéndo inſéquitur, eódem ipſo bono odóre córruit, & móritur. Signum autem cui contradicétur, fidem Domínicæ crucis accipe; de qua Apóſtolo Paulo dicunt Judæi: Nā de ſectâ hac notū eſt nobis quòd ubíque ei cōtradícitur.

℟. Ecce pono in Sion lápidem ſummum angulárem, hic factus eſt in caput ánguli, & lapis offenſiónis, * His qui offéndunt verbo, nec credunt. ℣. Dóminum ſanctificáte, & erit vobis in ſanctificatiónem; in lápidem autem offenſiónis habitántibus Jerúſalem. * His qui. 1. *Pet.* 2. 6. 7. 8. *Iſ.* 8. 13. 14.

Lectio ix.

Ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Incértum erat quondam, qui Judæórum grátiam Chriſti, quam ventúram útique nóverant, recípere, qui autem reſpúere mallent. At ejus Nativitáte audíta, re-

veláτis mox córdium cogitatiónibus, Heródes rex turbátus eſt, & omnis Jeroſólyma cum illo. Paſtores cum timóre & gáudio Deo laudẽ réſonant, homínibus pacis núntium pandunt. Ejus doctrínâ & virtúte diffamátâ, álii ad eum quaſi magíſtrum veritátis cónfluunt, álii ab eo quaſi ſeductóre refúgiunt. Ejus ſigno crucis erécto, hi quaſi juſtè morti dari blaſphemántes irrídent, illi quaſi vitæ auctórem mori ácriter dolent. Sed & uſque hódie, & uſque ad conſummatiónem ſæculi, præséntis Eccléſiæ ánimam gládius duríſſimæ tribulatiónis pertransíre non ceſſat, cùm ſigno fidei ab ímprobis contradíci, cùm audíto Dei verbo, multos cum Chriſto resúrgere, ſed plures à credulitáte rúere gemebúnda pertráctat; cùm, revelátis multórum córdium cogitatiónibus, ubi óptimum Evangélii ſevit ſemen, ibi zizánia vitiórum, vel plus juſto prævalére, vel étiam, quod dictu grave eſt, ſola germináre ac regnáre cónſpicit.

℟. Iſrael in legem juſtítiæ non pervénit; offendérunt enim in lápidem offenſiónis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lápidẽ offenſiónis, * Et † Omnis qui credit in eum, non cõfundétur. ℣. Hæc dicit Dóminus: Mittam in fundaméntis Sion lápidem probátum, anguláre m, pretióſum. * Et omnis. Glória. † Omnis. *Rom.* 9. 31. 32. 33. *Iſ.* 28. 16.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos. Pſalmi, Antiphonæ, & Canticum ut in die Nativitatis Domini.*

Capitulum. Gal. 4. 4. 5.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fíliũ ſuum, factum ex mulíere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erãt, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℣. Ecce cognóvi, ℟. Quóniã Deus meus es. *Pſ* 55. 10.

Ad Bened. *Ant.* ℣. I. *F.* Ecce póſitus eſt hic in ruínã, & in reſurrectiónem multórum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicétur. *Luc.* 2. 34.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, dírige actus noſtros in beneplácito tuo; ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre; Per eumdem, &c.

Non fit commemoratio Octavæ, ſed fiunt commemorationes ſanctorum Stephani, Joannis, & Innocentium, ut infrà notatur.

AD HORAS BREVES.

Omnia ut in die Nativitatis.

CANON

Ex Concílio Senonenſi.

Ann. 1528. *Cap.* 23.

PRofeſſiónem ſuam Clérici probent hábitu; ſcílicet, ut per decéntiam há-

bitûs extrínſeci, intrínſecam morum honeſtátem oſténdant.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ & Pſalmi ut in 2. Veſperis Nativit. pag. 250.

Capitulum 1. Tim. 2. 5. 6.

UNus Deus, unus & mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus.

HYMNUS. Feſtis, tertia &c. ut in 2 Veſp. Nativ.

℣. Benedixíſti, Dómine, terram tuam; ℟. Avertíſti captivitátem Jacob. *Pſ.* 84. 2.

Ad Magn. *Ant. t. 6. f.* Anna vídua confitebátur Dómino, & loquebátur de illo, ómnibus qui expectábant redemptiónem Iſrael. *Luc.* 2. 38.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

Fit commemoratio S. Sylveſtri per Antiphonam ad Magn. *ex primis Veſperis unius Pontificis; deinde omiſſâ commemoratione Nativitatis, fiunt aliæ commemorationes ut infrà.*

COMMEMORATIONES INTRA OCTAVAM NATIV. DOMINI.

De Nativitate Domini.

In Laudibus. Ant. Deus Iſrael viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ; & eréxit cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui. *Luc.* 1. 68. 69.

℣. Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudíſti me; ℟. Et factus es mihi in ſalútem. *Pſ.* 117. 28.

Oratio.

COncéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem Nativitas líberet, quos ſub peccáti jugo, vetúſta ſérvitus tenet; Per eumdem Chriſtum Dóminum.

Ad Veſperas, Ant. Hosánna Fílio David: benedíctus qui venit in nómine Dómini: hosánna in altíſſimis. *Matth.* 21. 9.

℣. Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus. ℟. Et exaltétur Deus ſalútis meæ. *Pſal.* 17. 47.

Oratio ut ſuprà.

DE SANCTO STEPHANO.

In Laudibus. Ant. Lapidábant Stéphanum invocántem, & dicéntem: Dómine Jeſu, ſúſcipe ſpíritum meum. *Act.* 7. 58.

℣. Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſal.* 118. 158.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine, imitári quod cólimus; ut diſcámus & inimícos dilígere; quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiã pro perſecutóribus exoráre Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Ad Veſper. Ant. Invocávit Dóminum omnipoténtem; & ſic Dóminus glorificávit eum, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 6. 7.

℣. Confirmátum eſt cor ejus; ℟. Non commovébi-

tur donec deſpíciat inimícos ſuos. *Pſ.* 111. 8.

DE SANCTO JOANNE.

In Laudibus. Ant. Quod audívimus, quod vídimus, quod manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum. 1. *Joan.* 1. 1. 3.

℣. Teſtimónia tua intelléxi. ℟. Omnis conſummatiónis vidi finem. *Pſ.* 118. 95. 96.

Oratio.

ECcléſiam tuam, Dómine, benígnus illúſtra; ut beáti Joánnis Apóſtoli tui & Evangeliſtæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat ſempitérna; Per, &c.

Ad Veſper. Ant. Hic eſt diſcípulus ille, qui teſtimónium pérhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus, quia verum eſt teſtimónium ejus. *Joan.* 21. 24.

℣. Lingua mea cálamus ſcribæ, ℟. Velóciter ſcribéntis. *Pſ.* 44. 2.

DE SANCTIS INNOCENTIBUS.

In Laud:b. Ant. Hi ſunt qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

℣. Deus noſter miſerétur. ℟. Cuſtódiens párvulos Dóminus. *Pſ.* 114. 5. 6.

Oratio.

DEus, cujus hodiérnâ die præcónium innocéntes Martyres non loquendo, ſed moriéndo confeſſi ſunt, ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua noſtra lóquitur, étiam móribus vitá fateátur; Per &c.

Ad Veſp. Ant. Beáti, qui lavant ſtolas ſuas in sánguine Agni, ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

℣. Requírens sánguinem eórum recordátus eſt Dóminus; ℟. Non eſt oblítus clamórem páuperum. *Pſ.* 9. 13.

DIE XXXI. DECEMBRIS.

S. SYLVESTRI PAPÆ.

Dupl. 4. Claſ.

Omnia de Communi unius Pontificis: Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtloi ad Romános.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 9.

QUid ergo ámpliùs Judæo eſt? aut quæ utílitas circumciſiónis? Multũ per omnem modum. Primũ quidem, quia crédita ſunt illis elóquia Dei. Quid enim, ſi quidam illórum non credidérunt? Numquid incredúlitas illórum fidem Dei evacuábit? Abſit. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptũ eſt: Ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris. Si autem iníquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicémus? Nũquid iníquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecúndùm hóminem

minem dico.) Abſit. Alióquin quómodo judicábit Deus hunc mundũ? Si enim véritas Dei in meo mendácio abundávit in glóriam ipsíus: quid adhuc & ego tamquam peccátor júdicor? Et non (ſicut blaſphemámur, & ſicut áiunt quidam nos dícere) faciámus mala, ut véniant bona: quorum damnátio juſta eſt.

Lectio ij. v. 9. ad 11. *&* 19. *ad* 23.

QUid ergo? Præcéllimus eos? Nequáquã. Causáti enim ſumus Judæos & Græcos omnes ſub peccáto eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quiſquã: non eſt intélligens, non eſt requírens Deum... Scimus autem, quóniam quæcúmque lex lóquitur, iis qui in lege ſunt, lóquitur: ut omne os obſtruátur, & súbditus fiat omnis mundus Deo: quia ex opéribus legis non juſtificábitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognítio peccáti. Nunc autem ſine lege juſtítia Dei manifeſtáta eſt; teſtificáta à lege & Prophétis. Juſtítia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: non enim eſt diſtínctio.

Lectio iij. v. 23. *ad finem.*

OMnes enim peccavérũt, & egent glóriâ Dei. Juſtificáti gratìs per grátiam ipsíus, per redemptiónem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propóſuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus, ad oſtenſiónem juſtítiæ ſuæ, propter remiſſiónẽ præcedéntium delictorum, in ſuſtentatióne Dei, ad oſtenſiónẽ juſtítiæ ejus in hoc témpore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtíficans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti. Ubi eſt ergo gloriátio tua? Exclúſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei. Arbitrámur enim juſtificari hóminem per fidem ſine opéribus legis. An Judæórũ Deus tantùm? Nonne & Géntium? Imò & Gentiũ. Quóniam quidem unus eſt Deus, qui juſtíficat circumciſiónẽ ex fide, & præpútium per fidem. Legem ergo deſtrúimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatúimus.

IN II. NOCTURNO.

Lect. 4. *Ex actis Concil. Arelat. & Niceni.*

SYlveſter Románæ Eccléſiæ Présbyter, eâ virtútum laude enítuit, quâ, ad ſuprémum Eccléſiæ faſtígiũ, poſt Melchíadem évehi mererétur. Ejus Pontificátum célebrem fecérunt ſimul & Pontíficis ſanctitas, & res eo tempore geſtæ. Dum Eccléſiam régeret, coáctum eſt è divérſis Gálliæ, Itáliæ, Africæ, Hiſpániæ, & Británniæ Provínciis Arelaténſe Concílium, in quo de váriis decrétum eſt. Statútum in primis, ut Paſcha uno eodémque die per orbem

univérſum peragerétur, rogaretúrque Sylvéſter, qui, pro conſuetúdine, lítteras ipſe ad omnes dirígeret. De non repeténdo Baptíſmo contra Donatíſtas lex ſancíta: diſcúſſâ Cœcílii Carthaginénſis Epíſcopi causâ, à váriis, quibus impetebátur, calúmniis innocens judicátur.

Lectio v.

VErùm huic Concílio cùm adéſſe non potuíſſet Sylvéſter, ad eum his verbis ſcripsére Patres: Utinã, frater dilectíſſime, ad hoc tantum ſpectaculum interéſſe tanti fecíſſes! Profécto crédimus, quia in eos ſevérior fuíſſet ſenténtia proláta; & te páriter nobíſcum judicánte, cœtus noſter majóre lætítiâ exultáſſet: ſed recédere à pártibus illis mínimè potuíſti, in quibus & Apóſtoli quotídie ſedent, & cruor ipsórum ſine intermiſſióne Dei glóriam teſtátur. Plácuit autem Pátribus de rebus in Concílio geſtis, & éditis Canónibus, ad ipſum ſcríbere, ut per eum potíſſimùm, qui majóres Diœcéſes tenebat, ómnibus inſinuaréntur. Ipſo étiam Pontífice, orbi data per Conſtantínum pace, inſtauráte ſunt basílicæ, ſacri præſcripti ritus, & indícta váriis in locis Concília.

Lectio vj.

ERúpit tunc témporis nefaria in Chriſti divinitátem Arii impíetas: acceſſérunt váriæ de páſchate diſſenſiónes, quibus non parùm agitabátur Ecclésia. His comprimendis hábitum eſt Nicéæ in Bithínia Concílium, quò convenére trecénti & octódecim Epíſcopi. Synodo interéſſe non pótuit Sylvéſter, ſed præfuérunt, qui ab ipſo miſſi ſunt, Legáti. Ab his proſcríptæ Arii blaſphémiæ, éditum fídei ſymbolum, & lata lex de páſchate Domínicâ poſt décimã quartam Lunam Mártii ab ómnibus in pósterùm celebrándo: Per decénnium, ab his feliciter peráctis, rexit Eccléſiam Sylvéſter; & virtútum, annorúmque plenus, diem extrémum óbiit, anno Dómini trecentéſimo trigéſimo quinto.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. 35.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Ex. in Pſ. 118. Serm. 14. n. 7.

LUceat tibi ſemper lucérna Verbum Dei: lúceat & lucérna córporis tui óculus tuus. Conſcientia tua lucens, bene in hoc córpore lucérnæ lux eſt; quia ipſa eſt oculus tuus. Sit purus óculus tuus. Si conſciéntia tua munda ſit, munda eſt

caro tua; ſi autem tenebróſa eſt conſciéntia tua, étiam corpus tuum conſciéntiæ tuæ nocte tenebróſum eſt. Lucérnæ ergo & nos ſumus, quanto opérti córpore, vix áliquid exíguum habéntes, unde lucére poſsímus.

Lectio viij. n. 11.

SIt fides tibi itíneris tui pravia: ſit tibi iter Scriptúra divína. Bonus eſt cœléſtis ductus eloquii. Ex hac lucérna accénde & tu lucérnam; ut lúceat intérior óculus tuus, qui lucérna eſt tui córporis. Multas habes lucérnas? Accénde omnes; quia dictum eſt tibi: (Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ veſtræ ardéntes.) Quia multæ ſunt ténebræ, multæ ſunt lucérnæ neceſsáriæ; ut meritórum noſtrórum in tantis ténebris lumen elúceat.

Lectio ix. n. 12.

LUceat ergo ſemper lucérna tua. Arguit Chriſtus étiam eos qui utúntur lucérnâ, ſi non ſemper utántur, dicens: (Sint lumbi veſtri præcíncti & lucérnæ ardéntes.) Non ad horam exultémus in lúmine. Ad horam exúltat qui audit verbum in Eccléſia, & gaudet: egréſſus autem oblivíſcitur quod audívit, & négligit. Ille eſt qui ſine lucérna in domo ſua ámbulat: ideòque in ténebris ámbulat, qui ópera tenebrárum facit in comeſſatiónibus & ebrietátibus, in cubílibus & impudicitiis, in contentiónibus & æmulatiónibus, indútus veſtiménta diáboli, non Chriſtū. Hæc fiunt quando verbi lucérna non lucet.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſs. 14. de Reform. Cap. 6.

ETſi hábitus non facit Mónachum, opórtet tamen Cléricos, veſtes próprio congruéntes Ordini ſemper deférre; ut per decéntiam hábitûs extrínſeci, morum honeſtátem intrínſecam oſtendant.

In Laudibus, fit commem. de Octavis, ut ſuprà.

Veſperæ de ſequenti ſine ullis commemorationibus.

DIE I. JANUARII.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI, & Feſto SS. NOMINIS JESU.

Duplex j. Claſſis.

Solemne - Minus.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Exultate: en ex nomine Jeſu Salvator declaratur.

Ant. t. 1. D. DOmine, Deus meus es tu; exaltábo te, & confitébor nómini tuo; quóniam feciſti mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles. *Iſ.* 25. 1.

Ant. t. 3. a. Tu, Dómine, Redémptor noſter: à ſæculo nomen tuum. *Iſ.* 63. 16.

Ant. t. 5. F. Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, in

ſalútem cum Chriſto tuo. *Habac.* 3. 13.

Ant. t. 6. *F.* Feciſti in nobis, Dómine Deus noſter, ſecúndùm omnem bonitátem tuam. *Bar.* 2. 27.

Ant. t. 2. *d.* Ego autem in Dómino gaudébo; & exultábo in Deo Jeſu meo. *Habac.* 3. 18.

Capitulum. Eccli. 39. 19. 20.

BEnedícite Dóminum in opéribus ſùis. Date nómini ejus magnificéntiam, & confitémini illi in voce labiórum veſtrórum.

℟. Ecce vénio: in cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei. ℣. Hóſtiam & oblatiónem noluiſti: corpus autem aptáſti mihi. * Deus meus, &c. Glória. * Deus. *Pſ.* 39. 8. 9. *Hebr.* 10. 5.

HYMNUS.

FElix dies hæc, quam próprio Deus
Feſtínus aris sánguine cónſecrat:
Quâ fluxit, orbi ſpes, tenéllis
Impátiens cruor ire venis.
Hora eſt: inánes cédite víctimæ:
Sacris quid ardet multus adeps focis?
Fugâtur ũbræ: ſe figúris
Súfficit hóſtia vera Chriſtus.
Matúrat infans ſiſtere ſe Patri,
En, inquit, adſum, quod lubet ímpera:
Infírma dudum thura fumant:
Juſſa ſequi vénio parátus.
Hæc dixit infans: & ſílicis ſacro
Cruóre tinctæ vúlnera súſtinet:
Sic ſe cruéntâ morte quõdam
Tiro crucis; vovet immolándum.
Nomen veréndum pro prétio tibi
Fluéntis ultrò sánguinis índitur,
O Chriſte! nobis, ut vocáris,
Incipis & ſimul eſſe Jeſus.
Ingráta gens, quò cogis amor Deum?
Pares amóris quid rénuis vices?
Seſe litánti, pro cruóre
Tu púero lacrymas repende.
Qui nos creáſti ſit tibi laus, Pater;
Fili Redémptor, par tibi glória;
Tu, Flamen, almi fons amóris,
Perpétuo celebráre cultu. Amen.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico: ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſalm.* 68. 31.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Dedit ſe ut liberáret pópulum ſuum, & acquíreret ſibi

nomen ætérnum. 1. *Mach.* 6. 44.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum tuum ab ætérno Deum pro nobis in ætérnum hóminem eſſe voluíſti: fac nos, quæſumus, hanc ineffábilem ac diviníſſimam vitam Verbi in humanitáte, & humanitátis in Verbo vitæ júgiter celebráre; ut ejus ſpíritu animémur in terris, & ejus aſpéctu perfruámur in cœlis, Qui noſtra vita eſt, & glória, & tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

Nullæ fiunt Commem. in his Veſperis, nec in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Nativit. Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Factum ſub lege Fílium,* Veníte, adorémus. *Galat.* 4. 4.

IN I. NOCTURNO.

In circumciſione carnis, cordis circumciſionem intelligite.

In Pſalm. 8. Dómine, Dóminus noſter, *pag.* 28.

Ant. t. 1. *a.* Quid eſt homo quòd memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum? Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis. *v.* 5. 6.

In Pſalm. 39. Expéctans, expectávi Dóminum, *p.* 95.

Ant. t. 4. *E.* Holocáuſtum pro peccáto non poſtuláſti: tunc dixi: Ecce vénio. *v.* 7. 8.

In Pſalm. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *pag.* 96.

Ant. t. 5. *A.* Dóminus virtútum nobíſcum: ſuſcéptor noſter Deus Jacob. *v.* 12.

℣. Protéctor noſter áſpice, Deus: ℟. Et réſpice in fáciem Chriſti tui. *Pſ.* 83. 10.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Románoş.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 2. *ad* 4. *&* 9. *ad* 16.

SI Abraham ex opéribus juſtificátus eſt, habet glóriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptúra? Crédidit Abraham Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Dícimus, quia reputáta eſt Abrahæ fides ad juſtítiam. Quómodo ergo reputáta eſt? In circumciſióne, an in præpútio? Non in circumciſióne, ſed in præpútio. Et ſignum accépit circumciſiónis, ſignáculum juſtítiæ fidei quæ eſt in præpútio. Non enim per legem promíſſio Abrahæ aut sémini ejus, ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtítiam fídei. Si enim qui ex lege hærédes ſunt, exinaníta eſt fides, abolíta eſt promíſſio. Lex enim iram operátur: ubi enim non eſt lex, nec prævaricátio.

℟. Semen Abraham ſervi ejus, filii Jacob elécti ejus, ipſe Dóminus Deus noſter:* Memor fuit verbi quod diſpóſuit ad Abraham, & ſtátuit Jacob in præcéptum, & Iſrael in teſtaméntum ætérnum. ℣. Dico Chriſtum miníſtrum fuíſſe circumciſiónis propter veritátem Dei, ad

confirmándas promiſſiónes patrum. * Memor fuit. Pſ. 104. 6. 7. 8. 9. 10. Rom. 15. 8.

Lectio ij. v. 16. ad finem.

IDeò ex fide, ut secúndùm grátiam firma ſit promíſſio omni sémini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt ómnium noſtrûm,.. qui contra ſpem in ſpem crédidit, ut fíeret pater multárum géntium,.... & non infirmátus eſt fide, nec conſiderávit corpus ſuum emórtuum, cùm jam ferè centum eſſet annórum, & emórtuam vulvam Saræ. In repromiſſióne étiam Dei non hæſitávit diffidéntiâ; ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo: pleníſſimè ſciens, quia quæcúmque promíſit, potens eſt & fácere, ideò & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, Quia reputátum eſt illi ad juſtítiam; ſed & propter nos quibus reputábitur credéntibus in eum, qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrũ à mórtuis; qui tráditus eſt propter delícta noſtra, & reſurréxit propter juſtificatiónem noſtram.

℟. Circumcídite præpútium cordis veſtri, & * Cervícem veſtram ne indurétis ámpliùs; quia Dñus Deus veſter ipſe eſt Deus deórum, & Dóminus dominantiũ. ℣. Finis præcépti eſt cháritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Cervícem. Deuter. 10. 16. 17. 1. Tim. 1. 5.

Lectio iij. Cap. 5. v. 1. ad 10.

JUſtificáti ergo ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & habémus accéſſum per fidem in grátiam iſtam, in qua ſtamus & gloriámur in ſpe glóriæ filiórum Dei. Non ſolùm autem, ſed & gloriámur in tribulatiónibus: ſciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò ſpem: ſpes autem non confúndit: quia cháritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritũ ſanctum, qui datus eſt nobis. Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſémus, ſecúndùm tempus pro ímpiis mórtuus eſt? Vix enim pro juſto quis móritur: nam pro bono fórſitan quis áudeat mori? Commédat autem charitátem ſuam Deus in nobis, quóniam cùm adhuc peccatóres eſſémus, ſecúndùm tempus Chriſtus pro nobis mórtuus eſt: multò ígitur magis nunc juſtificáti in ſánguine ipſius, ſalvi érimus ab ira per ipſum.

℟. Jerúſalem cívitas ſancti, non adjíciet ultrà ut pertránſeat per te incircumcíſus & immúndus. * Quia hæc dicit Dóminus: Gratìs venúmdati eſtis, & ſine argénto redimémini.

℣. In Chriſto Jeſu circũcíſi eſtis circumciſióne non manufáctâ in expoliatióne córporis carnis; ſed in circumciſione Chriſti. * Quia
Iæc. *Iſ.* 52. 1. 3. *Coloſſ.* 2. 11.

IN II. NOCTURNO.

Circumciſus hodie Jeſus, Salvatorem ſe probat.

In Pſalm. 66. Deus, miſereátur noſtrî. *Pag.* 81.

Ant. t. 5. *a.* Confiteántur tibi, Deus, pópuli omnes: terra dedit fructum ſuum. *v.* 6. 7.

In Pſalm. 73. Ut quid, Deus, repuliſti in finem. *cum ſua diviſione. Pag.* 64.

Ant. t. 7. *a.* Deus Rex noſter operátus eſt ſalútem in médio terræ. *v.* 12.

In Pſalm. 84. Benedixíſti, Dómine, terram tuam. *Pag.* 78.

Ant. t. 3, *A.* Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ: operuíſti ómnia peccáta eórum. *v.* 3.

℣. Lætábimur in ſalutári tuo; ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur. *Pſ.* 19. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Sermo I. *in Circumciſ. num.* 2.

Lectio iv.

MAgnum & mirábile ſacraméntum! Circumcíditur puer, & vocátur Jeſus. Quid ſibi vult iſta connéxio? Circumcíſio nempe, ſalvándi pótiùs, quàm Salvatóris eſſe vidétur; & Salvatórem circumcídere decet, quàm circumcídi. Sed agnóſce Mediatórem Dei & hóminum, qui ab ipſo Nativitátis ſuæ exórdio divínis humána sóciat, ima ſummis. Náſcitur ex muliere; ſed cui fœcunditátis fructus ſic accédat, ut non décidat flos virginitátis: pannis invólvitur; ſed panni ipſi angélicis láudibus honorántur: abſcónditur in præſépio; ſed próditur radiánte ſtellâ de cœlo. Sic & circumcíſio veritátem probat ſuſcéptæ humanitátis; & nomen quod eſt ſuper omne nomen, glóriam índicat majeſtátis.

℟. Fílius datus eſt nobis, & vocábitur nomen ejus, Admirábilis, Conſiliárius, * Deus, fortis, pater futúri ſæculi, princeps pacis.

℣. Poſtquam conſummáti ſunt dies octo, ut circumciderétur puer, vocátum eſt nomen ejus Jeſus. * Deus. *Iſ.* 9. 6. *Luc.* 2. 21.

Lectio v.

CIrcumcíditur, tamquã verus Abrahæ filius; Jeſus vocátur tamquam verus Fílius Dei. Neque enim ad inſtar priórum meus iſte Jeſus, nomen vácuum aut ináne portat. Non eſt in eo magni nóminis umbra, ſed véritas. Cœlitùs síquidẽ índitum nomen Evangelíſta teſtátur: Quod vocátum eſt ab Angelo, priúſquam in útero conciperétur. Et atténde verbi profunditátem. Poſtquam natus eſt Jeſus,

Jeſus vocátur ab homínibus, quo nómine vocátus eſt ab Angelo, priúſquam in útero conciperétur. Idem quippe, & Angeli Salvator, & hóminis; ſed hóminis ab incarnatióne, Angeli ab inítio creatúræ.

℟. Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: mementóte, quóniam excélſum eſt nomen ejus. * Annuntiáte hoc in univérſa terra. ℣. Dignus es, Dómine, accípere glóriam; quóniam redemíſti nos in ſánguine tuo. * Annuntiáte hoc. *Iſ.* 12. 4. 5. *Apoc.* 5. 12. 9.

Lectio. 6. *n.* 3. *&* 4.

ET nos, fratres, circúmcídi necéſſe eſt, & ſic nomen ſalútis accípere: circumcídi ſanè non litterâ, ſed ſpíritu & veritáte. Salvátor noſter & circumcídi octávo die, & poſt annum triceſimum dignátus eſt crucifígi: cujus ſimilitúdini mortis complantámur & nos, ut ſcribit Apóſtolus, nimírum, quod noviſſimè tráditum eſt, obſervántes. Quæ eſt ergo morális circumcíſio noſtra, niſi quam commendat idem Apóſtolus? Victum, ínquiens, & veſtítum habéntes, his conténti ſimus. Optimè prorſus circumcídit nos, & ſupérflua réſecat univérſa, voluntária hæc paupértas, pœniténtiæ labor, obſervátio diſciplínæ.

℟. Salvos nos fac, Dómine Deus noſter: * Ut confiteámur nómini ſancto tuo, & gloriémur in laude tuâ. ℣. Spíritu ſervímus Deo, & gloriámur in Chriſto Jeſu, non in carne fidúciam habéntes. * Ut confiteámur. Glória. * Ut. *Pſ.* 105. 47. *Philipp.* 3. 3.

IN III. NOCTURNO.

Eò quòd exinaniverit ſemetipſum, datur illi nomen quod eſt ſuprà omne nomen.

In Pſalm. 86. Fundaménta ejus. *Pag.* 99.

Ant. t. 8. *g.* Sion dicet: Homo & homo natus eſt in ea; & ipſe fundávit eam Altíſſimus. *v.* 5.

In Pſalm. 95. Cantáte Dómino cánticum novum.... cantáte. *Pag.* 124.

Ant. t. 6. *f.* Afférte Dómino glóriam, & honórem; afférte Dómino glóriam nómini ejus. *v.* 7. 8.

In Pſalm. 98. Dóminus regnávit, iraſcántur. *Pag.* 81.

Ant. t. 5. *F.* Confiteántur nómini tuo magno; quóniam terríbile, & ſanctum eſt. *v.* 3.

℣. Voluntáriè ſacrificábo tibi; ℟. Et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum eſt. *Pſ.* 53. 8.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. 21.

IN illo témpore: Poſtquam conſummáti ſunt dies octo ut circumciderétur Puer, vocátum eſt nomen ejus, Jeſus. Et réliqua.

Homilia ſancti Cyrilli Alexandríni Epíſcopi.

Homil. in Occ. Domini, inter diverſas.

VIdimus nuper infántulum in præsépi jacéntẽ Emmánuel, & humáno more fáſciis involútum, ſed à ſancto Angelórum exércitu divínis láudibus celebrátũ; ii namque paſtóribus ortum ejus annũtiárunt. Deus enim & Pater eximium hunc véluti honórem cœlítibus tríbuit, ut primi Chriſtum prædicárent. Hactenus autem per ea quæ modò lecta ſunt, videámus Moſäicis cedéntẽ légibus; quin pótiùs eum, qui divínâ legem majeſtáte ſanxit, ſuis ipſum légibus ſubjéctum. Quam ob causã, doctúrus eſt ſapientíſſimus Paulus, dicens: Cùm eſſémus párvuli, ſub eleméntis mundi erámus: at ubi venit plenitúdo témporis, míſit Deus Fílium ſuum factum ex muliére, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redímeret. Itaque redémit Chriſtus de maledícto legis, eos qui ſub lege erant, non tamen eos qui legem ſervá-verant.

℞. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ: * Non confundémini, dicit Dóminus creans cœlos, ipſe Deus formans terram. ℣. Omnis quicúmque invocáverit nomẽ Dñi, ſalvus erit. * Non confundémini. *Iſ.* 45. 17. 18. *Rom.* 10. 13.

Lectio viij.

REdémit autẽ: quonámodo? Illam adimplens. Item, álio modo; ſe Deo & Patri in ómnibus pro nobis obediéntem éxhibens, quo noſtræ ex Adam prævaricatiónis crimen dilúeret. Scriptum eſt enim: Sicut per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres conſtitúti ſunt multi; ita & per uníus obediéntiã juſti conſtituéntur multi. Subjécit ítaque nobíſcum legi cervícem: atque id, prudénti consílio benignâque accommodatióne: decébat enim eum implére omnem juſtítiam. Nam & cùm ſervi formam aſſúmpſiſſet; eam ob cauſam velut in ſervórum númerum aſcríptus ratióne humanitátis, tributórum exactóribus unà cum áliis didrágma ſolvit, quamvis natúrâ liber eſſet, ac nulli vectigális, ut Fílius.

℞. Chriſtus Jeſus ſemetípſum exinanívit, formam ſervi accípiens, * Propter quod & Deus exaltávit illũ, & donávit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. ℣. Erit Nazaræus Dei ab infántia ſua, & ipſe incípiet liberáre Iſrael. * Propter quod. *Philip.* 2. 7. 9. *Judic.* 13. 5.

Lectio ix.

CUm ergo illum víderis ſerváre legem, cave, offendáris; nec inter ſervos líberum cólloca, ſed divíni consílii altitúdinem pótiùs mente répuṭa. Igitur cùm

octáva dies adveníſſet, quâ die carnis circumcíſio ex legis præſcrípto fieri ſolébat, nomen áccipit, nimírum, Jeſus, quod expónitur, Salus mundi. Sic enim Deus & Pater Filium ſuum nomināri vóluit ex muliere ſecúndùm carnē génitū. Tunc enim certè factus eſt ſalus pópuli; nec unius tantùm, ſed multórum, quin & ómnium géntium, ac univérſæ terræ. Eódem ígitur témpore circumcíſus eſt, & nomen accépit.

℞. In nómine Jeſu omne genu flectátur cœleſtium, terréſtrium, & infernórū; * Et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jeſus Chriſtus in glória eſt Dei Patris. ℣. Propter gloriā nóminis tui, Dómine, líbera nos; & propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum. * Et omnis lingua. Glória. * Et omnis. *Phil.* 2. 10. 11. *Pſ.* 78. 9.

AD LAUDES.

Non eſt niſi in nomine Jeſu ſalus.

℣. *Sacerdot.* Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; ℞. Annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus. *Pſ.* 95. 2.

Pſalmi de Dominica.

Canticum ut in Laudibus Nativitatis Domini.

Ant. t. 3. a. VOcátū eſt nomen ejus, Jeſus, quod vocátum eſt ab Angelo, priúſquam in útero conciperétur. *Luc.* 2. 21.

Ant. t. 5. *F.* Tantò mélior Angelis effèctus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. *Hebr.* 1. 4.

Ant. t. 2. *d.* Omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. *Act.* 10. 43.

Ant. t. 6. *F.* Non eſt in álio áliquo ſalus; nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. *Act.* 4. 12.

Ant. t. 7. *D.* Ipſe eſt pax noſtra médium pariétē macériæ ſolvens inimicítias in carne ſua; ut duos condat in ſemetípſo in unum novū hóminem, fáciens pacem. *Epheſ.* 2. 14. 15.

Capitulum. Hebr. 2. 16. 17.

NUſquam Angelos apprehéndit, ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli.

℣. Exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. ℞. Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram. *Pſ.* 148. 13. 14.

Ad Bened. *Ant. t.* 6. *F.* Propter nímiam charitátem quâ diléxit nos Deus, convivificávit nos in Chriſto; cujus grátiâ eſtis ſalváti, ut oſténderet in ſæculis ſuperveniéntibus abundántes di-

vítias grátiæ ſuæ, in bonitáte ſuper nos in Chriſto Jeſu. *Epheſ.* 2. 4. 5. 7.

Oratio.

DEus, qui Unigénitum tuum ab ætérno Deū, pro nobis in ætérnum hóminem eſſe voluíſti: fac nos, quæſumus, hanc ineffábilem ac diviníſſimam vitam Verbi in humanitáte, & humanitátis in Verbo vitæ júgiter celebráre; ut ejus ſpíritu animémur in terris, & ejus aſpéctu perfruámur in cœlis, Qui noſtra vita eſt & glória, & tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus; Per ómnia ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Ad Horas breves, Pſalmi & Hymni de Dominica, Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine, &c. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Florentíno.

Ann. 1439. *in Decret. Eug.* 4.

NE in ſolemnitátibus diſpar ſit Chriſtianórum ritus, decérnimus, ut feſta Nativitátis Salvatóris noſtri vigéſimâ quintâ Decémbris; Circumciſiónis ejúſdem, primâ Januárii; Epiphániæ, ſextâ ejúſdem Januárii; Præſentatiónis Dómini in templo ſecúndâ Februárii, débeant ſolémniter celebrári.

AD TERTIAM.

Capitulum. Hebr. 1. 5. 6.

CUi dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te? & rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in fílium?

℟. A ſolis ortu uſque ad occáſum * Laudábile nomen Dómini. Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, & ✝ Super cœlos glória ejus. ℣. Proptérea confitébor tibi, Dómine, & nómini tuo cantábo * Laudábile. Glória. ✝ Super. *Pſ.* 112. 3. 4. *Rom.* 15. 9.

℣. Sanctum & terríbile nomen ejus: ℟. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini, allelúia. *Pſ.* 110. 9. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 10. 11. 12.

OMnis qui credit in illum, non confundétur: non enim eſt diſtínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum.

℟. *br.* Sperent in te, qui novérunt nomen tuum: * Allelúia, allelúia. Sperent. ℣. Quóniam non dereliquíſti quæréntes te, Dómine: * Allelúia. Glória. Sperent. *Pſ.* 9. 11.

℣. In Deo laudábimur totâ die: ℟. Et in nómine tuo confitébimur in ſæculum, allelúia. *Pſ.* 43. 9.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 13. 15.

PEr Chriſtum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus.

℟. *br.* Afférte Dómino glóriam nómini ejus: * Allelúia, allelúia. Afférte. ℣. Dóminus benedícet pópulo ſuo in pace. * Allelúia. Glória. Afférte. *Pſ.* 28. 2. 11.

℣. Benedícam te, Dómine, in vita mea. ℟. Et in nómine tuo levábo manus meas, allelúia. *Pſ.* 62. 5.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur, Lauda, Jeruſalem, Dóminum, *pag.* 93.

Ant. t. 3. *A.* VIdéte qualem charitátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur, & ſimus. 1. *Joan.* 3. 1.

Ant. t. 5. *F.* Dedit poteſtátem fílios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus. *Joan.* 1. 12.

Ant. t. 2. *d.* Sciátis quóniã vitam habétis ætérnam, qui créditis in nómine Fílii Dei. 1. *Joan.* 5. 13.

Ant. t. 6. *F.* Si autem fílii, & hærédes: hærédes quidem Dei, cohærédes autem Chriſti. *Roman.* 8. 17.

Ant. t. 7. *D.* In dilécto Fílio ſuo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum. *Eph.* 1. 6. 7.

Capitulum. Coloſſ. 3. 17.

FRatres, Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

HYMNUS.

MUltis tyránni cædibus ínclyti,
Victis capéſſant nómina géntibus,
O Chriſte, quantò liberátæ
Nobílius tibi nomen addunt?
Quòd cuncta mundi crímina díluat
Sanguis cruénto vúlnere prófluens,
Jeſus vocáris: qui dolóres
Hocce tibi meruére nomen!
Orbis per auras non datur álterum,
Quo fas ſalútem póſcere pérditis:
Hoc invocáto, terra, cœli,
Prona pavent: fremit omnis orcus.
At dum tremíſcens omne genu cadit,
Quàm cordis auri dulce ſapit tuum
Cognómen, ô Jeſu! loquéntem
Audio: vis meus eſſe Jeſus.
Períre quondam degéneres, tuo
Qui gloriámur nómine, non ſinas,
Hàc voce nobis augurátũ
Pérfice

Pérfice, Chriſte, ſalútis
Omen.
Carnes, ut olim, ſcíndere
nihil refert:
Majóra ritus myſticus éxprimit.
De corde, Jeſu, vis malignas
Lege novâ reſecáre fibras.
Qui nos creáſti, ſit tibi
laus, Pater:
Fili Redémptor, par tibi
glória:
Scribens in imo corde
legem,
Par tibi, Flamen, honos
in ævum. Amen.

℣. Salvávit eos propter nomen ſuum: ℟. Ut notam fáceret poténtiam ſuam. *Pſ.* 105. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *F.* Ipſe eſt propitiátio pro peccátis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totíus mundi. 1. *Joan.* 2. 4.

Oratio ut ſuprà.

Deinde fit commemoratio S. Stephani tantùm (etiamſi ſit Sabbatum) per Antiphonam ſequentem.

Ant. Congregátæ ſunt ſuper te gentes multæ; quæ dicunt: Lapidétur; & aſpíciat in Sion óculus noſter: ipſi autem non cognovérunt cogitatiónes Dómini. *Mich.* 4. 11. 12.

℣. In memória ætérna erit juſtus. ℟. Ab auditióne mala non timébit. *Pſalm.* 111. 7.

Oratio.

Omnípotens ſempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani ſánguine dedicáſti; tríbue, quæſumus, ut pro nobis intercéſſor exíſtat, qui pro ſuis étiam perſecutóribus exorávit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum, &c.

OFFICIUM DOMINICÆ

(Si qua occurrat) inter Circumciſionem & Epiphaniam.

Si Dominica quædam incidat in diem 2. *vel* 3. *vel* 4. *Januarii, Officium fiet de Dominica, cum commemoratione Octavarum & Sanctorum occurrentium.*

Si Dominica incidat in Vigiliam Epiphaniæ, fiet Officium eo modo quo dicetur infrà in dicta Vigilia.

Dominica illa incidens in diem 2. *Januarii non habebit I. Veſperas, nec de ea fiet commemoratio in II. Veſperis Circumciſionis: ſecùs ſi incidat in diem* 3. 4. *vel* 5.

PRIDIE,
AD VESPERAS.

Pſalmi de Sabbato. Antiph. de Laudibus, ut infrà.

Capitulum. Act. 10. 36.

Verbum miſit Deus fíliis Iſrael, annúntians pacem per Jeſum Chriſtum: hic eſt ómnium Dóminus.

Hymnus. Verbum quod ante, &c. *ut infrà in Veſperis Dominicæ.*

℣. Lætábimur in ſalutári tuo, ℟. Et in nómine Dei noſtri magnificábimur. *Pſ.* 19. 6.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Ecce Dóminus aſcéndet ſuper nubē levē, & ingrediétur Ægyptum, & commovebúntur ſimulácra Ægypti à fácie ejus. *Iſ.* 19. 1.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jeſum de María natum * Venite, adorémus. *Matth.* 1. 16.

IN I. NOCTURNO.

Quàm pauper & humilis naſcitur & vivit Jeſus.

Ant. t. 1. *D.* Péperit María Filium ſuum primógenitum, & pannis eum invólvit. *Luc.* 2. 7.

Ant. t. 3. *a.* Reclinávit eum in præsépio; quia non erat eis locus in diversório. *Luc.* 2. 7.

Ant. t. 4. *a.* Vulpes fóveas habent, & vólucres cœli nidos: Filius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. *Matth.* 8. 20.

℣. Vídeant páuperes, & læténtur: ℟. Quærite Deum, & vivet ánima veſtra. *Pſal.* 68. 33.

Tres Lectiones de Scriptura occurrente, ſecúndùm diem menſis in quam incidet hæc Dominica. Hæ Lectiones reperientur in 1. *Nocturno Officiorum ſequentium, & dicentur ſub Reſponſoriis ſequentibus.*

℟. 1. Scitis grátiam Dómini noſtri Jeſu Chriſti, quóniam propter vos * Egénus factus eſt, cùm eſſet dives; ut illíus inópiâ vos dívites eſsétis. ℣. Exúlta, fília Sion, júbila, fília Jeruſalem; ecce Salvátor, ipſe pauper. * Egénus 2. *Cor.* 8. 9. *Zach.* 9. 9.

℟. 2. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognóvit. * In própria venit, & ſui eum non recepérunt. ℣. Dóminus locútus eſt: cognóvit bos poſſeſsórē ſuum: Iſrael autem me non cognóvit. * In própria. *Joan.* 1. 10. 11. *Iſ.* 1. 2. 3.

℟. 3. Cùm in forma Dei eſſet, * Semetípſum exinanívit formā ſervi accípiens, in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. ℣. Quia diléxit vos Dóminus. * Semetípſum. Glória. * Semetípſum. *Phil.* 2. 6. 7. *Deut.* 7. 8.

IN II. NOCTURNO.

Ipſius paupertas & humilitas ſint nobis in exemplum.

Ant. t. 5. *a.* Sicut accepíſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipſo ambuláte. *Col.* 2. 6.

Ant. t. 6. *f.* Humiliávit ſemetípsū, factus obédiens. *Phil.* 2. 8.

Ant. t. 8. *g.* Omnia fácito ſecúndùm exémplar quod tibi oſténſum eſt. *Heb.* 8. 5.

℣. Juxta eſt Dñus: ℟. Húmiles ſpíritu ſalvábit. *Pſalm.* 33. 19.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Lectio iv. Serm. 380. *n.* 2.

VEnit Dóminus naſcéndo de Vírgine María, non de patris ſubſtántia. Duas enim Dómini Nativitátes accépimus, unam divínam, álteram humánam; tamen utrámque mirábilem: illam ſine matre, iſtam ſine patre: illam ætérnam, ut creáret temporálem; hanc temporálem, ut præſtáret ætérnam. Ille tantus in forma Dei æquális Patri, ille ſine témpore fábricans témpora, ille ex nullo ſæculo, ante ómnia ſæcula judex ſæculi; factus eſt tam parvus, ut de fœmina naſcerétur; ſed manſit tam magnus, ut à Patre non ſepararétur.

℟. Dómine, quid eſt homo, quòd memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam viſitas eum? * Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis. ℣. Eum, qui módicò quàm Angeli minorátus eſt, vidémus Jeſum. * Minuíſti. *Pſ.* 8. 5. 6. *Hebr.* 2. 9.

Lectio v.

EI præbéntes teſtimóniũ omnes Prophétæ prænuntiavérunt eum. Oportébat enim ut prænuntiarétur ventúrus, mirácula factúrus: quibus miraculis, bene intelligéntibus indicarétur Deus; humáno autem aſpéctu vidéntibus apparéret homo, parvus ad parvos, ſed humilis ad ſupérbos: parvitáte ſuâ docens hóminẽ, ut ſe agnóſceret parvum; ne, non grandeſcéndo, ſed tumeſcéndo ſe créderet magnum. Eſt enim ſupérbia, non magnitúdo, ſed tumor. Ut ergo géneris humáni iſtũ tumórem ſanáret ipſe médicus, ipſe medicína; non ſolùm medicaméntum ádhibens, ſed medicaméntum ſe fáciens, appáruit inter hómines homo, ófferens hóminem vidéntibus, Deum ſervans credéntibus.

℟. Cùm eſſet Filius Dei, * Dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, obediéntiam; factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ. ℣. In terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt. * Dídicit. *Hebr.* 5. 8. 9. *Baruc.* 3. 38.

Lectio vj. n. 2. 6. & 7.

O Homo, propter quem Deus factus eſt homo, áliquid magnum te crédere debes; ſed deſcénde, ut aſcéndas; quia & Deus deſcendéndo factus eſt homo. Adhæréſce medicaménto tuo, imitare magíſtrum tuum, agnoſce Dominum tuum, ampléctere fratrem tuum, intellige Deum tuum. Húmilis Deus venit ad ſupérbum hóminem: Agnoſcat homo ſe hominem. Ideò venit Chriſtus, ut humiliarétur homo, & ex humilitáte creſceret homo. Agnoſcat ſe ergo homo humilem, agnoſcat excélſum Deum propter

ſe humiliátum; ut homo, qui humiliátus erat in confeſſióne peccati, exaltétur in adeptióne juſtítiæ.

℟. Débuit per ómnia frátribus ſimilári; * Ut miséricors fíeret. † In eo enim in quo eſt tentátus, potens eſt & eis qui tentántur auxiliári. ℣. Vídimus eum ſciéntem infirmitátem. * Ut miséricors. Glória. † In eo enim. *Hebr.* 2. 17. 18. *Iſ.* 53. 2. 3.

IN III. NOCTURNO.

Mirámini: tyrannum fugit hominem, ille qui Deus & potens eſt.

Ant. t. 7. c. Salvátor, quare futúrus es in terra quaſi viátor declinans ad manéndum? *Jerem.* 14. 8.

Ant. t. 1. *f.* Quare futúrus es velut vir vagus, ut fortis qui non poteſt ſalváre? *Jerem.* 14. 9.

Ant. t. 4. *a.* Verè tu es Deus abſcónditus, Deus Iſrael Salvátor. *Iſ.* 45. 15.

℣. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, ℟. Qui mandas ſalútes Jacob. *Pſ.* 43. 5.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2. 13.

IN illo témpore. Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & áccipe Púerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homília ſancti Petri Chryſólogi.

Serm. 150. *circa med.*

BEllicóſus, quòd in bello fugit, artis eſt, non timoris. Deus, quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pavóris. Potens quando ſe ſubdúcit infírmo, inſequéntem non pavet, ſed foris prodúcit: vult enim in apérto víncere, qui públicam reférre cupit ex hoſte victóriam: occúltum ſe non pátitur iníre conflíctum, qui mandáre ſuum ſæculis vult triúmphum. Secréta victória, virtúſque latens, exémplum pósteris non relínquunt. Hinc eſt quod Chriſtus fùgit, ut cedat témpori, non Heródi: neque enim mortem fugit, qui vénerat de hoſte reportáre victóriã: neque humánas inſídias expavéſcit, qui totas vénerat diabólicæ fraudis aperíre versútias: neque tũc tímuit, quando infans, & ſecúndùm hóminem timére neſcívit, & ſecúndùm Deum non pótuit timére.

℟. Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & áccipe púerum, & matrem ejus, & * Fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. ℣. Deſcénde in Ægyptum; ego deſcéndã tecum illuc, & ego inde addúcã te reverténtẽ. * Fuge in. *Matth.* 2. 13. *Gen.* 46. 3. 4.

Lectio viij.

CHriſtus, fratres, ſi mactátus in illo grege lacténtiũ tunc fuiſſet, mors ei caſus fúerat, non volúntas; non virtus fúerat, ſed infírmitas; necéſſitas fúerat, non poteſtas; & innocéntiæ fuiſſet prǽmium, majeſtátis glória non fuiſſet.... Chriſtus ſe in carne ventúrum, aſcensúrum per ætátum grádus, annuntiatúrum glóriã regni cœléſtis, prædicatúrũ fidei doctrínam, & império verbi ſolo fugatúrum dæmones, datúrum cæcis viſum, claudis curſum, mutis verbum, audítum ſurdis, peccatóribus remiſſiónem, mórtuis vitam, per legem promíserat & Prophétas. Unde hæc Chriſtus impletúrus vir, infans mortem diſtulit, non fugit.

℟. Consíderat peccátor juſtum; & quærit mortificáre eum. * Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus. ℣. Futúrum eſt ut Heródes quærat púerum ad perdéndum eum. * Dóminus. *Pſ.* 36. 32. 33. *Matth.* 2. 13.

Lectio ix. Serm. 151. *circa med.*

CHriſtus vénerat; ut quos præcéptis docúerat, firmáret exémplis: & ipſe fáceret quæ faciénda mandáverat: & viſu probáret poſſibília, quæ impoſſibília videbántur audítu. Vénerat, ut mundo notítiam ſuæ Deitátis infúnderet; & humáni géneris ignorántiam auférret. Vénerat, ut pigra mortálium corda ad fidem virtútibus excitáret. Vénerat diábolum público ſuperáre conflíctu; ut ab ómnibus & divíno vinceretur juſſu, & humáno proſterneretur exẽplo. Vénerat præséntiæ ſuæ promíſſa persólvere; ut quibus ſcire ſe déderat, concéderet ſe vidére... Ad ſummum vénerat mortem pérdere moriéndo, penetrándo inférna diſſólvere, reſurgéndo ſepúlchra reſeráre; aſcendéndo ad cœlos cœléſtibus donáre terrénos. Omnia hæc útique periiſſent nobis, ſi Chriſtus, cùm eſſet in cunábulis, non fugiſſet.

℟. Consúrgens Joſeph, * Accépit Púerum & matrem ejus nocte, & ſecéſſit in Ægyptum. ℣. Deus diſſipat cogitatiónes malignórum, ne poſſint implére manus eórum quod cœperant. * Accépit. Glória. * Accépit. *Matt.* 2. 14. *Job.* 5. 12.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus:

℟. Annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus. *Pſ.* 95. 2.

Pſalmi de Dominica.

Quanta Patris in nos charitas, qui Filium ſuum unigenitum dedit.

Ant. 1. *I. d.* DEus Fílium ſuum miſit benedicéntem vobis: ut convértat ſe

unuſquíſque à nequítia ſua. *Act.* 3. 26.

Ant. t. 3. *a.* In ipſo complácuit; omnem plenitúdinem inhabitáre; & per eum reconciliáre ómnia. *Coloſ.* 1. 19. 20.

Ant. t. 5. *a.* Ipſe eſt pax noſtra; ſolvens inimicítias in carne ſua. *Eph.* 2. 14.

Ant. t. 6. *f.* Convivificávit nos, ut oſténderet abundantes divítias grátiæ ſuæ in bonitáte ſuper nos. *Eph.* 2. 5. 7.

Ant. t. 8. *g.* In hoc appáruit cháritas Dei in nobis, quóniam Fílium ſuum unigénitum miſit, ut vivámus per eum. 1. *Joan.* 4. 9.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 14.

NOs vídimus, & teſtificámur, quóniam Pater miſit Fílium ſuũ Salvatórem mundi.

℣. Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Cognoſcétur Dóminus ab Ægypto, & cognóſcent Ægyptii Dóminum in die illa. *Iſ.* 19. 21.

Oratio.

DEus, qui in Unigénito tuo novam creatúram nos tibi eſſe feciſti: cuſtódi ópera miſericórdiæ tuæ, & ab ómnibus nos máculis vetuſtátis emúnda; ut per auxílium grátiæ tuæ, in illíus inveniámur formâ, in quo tecum eſt noſtra ſubſtántia; Qui tecum vivit, &c.

Fiunt commem. occurrentes.

Ad Horas, Pſalmi de Dominica. Antiph. de Laudibus.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ut notatur in die in qua fit Officium Dominicæ.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 2.

OMnis ſpíritus qui confitétur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.

℟. *br.* Ecce cognóvi * Quóniam Deus meus es. Ecce. ℣. In Deo laudábo verbũ. * Quóniam. Glória. Ecce *Pſ.* 55. 10. 11.

℣. Tu es, Deus, Salvátor meus. ℟. Et te ſuſtínui totâ die *Pſ.* 24. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 20.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus.

℟. *br.* Exultábit cor meũ * In ſalutári tuo. Exultábit. ℣. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi * In ſalutári. Glória. Exultábit. *Pſ.* 12. 6.

℣. Deus, ſuſcéptor meus. ℟. Deus meus, miſericórdia mea. *Pſ.* 58 18.

AD NONAM.

Capitulum. *Eph.* 4. 13. 14.

OCcurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, in virum

perfectum, in menſuram ætátis plenitúdinis Chriſti: ut jam non ſimus párvuli fluctuántes.

℟. *br.* In humilitáte noſtra * Memor fuit noſtri. In humilitáte. ℣. Redémit nos ab inimícis noſtris. * Memor. Glória. In humilitáte. *Pſ.* 135. 23. 24.

℣. Confitémini Deo cœli; ℟. Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. *Pſ.* 135. 26.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de Laudibus.

Pſalmi de Dominica.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 47. 48. 49.

PRimus homo de terra, terrénus: ſecúndus homo de cœlo cœléſtis. Qualis terrénus, tales & terréni: & qualis cœléſtis, tales & cœleſtes. Igitur, ſicut portávimus imáginem terreni, portémus & imáginem cœléſtis.

HYMNUS.

VErbum, quod ante ſæcula
Sinu patérno náſceris,
Recens homo ſub témpore
E Vírginis prodis ſinu.
Fatále rumpis vínculum,
Quo nos Adámus néxuit:
Reddes quod ille pérdidit;
Spes illa tecum náſcitur.
Jam dura diſcis pérpeti,
Quæ ferre par ſontes fuit:
Orbis ſalúti, flétibus
Prælúdis in cunis puer.
Fis pauper; indigéntiâ
Et nos tuâ ditéſcimus:
Luges, tuis & lácrymis
Totum lavas mundi ſcelus.
Pannis opértus vílibus
Lates, recúmbens in ſpecu:
Homo, ſupérbis! & Deũ
Panni, ſpecus, non dédecent.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine:
Quo Virgo ſit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Exultabo miſericórdiâ tuam; ℟. Quia factus es ſuſcéptor meus. *Pſ.* 58. 17.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *a.* Dictum eſt à Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægypto vocavi Fílium meũ. *Matth.* 2. 15.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Commem. Octavarum occurrentium.

Completorium, ut inter Nativitatem & Epiphaniam.

DIE II. JANUARII.

OCTAVA S. STEPHANI.

(*Niſi ſit Dominica.*)

Dupl. 3. *Claſ.*

Pſalmi de Feria, Antiphonæ, Reſponſoria, & reliqua ut in die, præter ea quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De Epiſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 10. *ad* 16.

SI cùm inimíci eſſémus, reconciliáti ſumus Deo per mortem Fílii ejus; mul-

tò magis reconciliáti, ſalvi érimus in vita ipſíus. Non ſolùm autem; ſed & gloriámur in Deo per Dñum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Proptérea, ſicut per unum hóminem peccátũ in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors, & ita in omnes hómines mors pertránſiit, in quo omnes peccavérunt. Uſque ad legẽ enim peccátum erat in mundo: peccátum autẽ non imputabátur, cùm lex non eſſet. Sed regnávit mors ab Adam uſque ad Móyſen, étiam in eos qui non peccavérunt in ſimilitúdinem prævaricatiónis Adæ qui eſt forma futúri. Sed non ſicut delíctum, ita & donum: ſi enim uníus delícto multi mórtui ſunt; multò magis grátia Dei & donum in grátia uníus hóminis Jeſu Chriſti in plures abundávit.

Lectio ij. v. 16. ad finem.

ET non ſicut per unum peccátum, ita & donum. Nam judícium quidem ex uno in condemnatiónem: grátia autem ex multis delíctis in juſtificatiónem. Si enim uníus delícto mors regnávit per unum; multò magis abundántiam grátiæ, & donatiónis, & juſtítiæ accipiéntes, in vita regnábunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur, ſicut per uníus delíctum in omnes hómines in condemnatiónem; ſic & per uníus juſtítiam in omnes hómines in juſtificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres conſtitúti ſunt multi; ita & per uníus obeditiónem, juſti conſtituéntur multi. Lex autem ſubintrávit, ut abundáret delíctum. Ubi autem abundávit delíctum, ſuperabundávit grátia; ut ſicut regnávit peccátum in mortem: ita & grátia regnet per juſtítiam in vitam ætérnam, per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

Lectio iij. Cap. 6. v. 1. ad 7.

QUid ergo dicémus? Permanébimus in peccáto, ut grátia abúndet? Abſit. Qui enim mórtui ſumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis quia quicúmque baptizáti ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſíus baptizáti ſumus? Conſepúlti enim ſumus cum illo per baptíſmũ in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurréxit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti ſumus ſimilitúdini mortis ejus; ſimul & reſurrectiónis érimus. Hoc ſciéntes, quia vetus homo noſter ſimul crucifíxus eſt, ut deſtruátur corpus peccáti, & ultrà non ſerviámus peccáto.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

In Nativit. S. Stephani 1. *n.* 1.

Lectio iv.

SI Mártyres in perſecutióne conſtitútos futúræ beatitúdinis præmia non cõſolaréntur, quómodo illa de divérſis paſſiónibus ſupplícia ſuſtinérent? Si beátus Stéphanus ſub imbre lápidũ conſtitútus, futúra præmia non cogitáſſet, quómodo illam grándinem pertuliſſet? Sed illíus præcéptum geſtábat in ánimo, cujus præséntiam cernébat in cœlo; & ad eum flagrantíſſimo amóre ſuſpénſus, carnem quantócius relínquere, & ad ipſum cupiébat advoláre: nec mortem jam timébat, quia Chriſtum, quem pro ſe occíſum ſciébat, vivéntem vidébat; ac per hoc feſtinábat étiam ipſe mori pro illo, ut víveret cum illo. ℟.

Lectio v. n. 2.

EIa, fratres, ſequámur eum. Si enim séquimur Stéphanum, coronábimur. Máximè autem ſequéndus & imitándus eſt nobis in dilectióne inimicórum. Noſtis enim, quia frequéntium inimicórum congregatióne circúmdatus, cùm crebris hinc & illinc ſaxórum íctibus tunderétur, mitis & lenis inter lápides quibus occidebátur, intuens illum pro quo occidebátur, non ait: Dómine, júdica óbitum meum; ſed, Accipe ſpíritum meum. Non ait: Dómine Jeſu, víndica ſervum tuum quem vis des iſto ſupplício mortis addíctum; ſed, Ne ſtátuas illis hoc peccátum.

Lectio vj.

PEr ſíſtẽs ergo beatíſſimus Martyr in teſtimónio veritátis, & charitátis ardens ſpíritu, pervénit ad glorioſíſſimum finem; & qui vocatus uſque ad finem perſeverávit, in fine quod vocabátur adéptus eſt. Sui nóminis glóriâ, Stéphanus pro Chriſto primus ſánguinem fudit: quaſi coróna præcéſſit de cœlo; ut eam súmerent ſequéntes in præmio, qui præcedéntis virtútem imitaréntur in prælio. Implevérunt póſtmodum terram crebra Martyria. Quicúmque póſtea ſánguinem pro Chriſti confeſſióne fudérunt, impoſuérunt corónam illam cápiti ſuo, & eam ſecutúris íntegram ſervavérunt. Et modò, fratres, de cœlo pendet; quiſquis eam concupíerit, ad eam velóciter volábit. Et ut ſanctitátem veſtram bréviter atque evidénter hortémur, multis non opus eſt verbis: ſequátur Stéphanum, quicũque desíderat corónã.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 23. 34.

IN illo témpore; Dicébat Jeſus Scribis & Phariſæis: Ecce ego mitto ad vos Pro-

phétas, & ſapiéntes, & ſcribas: & ex illis occidétis, & crucifigétis. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. in Matth.

HOc quod ántea dixerámus, Impléte mensúram patrum veſtrórum, ad personam Dómini pertinére eò quòd occidéndus eſſet ab eis; poteſt & ad diſcípulos ejus reférri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapiéntes, & ſcribas; & ex illis occidétis, & crucifigétis, & flagellábitis in ſynagogis veſtris; & perſequémini de civitáte in civitátem; ut impleátis menſuram patrum veſtrórum. Simulque obsérva, juxta Apoſtolum ſcribéntē ad Corínthios, vária eſſe dona diſcipulórum Chriſti: álios Prophétas, qui ventura prædicant; álios ſapientes, qui nóverint quando débeant proferre ſermonem: álios ſcribas in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stéphanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati, in Actibus Apoſtolorum diſcipuli.

Lectio viij.

JEruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophétas, & lápidas eos qui ad te miſſi ſunt. Jeruſalem, non ſaxa, & ædifícia civitátis, ſed habitatores vocat: quam patris plangit affectu; ſicut & in álio loco légimus, quod videns eam fléverit. In eo autem quod dicit: Quóties vólui congregáre filios tuos: omnes retro Prophétas à ſe miſſos eſſe teſtátur. Ecce relinquétur vobis domus veſtra desérta. Hoc ipſum ex persóna Jeremíæ jam ante díxerat: Relíqui domum meam; dimíſi hæreditátem meam: facta eſt mihi hæreditas mea quaſi ſpelúnca Hyænæ. Desértam Judæórum domum, id eſt, templum illud quod fulgebat augúſtius, óculis comprobámus; quia habitatórem Chriſtum pérdidit, & hæreditátem præripere géſtiens, occídit hærédem.

Lectio ix.

De ſancto Fulgentio Pontifice, ex ejus vita per Diſcipulum ſcripta.

FUlgéntius paréntes hábuit in Senátu Carthaginénſi præcípuos. Ingénio præſtans ſimul & índole, magnos in lítteris, in pietáte majóres progréſſus fecit. Vix annum attígerat ætátis ſuæ vigéſimum, cùm jam Régii Procuratóris múnere in Bizacéna Província fungerétur. Sed non multò poſt mūdi pertæſus, in Monaſtérium ſe contulit, qui totus Deo vacaret, & cœleſtibus. Ab Ariano Presbytero cæſus immániter, Confeſsoris Chriſti nomen adeptus eſt & gloriā. In Epiſcopum Ruſpenſem præter ſpē & mentē raptus, mox Traſamōdi Regis Ariáni juſſu, exul in Sardiniam de-

portátus eſt. Ibídem jam exulábant Præſules pluſquàm ſexagínta; quibus licèt ætáte & ordinatióne poſtrémus, ipſis tamen ad propugnánda tum grátiæ divínæ, tum Incarnatiónis dógmata, lingua fuit & ingénium. Hinc ádeò percrébuit Fulgéntii nomen, ut ipſum Traſamóndus Carthághinem evocáverit, qui tantum virum de fácie cognóſceret. Verùm ibi diu quiéſcere non lícuit; quòd enim multa & præclára pro fide ſcríberet, ſecúndò in Sardíniam exílio depéllitur. Mórtuo Traſamondo, Eccléſiæ ſuæ reſtitútus, cùm hanc per annos adhuc decem ſummis curis paviſſet & exémplis, móritur caléndis Januárii anno quingentéſimo trigéſimo tértio. Longâ ante óbitum ægritúdine, acerrimíſque fatigátus dolóribus, hæc ſæpiùs iterábat verba, digna ſanè quæ pósteris in patiéntiæ & humilitátis commendéntur exémplum: Da mihi, Dómine, hîc patiéntiam, póſtea indulgéntiam.

In Laud. fit com. S. Joan. & SS. Inn. & S. Fulg. ut in Com. Pontificis; Oratio Exaudi.

CANON

Ex Concílio Lateranénſi.

Ann. 1139. *Cap.* 4.

CLérici in ſtatu mentis, vel in hábitu córporis, Deo vel homínibus placére ſtúdeant; & nec in ſuperfluitáte, ſciſsúrâ aut colóre véſtium; nec in tonsúra, intuéntium, quorum forma & exémplum eſſe debent, offendant aſpéctum.

In 2. Veſp. com. S. Joan. ut poſt 2. Veſp. S. Steph. pag. 262. *Deinde com. SS. Inn. & S. Genovefæ, ut in Com. S. Virginum.*

Oratio.

EFfúnde ſuper nos, Dómine, ſpíritum agnitiónis & dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovefam implevíſti; ut sédulâ ejus imitatione tibi ſincérè famulántes, fide tibi & ópere placeámus; Per Dóminum.

DIE III. JANUARII.

(*Niſi ſit Dominica.*)

OCTAVA S. JOANNIS, APOSTOLI & EVANGEL.

Semiduplex.

Pſalmi de Feria. Cætera ut in die, præter ea quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 6. v. 8. *ad* 15.

SI autem mórtui ſumus cum Chriſto, crédimus quia ſimul étiam vivémus cum Chriſto: ſciéntes quòd Chriſtus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus eſt peccáto, mórtuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos exiſtimáte, vos mórtuos quidē eſſe peccáto, vivéntes autem Deo, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Non ergo regnet peccátum in veſtro mortáli córpore, ut obediátis concupiſcéntiis ejus.

Sed neque exhibeátis membra veſtra arma iniquitátis peccáto : ſed exhibéte vos Deo, tamquam ex mórtuis vivéntes : & membra veſtra arma juſtítiæ Deo. Peccátum enim vobis non dominábitur : non enim ſub lege eſtis, ſed ſub grátia.

Lectio ij. v 15. ad finem.

QUid ergo? Peccábimus, quóniam non ſumus ſub lege, ſed ſub grátia? Abſit. Neſcítis quóniam cui exhibétis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obedítis, ſive peccáti ad mortem, ſive obeditiónis ad juſtítiam? Grátias autē Deo, quòd fuíſtis ſervi peccáti, obedíſtis autem ex corde in eam formam doctrínæ, in quam tráditi eſtis. Liberáti autem à peccáto, ſervi facti eſtis juſtítiæ. Humánum dico, propter infirmitátem carnis veſtræ : ſicut enim exhibuíſtis membra veſtra ſervíre immundítiæ. & iniquitáti ad iniquitátem ; ita nunc exhibéte membra veſtra ſervíre juſtítiæ in ſanctificatiónem. Cùm enim ſervi eſsétis peccáti, líberi fuíſtis juſtítiæ. Quem ergo fructum habuíſtis tunc in illis, in quibus nunc erubéſcitis? Nam finis illórū mors eſt. Nunc verò liberáti à peccáto, ſervi autem facti Deo, habétis fructum veſtrum in ſanctificatiónem, finem verò vitam ætérnam. Stipendia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita ætérna, in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

Lectio iij. Cap. 7. v. 5. ad 11.

CUm enim eſsémus in carne, paſſiónes peccatórum, quæ per legem erāt, operabántur in membris noſtris, ut fructificárent morti. Nunc autem ſolúti ſumus à lege mortis, in qua detinebámur, ita ut ſerviámus in novitáte ſpíritûs, & non in vetuſtáte lítteræ. Quid ergo dicémus? Lex peccátum eſt? Abſit. Sed peccátum non cognóvi, niſi per legem : nam concupiſcéntiā neſciébam, niſi lex díceret : Non concupiſces. Occaſióne autem accéptâ, peccátum per mandátum operátum eſt in me omnem concupiſcéntiam. Sine lege enim peccátum mórtuum erat. Ego autem vivébam ſine lege aliquándo; ſed cùm veniſſet mandátum, peccátum revíxit. Ego autem mórtuus ſū : & invéntum eſt mihi mandátum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractátu ſancti Auguſtíni Epíſcopi in Joannem.

Lectio iv. Tract. 36. n. 1.

IN quátuor Evangéliis, vel pótiùs quátuor libris uníus Evangélii, ſanctus Joánnes Apóſtolus, non immérito ſecúndùm intelligéntiam ſpiritálem Aquilæ comparatus, áltiùs multòque ſublímiùs áliis tribus eré-

ait prædicatiónem ſuam : & in ejus erectióne étiam corda noſtra érigi vóluit. Nam cæteri tres Evangeliſtæ, tamquam cum hómine Dómino in terra ambulábant, de Divinitáte ejus pauca dixérunt : iſtum autem quaſi pigúerit in terra ambuláre, ſicut ipſo exórdio ſui ſermónis intónuit, eréxit ſe non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnē ámbitum áëris & cœli, ſed & ſuper omnem étiam exércitum Angelórum, omnémque conſtitutiónem inviſibílium poteſtátum ; & pervénit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicéndo : In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Lectio v.

HUic tantæ ſublimitáti princípii étiam cætera cóngrua prædicávit, & de Dómini Divinitáte, quómodo nullus álius, eſt locútus. Hoc ructábat, quod bíberat. Non enim ſine cauſa de illo in iſto ipſo Evangélio narrátur, quia & in convívio ſuper pectus Dómini diſcumbébat. De illo ergo pectóre in ſecréto bibébat : ſed quod in ſecréto bibit, in maniféſto eructávit : ut pervéniat ad omnes gentes, non ſolùm Incarnátio Fílii Dei, Páſſio, & Reſurréctio, ſed étiam quod erat ante Incarnatiónem, Unicus Patri, Verbū Patris, coætérnus generánti, æqualis ei à quo miſſus eſt.

Lectio 6. n. 5.

DIxi vobis, fratres, quia Joánnes iſte Evangeliſta ſanctus, multùm altè volat : vix eſt eum mente comprehéndere : myſtérium autem áltiùs volántis opus eſt, ut commémorem charitátem veſtram. Omnes Evangeliſtæ propè de terrénis, id eſt, de iis quæ in terra geſſit Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, non receſſérunt : de Divinitáte ejus perpáuca locúti ſunt, tamquam in terra cum illo ambulántes. Aquila ipſe eſt Joánnes, ſublímium prædicátor, & lucis intérnæ atque ætérnæ fixis óculis contemplátor... Jam ergo vidéte quàm ſublímia loqui débuit, qui eſt áquilæ comparátus : & tamen étiam nos, humi repéntes, infírmi, & vix alícujus moménti inter hómines, audémus tractare iſta ; & iſta expónere : & putámus nos aut cápere poſſe, cùm cogitámus, aut capi, dum dícimus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 21. 19.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus Petro : Séquere me. Convérſus Petrus vidit illum diſcípulum, quem diligébat Jeſus, ſequéntem. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 124. in Joan. n. 5.

DUas vitas ſibi divínitùs prædicátas & commendátas novit Eccléſia: quarum eſt una in fide, áltera in ſpécie; una in témpore peregrinatiónis, áltera in æternitáte manſiónis; una in labóre, áltera in réquie; una in via, áltera in patria; una in ópere actiónis, áltera in mercéde contemplatiónis; una declínat à malo, & facit bonum; áltera nullum habet à quo declínet malum, & magnum habet, quo fruátur, bonum. Una cum hoſte pugnat, áltera ſine hoſte regnat. Una fortis eſt in advérſis; áltera nihil ſentit advérſi. Una carnáles libídines frænat, áltera ſpiritalibus delectatiónibus vacat.

Lectio viij.

ERgo una bona eſt, ſed adhuc míſera, áltera mélior, & beáta. Iſta ſignificáta eſt per Apóſtolum Petrum, illa per Joánnem. Tota hìc ágitur, iſta uſque in hujus ſæculi finem, & illic invenit finem: differtur illa compléndа poſt hujus ſæculi finẽ; ſed in futúro ſæculo non habet finẽ. Ideò dícitur huic: Séquere me: de illo autẽ; Sic eum volo manére donec véniam. Quid enim eſt hoc? Niſi, Tu me ſequere per imitatiónem perferéndi tẽporalia mala; ille máneat donec ſempitérna vénio reditúrus bona? Quod apértiùs ita dici poteſt: Perfecta me ſequátur áctio, informáta meæ paſſiónis exémplo; inchoáta verò contemplátio máneat, donec vénio, perficiénda cùm vénero.

Lectio ix. De S. Genovefa.

Ex vita S. Genovefæ, Beda, & Greg. Turon.

GEnovéfa, Nemptodúri in agro Pariſiénſi nata, à téneris annis magna dedit futúræ ſanctitátis indícia. Hanc ubi conſpéxit ſanctus Germánus Autiſſiodorénſis Epíſcopus, cœléſte quiddam & angélicum in ea auſpicátus, puéllam Deo acceptíſſimam, & vitæ ſanctitáte illúſtrem fore prædíxit: eíque, aſtánte frequénti pópulo, manus impónens, Vírginem & ſponſam Chriſto conſecrávit. Crevit exínde in dies ejus in Deum píetas. Jugi oratióne, abſtinéntiâ vix credíbili, effúsâ in ægrotos, & páuperes charitáte, patiéntiâ inter várias malevolórum calúmnias ſemper invíctâ, non minùs quàm miraculórum dono ac multitúdine evaſit celebérrima. Spíritu prophético plúrima prædíxit, atque in primis Lutétiam urbem, óppidis áliis munitióribus ſubvérſis, ab Hunnórum Rege Attila nihil detriménti paſſúram. Rei veritátem probávit evéntus, idque Genovéfæ patrocínio datũ Graſsánte deinde fame, & in ſumma annónæ penú-

ria, urbem, & pauperes innúmeros magnâ fruménti cópiâ abúndè ſuſtentávit. Tantárum virtútum, ac miraculórum famâ uſque cláruit Genovéfa, ut Símeon ille Stylites ejus ſe précibus volúerit commendátum. Dénique, poſt actos in Dei ſervitúte octogínta & ampliùs annos, Lutétiæ ſepúlta eſt in basílica ſanctórum Apoſtolórum Petri & Pauli, quæ ſubínde ipsíus Genovefæ nomen accépit.

In Laudibus commemoratio Ss. Innocentium & S. Genovefæ, ut in Communi Virginum. Oratio ut ſuprà.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *Ann.* 816. *Cap.* 124.

SUnt quidam quibus omnis cura eſt de véſtibus, ſi bene óleant; ſi pes laxâ pelle non fólleat. Crines calamíſtri, veſtígio rotántur; dígiti de ánnulis rádiant: & ne plantas humídior via ſpargat, vix impónunt ſumma veſtígia: tales cùm víderis, ſponſos magis æſtimáto, quàm Cléricos.

In ſecundis Veſperis commemoratio Ss. Innocentium per Antiph. ut poſt ſecundas Veſperas S. Joannis, pag. 269. *& S. Titi Epiſcopi. Oratio*, Da Eccléſiæ tuæ, &c.

DIE IV. JANUARII.

(*Niſi ſit Dominica.*)

OCTAVA

Ss. INNOCENTIUM.

Semiduplex.

Omnia ut in Feſto præter ea quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De Epíſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 9.

NIhil ergo nunc damnatiónis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecúndũ carnẽ ambulãt. Lex enim ſpíritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberávit me à lege peccáti & mortis. Nam quod impoſsíbile erat legi in quo infirmabátur per carnem; Deus Fílium ſuum mittens in ſimilitúdinem carnis peccati, & de peccáto damnavit peccátum in carne; ut juſtificátio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulámus, ſed ſecúndum ſpíritum. Qui enim ſecúndum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, sápiunt. Qui verò ſecúndũ ſpíritum ſunt: quæ ſunt ſpíritûs, séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors eſt: prudéntia autem ſpíritûs, vita & pax. Quóniam ſapiéntia carnis inimíca eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjécta: nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placére non poſſunt.

Lectio ij. v. 9. *ad* 14.

VOs autem in carne non eſtis, ſed in ſpíritu: ſi tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem ſpíritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Si autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidẽ mortuum eſt propter pec-

cátum, ſpíritus verò vivit propter juſtificatiónē. Quòd ſi ſpíritus ejus, qui ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, hábitat in vobis; qui ſuſcitávit Jeſum Chriſtū à mórtuis, vivificábit & mortália córpora veſtra, propter inhabitántē Spíritū ejus in vobis. Ergo, fratres, debitóres ſumus, non carni, ut ſecúndùm carnē vivámus. Si enim ſecúndùm carnem vixéritis, moriémini: ſi autem ſpíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis.

Lectio iij. v. 14. ad 22.

QUicúmque enim Spíritu Dei agúntur, ii ſunt fílii Dei. Non enim accepíſtis ſpíritum ſervitútis íterum in timóre; ſed accepíſtis ſpíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipſe enim ſpíritus teſtimónium reddit ſpirítui noſtro, quòd ſumus fílii Dei. Si autem fílii, & hærédes: hærédes quidē Dei, cohærédes autem Chriſti: ſi tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exíſtimo enim, quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nā expectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra ſubjécta eſt non volens; ſed propter eum qui ſubjécit eā in ſpe: quia & ipſa creatúra liberábitur à ſervitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Petri Chryſólogi.

Lectio iv.

De Infant. nece qui eſt 152.

ZElus quò tendat, invídia quò ferátur, Herodiána hódie patefécit immánitas quæ dum temporális regni æmulátur angúſtias, æterni Regis ortum molítur extínguere. Videns quia illúſus eſſet à Magis, dolet impíetas ſe illúſam, dilátā ſe crudélitas furit. Heródes ſtridet, cadens ipſe in láqueum quem teténdit. Hinc iniquitátem quam condíderat evagínat terróre: quærit furóre, quem natum cœlitùs non credit. Ad ſinus matrum, mílitum cogit caſtra; inter úbera arcem impietátis oppúgnat: lac fundit ántequam ſánguinem: dat ante mortem ſentíre, quàm vitam: ténebras íngerit intrántibus lucem. Sic agit magíſter mali, miníſter doli, iræ ártifex, invéntor ſcéleris, impietátis auctor, pietátis prædo, inimícus innocéntiæ, hoſtis natúræ; quem Chriſtus non ut eváderet, ſed ne vidéret, áufugit.

Lectio v.

O Ambítio quàm cæca ſemper! Heródes obſidens terrénum regnum, impúgnat cœléſte; terrénis ínhians, írruit in divína. Audíerat natum Regem: quæſíerat ubi, quando, unde, & ad quid! At quáliter

debúerat non quæsívit. Heródes tunc cæcus Chriſtum gládiis quærit, inveſtígat cruóre, crudelitáte rimátur: ſucceſſórem timens, incéſſit in auctórem. Perémit innocéntes, volens innocéntiam deperíre. Rector pópuli, diſciplínæ cenſor, æquitátis deſénſor, innocéntis cauſam facit innocéntium crimen. Infántes, quid? Quorum lingua tácuit, óculi nihil vidérunt: quibus actus nullus eſt, unde culpa? Sumpsérũt mortem, qui vívere neſciérunt. Non tempus áffuit, non excusávit ætas, ſiléntiũ non deféndit; quibus apud Heródem, ſolùm quòd nati ſunt, hoc fuit crimen. Quis excusábit, quem pulſat innocéntia, infántia ímpetit, lac ut ſanguis accúſat?

Lectio vj.

AT Chriſtus futurórum præſcius, méntium perſcrutátor, quare deſéruit quos ſciébat quæréndos eſſe propter ſe, & propter ſe nóverat occidéndos? Natus Rex, & Rex cœléſtis, quare neglexit mílites innocéntiæ ſuæ? Quare cunábulis ſuis deputátas excúbias ſic relíquit, ut Regem ſolùm quæſitúrus hoſtis, totum graſſarétur in mílitem? Fratres, Chriſtus non deſpéxit ſuos mílites, ſed provéxit; quibus dedit ante triumpháre, quàm vívere: quos fecit cápere ſine concertatióne victóriã: quos donávit corónis, ántequam membris; quos vóluit ante cœlum poſſidére, quàm terram, nec ante humánis inſérere, quàm divínis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 2. v. 16.

IN illo témpore; Heródes videns quóniam illúſus eſſet à Magis, irátus eſt valdè: & mittens occídit omnes púeros qui erant in Béthleem, & in ómnibus fínibus ejus. Et réliqua.

Homília S. Joán. Chrysóſt.

Hom. 9. in Matth.

CErtè non oportébat Heródem iráſci, ſed pótiùs timére & cómprimi, atque intellígere ſe rem tentáre, quam non poſſet perfícere; at ille non coercétur. Quando enim ímprobus ánimus, & inſanábilis eſt, nulli cedit à Deo concéſſæ medicínæ. Vide ígitur illum prióribus inſiſténtem, & cædem cædi jungéntem, atque per præcipítia úndique ruéntem. Nã quaſi à quodam iræ invidiæque dæmone pércitus, nullã ratióne frænátur; ſed contra ipſam furit natúram, irámque quã contra Magos ſibi illudéntes concéperat cõtra insõtes púeros exónerat, símile fácinus in Paleſtína aggréſſus, ei quod olim in Ægypto perpetrátum fúerat.

Lectio viij.

CUr, ô Heródes, à Magis illúſus irátus es? Non nóveras divínum eſſe partũ?

An non tu príncipes ſacerdótum advocaveras? An non Scribas convocaveras? An non vocáti illi Prophétam, qui hæc olim prænuntiáverat, ad tribúnal tuum adduxérunt? An non vidíſti vétera novis conſonare? An non audíſti ſtellam his miniſtraviſſe?... Cur non ex his ómnibus tecum reputaſti, non ex Magorum fraude hæc eveníſſe, ſed divinâ virtute, omnia, ut par erat, providénte? Etiamſi verò illúſus fuíſti à Magis, quid illud ad púeros, qui nihil te læſerant?

Lectio ix. de S. Tito Pontif.

Ex Epiſtol. Pauli, Euſebio, Hieronymo, & Chryſoſtomo.

TItus orígine Gentílis, quem Chriſto per fidem génuit Paulus, & unde filiū appéllat, eidem Apóſtolo intérpres in Evangélio factus ab Hierónymo dícitur. Húc ſibi comitē advéxit Apóſtolus, cùm anno quinquagéſimo primo Jeroſolymam ad Concílium proficiſcerétur. Nec ibi, quidquid ſubintrodúcti falſi fratres tentáverint, Titum paſſus eſt circumcídi, ut véritas Evangélii permanéret. Corinthum à Paulo miſſus, ortas in hac Eccléſia controvérſias, non minùs ſapiénter, quàm feliciter compóſuit. Cum autē in ínſula Creta fidem prædicáſſet Apóſtolus, Titum in ipſa relíquit, qui & ea corrígeret quæ deeſſent, & Epiſcopos per civitátes conſtitueret: unde ab Euſébio Eccleſiarum Cretæ vocatur Epiſcopus. Ad ipſum ſcripſit Paulus Epiſtolam, quâ ad efformandos viri Eccleſiaſtici mores nulla áptior alia. Dalmatiam, jubente Paulo, profectus eſt, Evangélium prædicatúrus. Tandem Cretam redux, obiit nonagenário major, circa finem primi ſæculi.

Te Deum *dicitur.*

In Laudibus commem. S. Titi, ut in Comm. unius Pontif.

C A N O N

Ex antíquis Statútis Synodálibus Diœceſis Tullénſis, *Renovatis per DD. Hugonem de Hazardis. An.* 1515.

STatúimus primò (& nihilóminus præcípimus) ut omnes & ſinguli Clerici noſtræ civitátis & Diœceſis Tonſúram contínuè Clericálem ſuo Ordini condecentem pérferant; comam aut barbam prolíxam non nútriāt: véſtibus honéſtis utantur, non reprobátis à jure, non pretioſis exceſſivè, nec multum vílibus.

Die v. Januarii.

In Vigilia EPIPHANIÆ.

Si in Vigiliam hanc incidat Dominica, fiet Officium modo ſequenti ad Matut.

Invitatorium, ut ſuperiùs in Dominica traditur; Pſalmi de Dominica, Antiphonæ & Reſponſoria primi & ſecundi Nocturni, ut in Dominica;

Lectiones primi Nocturni ex Scriptura occurrente in Officio hodierno, diviſione facta ſecundæ Lectionis ad Aſteriſcum: Lectiones ſecundi Nocturni ex Dominica.

Ad tertium Nocturnum, ſumuntur ſuper Pſalmos de Dominica, tres Antiphonæ, Verſus, Evangelium & Homilia de Vigilia, Lectione Homiliæ diviſâ in tres partes ad Aſteriſcos: Reſponſoria tertii Nocturni ſumuntur ex Vigilia, & nihil fit ampliùs de Dominica.

Si autem hæc Vigilia venerit in Feriis per Hebdomadam, fiet Officium, ut inferiùs.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Dóminus Rex magnus ſuper omnem terram; * Veníte, adorémus. *Pſalm.* 46. 3.

Pſalmi de Feria ſub Antiphonis ſequentibus.

De vocatione gentium Prophetiæ.

Ant. t. 1. *D.* Decánta laudem, quæ non pariébas; quóniam multi fílii desértæ. *Iſ.* 54. 1.

Ant. t 4. *a.* Magnificábor, & notus ero in óculis multárum géntium; & ſcient quia ego Dóminus. *Ezech.* 38. 23.

Ant. t. 3. *e.* Véniet omnis caro, ut adóret coram fácie mea. *Iſ.* 66. 23.

℣. Converténtur ad Dóminum univérſi fines terræ,

℟. Et adorábunt in conſpéctu ejus univérſæ famíliæ géntium. *Pſ.* 21. 28.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Románoſ.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 22. *ad* 31.

Scimus quòd omnis creatúra ingemíſcit, & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias ſpíritûs habéntes; & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ vidétur, non eſt ſpes: Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non vidémus, ſperámus: per patiéntiam expectámus. Simíliter autem & ſpíritus ádjuvat infirmitátem noſtrã: nã quid orémus, ſicut opórtet, neſcímus: ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid desíderet ſpíritus: quia ſecúndùm Deum póſtulat pro ſanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui ſecúndũ propóſitum vocáti ſunt ſacti. Nam quos præſcívit, & prædeſtinávit confórmes fieri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit.

℟. Dómine, ad te gentes vénient ab extrémis terræ: & dicent: * Verè mendácium

poſſedérunt patres noſtri. ℣. Commutavérunt veritátē Dei in mendácium; & ſerviérunt creatúræ potiúſquā Creatóri.* Verè. *Jerem.* 16. 19. *Roman.* 1. 25.

Lectio ij. v. 31. ad finem.

QUid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepércit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accuſábit advérsùs eléctos Dei? Deus qui juſtíficat, quis eſt qui condémnet? Chriſtus Jeſus, qui mórtuus eſt, imò qui & reſurréxit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.* Quis ergo nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulátio? An angúſtia? An fames? An núditas? An perículum? An perſecútio? An gládius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus propter eum qui diléxit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque inſtántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos ſeparáre à charitáte Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

℟. Omnes gentes quaſcúmque feciſti, vénient & adorábunt coràm te, Dómine:* Et glorificábunt nomē tuum. ℣. Dómine, Rex ſæculórum, omnes gentes vénient & adorábunt in conſpéctu tuo.* Et glorificábūt. *Pſ.* 85. 9. *Apoc.* 15. 3. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecūdùm Matthæum.

Lectio iij. Cap 2. v. 19.

IN illo témpore: Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge & áccipe púerum & matrem ejus; & vade in terram Iſrael. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

Comment. in Mat. Cap. 1. & 2.

PAránte Heróde párvuli necem, Joſeph per Angelum monétur, ut eum in Ægyptū tránſferat; Ægyptū idólis plenam, & omnígenûm deûm monſtra venerántem. Jam poſt Judæórum inſectatiónem, & in extinguéndo eo profánæ plebis aſſénſum, Chriſtus ad gentes inaniſſimis religiónibus déditas tranſit, & Judæam relinquens, ignoránti eum ſæculo coléndus inſértur, Béthleem, id eſt, Judæa Mártyrum sánguine redundánte. *... Poſt quæ mórtuo Heróde, Joſeph per Angelum monétur, ut in Judæā cum púero & matre ipſius rédeat. Et revértens cum Archeláum Heródis fílium re-

gnáre

gnáre audíſſet, tímuit eò veníre; & per Angelum monétur, ut in Galilæam tránſeat, & in regionis ejus civitate Názareth inhábitet. Revérti ergo ad Judæam monétur, & revérſus timet: & rurſum viſu admónitus tranſíre ad regióne͂ géntium jubétur. * Sed aut timére eũ, qui admónitus ſit non opórtuit; aut per Angelum deférri admonítio mox mutánda non débuit. Verùm typica rátio ſerváta eſt. Joſeph enim Apoſtolórũ habet ſpéciem, quibus Chriſtus circumfere͂dus eſt créditus. Hi, tamquam Heróde mortuo, id eſt, pópulo ejus in paſſióne Dómini depérdito, Judæis prædicáre ſunt juſſi; miſſi enim erant ad oves pérditas domûs Iſrael: ſed manénte hæreditáriæ infidelitátis dominátu, métuunt, & recédunt. Admoniti per viſum, ſancti ſcilicet Spiritûs donum in géntibus contemplántes, ad eas tránſferunt Chriſtũ, Judæ miſſũ, ſed vitã & ſalúte͂ géntiũ nũcupátũ.

℟. Terra Zabúlon, & terra Néphtali, via maris trans Jordanem Galilææ Géntiũ. * Pópulus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnã. ℣. Consúrgens Joſeph accépit púerum, & venit in terram Iſrael: & admónitus in ſomnis, ſecéſſit in partes Galilææ. * Pópulus. Glória Patri. * Pópulus. *Iſ.* 9. 1. 2. *Matth.* 2. 21. 22.

Te Deum *ſemper dicitur.*

AD LAUDES.

De futura gentium vocatione, per nos fiat Eccleſiæ gratulatio.

℣. *Sacerdos.* Omnes gentes, plaudite manibus:

℟. Jubiláte Deo in voce exultatiónis. *Pſ.* 46. 2.

Pſalm de Feria.

Ant. t. 1. a. CIvitas Dei, luce ſplendidâ fulgébis: & omnes fines terræ adorábunt te. *Tob.* 13. 11. 13.

Ant. t. 5. a. Natiónes ex longínquo ad te venient; & múnera deferéntes, adorábunt in te Dóminum. *Tob.* 13. 14.

Ant. t. 7. D. Relínquent gentes idóla ſua, & venie͂nt in Jerúſalem, & inhabitábunt in ea. *Tob.* 14. 8.

Ant. t. 6. f. Viri ſublímes ad te tranſíbunt, & tui erũt, teque deprecabúntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. *Iſ.* 45. 14.

Ant. t. 3. a. Vénient, & apponéntur ad Dóminum fœdere ſempitérno, quod nullâ oblivióne delébitur. *Jerem.* 50. 5.

Capitulum. Zach. 2. 11.

APplicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa; & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî: & ſcies quia Dóminus exercítuum miſit me ad te.

℣. Benedícite, gentes, Deũ noſtrum: ℟. Et audítam fácite voce͂ laudis ejus. *Pſ.* 65. 8.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *F.* De Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiántes. *Iſ.* 60. 6.

Oratio.

CORda noſtra, quæſumus, Dómine, ſplendor ventúræ feſtivitátis illúſtret, quo mundi hujus ténebris carére valeámus, & perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ; Per Dóminum, &c.

Ad Horas breves Pſalmi de Feria.

AD PRIMAM.

Capitul. Regi ſæculórũ. *in* ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16.

Non dicuntur preces.

CANON

Ex Concílio Pariſiénſi, *ann.* 1528. *in decr. morum.*

Cap. 28.

CLericórum veſtes ſint taláres, nec nímiâ amplitúdine ſupérfluæ, nec plus æquo conſtríctæ, in quibus clericális Ordinis honéſtas, & modéſtia, non faſtûs jactántia, vel elatiónis vítium deprehendátur.

AD TERTIAM.

Capitulum. Soph. 2. 11.

ATtenuábit Dóminus omnes deos terræ; & adorábunt eum viri de loco ſuo, omnes ínſulæ géntium.

℟. *br.* Adorábunt eum * Omnes reges terræ. Adorábunt. ℣. Omnes gentes ſérvient ei. * Omnes. Glória. Adorábunt. *Pſ.* 71. 11.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine: ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101. 16.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jerem. 3. 17.

VOcábunt Jeruſalem ſólium Dómini, & congregabúntur ad eam omnes gentes in nómine Dómini, & non ambulábunt poſt pravitátem cordis ſui péſſimi.

℟. *br.* Confitébor tibi * In pópulis, Dómine. Confitébor. ℣. Et pſalmum dicam tibi in géntibus. * In pópulis. Glória. Confitébor. *Pſ.* 56. 10.

℣. Dómini eſt regnum: ℟. Et ipſe dominábitur géntium. *Pſ.* 21. 29.

AD NONAM.

Capitulum. Iſ. 61. 11.

SIcut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum gérminat; ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam, & laudem coram univérſis géntibus.

℟. *br.* Benedicéntur in ipſo * Omnes tribus terræ. Benedicéntur. ℣. Omnes gentes magnificábunt eum. * Omnes. Glória. Benedicéntur. *Pſ.* 71. 17.

℣. Ipſe eſt Dóminus Deus: ℟. Et adorábunt eum. *Pſ.* 44. 12.



DIE VI. JANUARII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

DUPLEX I. CLASSIS.

SOLEMNE-MAJUS.

IN I. VESPERIS.

Pſalmi de Feria.

Quàm multis fœcunda filiis videbitur Jeruſalem.

Ant. t. 3. e. JErúſalem, vidébis & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum; quando convérſa fúerit ad te fortitúdo géntium. *Iſ.* 60. 5.

Ant. t. 5. F. Quómodo ponam te in filios, & tríbuam tibi hæreditátem præcláram exercítuum géntium? *Jerem.* 3. 19.

Ant. t. 6. F. Exúrge, & vide colléctos filios tuos ab oriénte ſole, uſque ad occidéntem in verbo ſancti, gaudéntes Dei memóriâ. *Bar.* 5. 5.

Ant. t. 2. d. Natiónes terram tuam in ſanctificatióne habébunt; nomen enim magnum invocábunt in te. *Tob.* 13. 14. 15.

Ant. t. 7. a. Vidébunt gentes Juſtum tuum: & eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Iſ.* 62. 2. 3.

Capitulum. Iſ. 65. 1.

QUæſiérunt me qui ante non interrogábant: invenérunt, qui non quæſiérunt me; dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ non invocábat nomen meũ.

℟. Surge, illumináre, Jeruſalem, quia venit lumen tuum, * Et glória Dómini ſuper te orta eſt: † Et ambulábunt gentes in lúmine tuo. ℣. Noli timére, filia Sion, ecce Rex tuus venit. * Et glória. Glória Patri. † Et ambulábunt. *Iſ.* 60. 1. 3. *Joan.* 12. 15.

HYMNUS.

VAtum dicta patēt: mortis in umbra
Gens ſopíta, novo lúmine ſurgit:
Antíqui pópulus fœderis exul,
Nunc ad ſancta venit fœdera conſors.
Vobis, ecce, Magi, ſtella refúlget

Sulcans æthéreas ígnibus auras:
Conféſtim mónitis ite vocáti,
Ignótas púeri quærere cunas.
Surgunt præcípites: prompta morári
Mens neſcit: próperant ſídere juſſi:
Felíces, plácito múnere, totas
In ſe primítiis dúcere gentes!
Nec ſpes ire citos írrita fallit:
Ad parvæ véniunt mœnia Béthlem:
Illic, quem rénuit plebs ſua regem
En, ſtellâ duce, gens éxtera noſcit.
Cæcis, hocce modo, géntibus orta,
O Judæa, tuis glória damnis:
Sic germen ſpúrium, fœtus adúlter
Natívæ inséritur ramus olívæ.
O quàm ſæpe meæ lux tua menti
Illúxit! nec adhuc súbdita ceſſit:
Tandem tolle moras; ſubde rebéllem;
Accreſcátque tuis victa triúmphis.
Te ſupréma, Pater, glória laudet:
Qui miro récreas lúmine gentes
Æquális tibi ſit glória, Fili;
Ambórum símilis laus ſit Amóri. Amen.

℣. Benedicéntur in ipſo omnes tribus terræ: ℟. Omnes gentes magnificábunt eum. *Pſ.* 71. 17.

Ad Magnif. *Ant.* *t.* 5. *F.* Aperiéntur, Jeruſalem, portæ tuæ júgiter: die ac nocte non claudéntur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium, & reges eárum adducántur. *Iſ.* 60. 11.

Oratio.

DEus, qui hodiérnâ die Unigénitũ tuum géntibus, ſtellâ duce, reveláſti: concéde propítius, ut, qui jam te ex fide cognóvimus, uſque ad contemplándam ſpéciem tuæ celſitúdinis perducámur; Per eúmdem, &c.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus Proles ab alvo Vírginis, *ut poſt* 1. *Veſperas Nativitatis.*

Doxologia.

Qui te revélas géntibus,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula.

Capitulum Iſ. 57. 15. 19.

HÆc dicit excélſus, & ſublímis hábitans ætérnitátem; Creávi pacem ei qui longè eſt, & qui propè, & ſanávi eum.

Ad Nunc dimíttis, *Ant.* *t.* 5. *F.* Ténebræ opérient terram: ſuper te autem, Jeruſalem, oriétur Dómi-

mus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60. 2.

Sic dicitur Completorium per Octavam.

AD OFFIC. NOCT.

Ad adorationem Chriſti manifeſtati gentes invitantur.

Hodie, dictis ſecretò, Pater, Ave, Credo, *incipitur abſolutè ab impoſitione Antiphonæ ſequentis.*

In Pſal. 28. Afférte Dómino. *Pag.* 5.

Ant. t. 5. *a.* Afférte Dómino, filii Dei, afférte Dómino glóriam, & honórem: adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus, *v.* 1. 2.

In Pſ. 45. Deus noſter refúgium. *Pag.* 96.

Ant. t. 6. *f.* Vidéte quóniam ego ſum Deus; exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra. *v.* 11.

In Pſ. 46. Omnes gentes, pláudite. *Pag.* 35.

Ant. t. 3. *A.* Psállite Deo noſtro; psállite Regi noſtro; quóniam Rex omnis terræ Deus, regnábit ſuper gentes. *v.* 7. 8. 9.

℣. Timébũt gentes nomen, tuum Dómine: ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101. 16.

De Isáia Prophéta.

Lectio j. Cap. 55. *v.* 1. *ad* 6.

OMnes ſitiéntes, veníte ad aquas: & qui non habétis argéntum, properáte, émite, & comédite: veníte, émite abſque argénto, & abſque ulla commutatióne vinum & lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, & labórem veſtrũ non in ſaturitáte? Audíte, audiéntes me, & comédite bonum, & delectábitur in craſſitúdine ánima veſtra. Inclináte aurem veſtram, & veníte ad me: audíte, & vivet anima veſtra, & fériam vobíscum pactum ſempitérnum, miſericórdias David fidéles. Ecce teſtem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem, quam neſciébas, vocábis: & gentes quæ te non cognovérunt, ad te current, propter Dóminum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificávit te.

℟. Immítte, Deus, timórem tuum ſuper gentes quæ non exquiſiérunt te; * Ut cognóſcant quia non eſt Deus niſi tu; & enárrent magnália tua. ℣. Quis non magnificábit nomen tuum, Dómine? quóniam omnes gẽtes vénient, & adorábunt in conſpéctu tuo. * Ut cognóſcant. *Eccli.* 36. 2. *Apoc.* 15. 4.

Lectio ij. Cap. 60. *v.* 1. *ad* 7.

SUrge, illumináre, Jerúſalem: quia venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. Quia ecce ténebræ operient terram, & calígo pópulos: ſuper te autem oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, & reges in ſplendóre ortûs tui. Leva in circúitu óculos tuos, & vide:

omnes iſti congregáti ſunt, venérunt tibi : fílii tui de longe vénient, & fíliæ tuæ de latere ſurgent. Tunc vidébis & áfflues, & mirábitur, & dilatábitur cor tuum, quando convérſa fúerit ad te multitudo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian & Epha: omnes de Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Domino annuntiántes.

℟. Circúmſpice, Jerúſalem, ad oriéntem, & * Vide jucunditátem à Deo tibi veniéntem. Ecce enim véniunt fílii tui collécti ab oriénte ad occidéntē in verbo ſáncti. ℣. Deus viſitávit ſúmere ex géntibus pópulum nomini ſuo. * Vide. *Bar.* 4. 36. 37. *Act.* 15. 14.

Lectio iij. Cap. 61. v. 10. ad finem, & Cap. 62. v. 1. ad 4.

GAudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me veſtimentis ſalútis : & induménto juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſū decorátum coronâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemē ſuum gérminat; ſic Dóminus Deus germinábit juſtítiam & laudem coram univérſis géntibus. Propter Sion non tacébo, & propter Jerúſalē non quiéſcam, donec egrediátur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes Juſtum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum : & vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominabit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui.

℟. Benedícimus te, Dómine Deus Iſrael : * Feciſti enim nobíſcum miſericordiam tuam : fac ut cognóſcat univérſitas géntium, † Quia tu es Deus ſolus in univérſa terra. ℣. Magna & mirabilia ſunt ópera tua, Deus omnípotens. * Fecíſti. Glória. † Quia tu es. *Tob.* 8. 17. 18. 19. *Apoc.* 15. 3.

IN II. NOCTURNO.

Unus erit populus, nec eſt diſtinctio Judæi & Græci.

In Pſ. 65. Jubilate Deo, pſalmum. *Pag.* 60.

Ant. t. 1. *d.* Omnis terra adóret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nómini tuo, Dómine. *v.* 4.

In Pſ. 71. Deus, judícium tuum. *Pag.* 98.

Ant. t. 2. *d.* Adorábunt eum omnes reges terræ : omnes gentes sérvient ei. *v.* 11.

In Pſ. 85. Inclína, *Pag.* 78.

Ant. t. 4. *E.* Omnes gentes quaſcúmque fecíſti, vénient & adorábunt coram te, Dómine; & glorificábunt nomen tuum. *v.* 9.

℣. Dábitur ei de auro Arábiæ : ℟. Et adorábunt de ipſo ſemper. *Pſ.* 71. 15.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. in Epiph. 2. Cap. 1

GAudéte in Dómino, dilectíſſimi, íterum dico, gaudéte; quóniam brevi intervállo témporis, poſt ſolẽnitátem Nativitátis Chriſti, feſtívitas Declaratiónis ejus illúxit: & quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit. Verbum enim caro factum, ſic ſuſceptiónis noſtræ temperávit exórdia, ut natus Jeſus, & credéntibus maniféſtus, & perſequẽtibus eſſet occúltus. Jam tunc ergo cœli enarravérunt glóriam Dei, & in omnem terram ſonus veritátis exívit; quando & paſtóribus exércitus Angelórum, Salvatóris éditi annuntiátor appáruit, & Magos ad eum adorándũ prævia ſtellà perdúxit: ut à ſolis ortu uſque ad occáſum veri Regis generátio coruſcáret; cùm rerum fidem & regna Oriéntis per Magos díſcerent, & Románum Impérium non latéret.

℞. Famíliæ populórum, afférte Dómino glóriam & impériũ; date Dómino glóriam nómini ejus, * Leváte ſacrifícium, & veníte in conſpéctu ejus; & adoráte Dóminum in decóre ſancto. ℣. Non eſt diſtínctio Judæi & Græci; nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. * Leváte. 1. *Paral.* 16. 28. 29. *Rom.* 10. 12.

Lectio v.

NAm & ſævítia Heródis volens primórdia ſuſpécti ſibi regis extínguere, huic diſpenſatióni neſciens ſerviébat: ut dum atróci inténtus facínori, ignótum ſibi púerum indiſcrétâ infántium cæde perſéquitur, annuntiátum cœlitùs Dominatóris ortum inſígnior ubíque fama loquerétur: quam promptiorem ad narrándũ, diligentiorémque faciébat & ſupérnæ ſignificatiónis nóvitas, & cruentiſſimi perſecutóris impíetas. Tunc autem étiam Ægypto Salvátor illatus eſt, ut gens antíquis erróribus dedita, jã ad vicínam ſalútem per occúltam grátiam vocarétur; & quæ nondum ejécerat ab ánimo ſuperſtitiónem, jam hoſpítio recíperet veritátem.

℞. Gaudéte gáudio, univérſi; quia * Ecce ego declinábo ſuper Jerúſalem quaſi flúvium pacis, & quaſi torréntem inundántem glóriam géntium. ℣. Quóniam & gẽtes recepérunt verbum Dei. * Ecce ego. *Iſ.* 66. 10. 12. *Act.* 11. 1.

Lectio vj. Cap. 4.

AGnoſcimus ergo, dilectíſſimi, in Magis adoratóribus Chriſti, vocatiónis noſtræ fideíque primítias: & exultántibus ánimis beátæ ſpei inítia celebrémus. Exínde enim in ætérnã hæreditátem cæpimus introíre; exínde nobis Chriſtum

loquéntia Scripturárum arcána patuérunt; & véritas, quam Judæórum obcæcátio non recépit, ómnibus natiónibus lumen ſuum invéxit. Honorétur ítaque à nobis ſacratíſſimus dies, in quo ſalútis noſtræ auctor appáruit: & quem Magi infántem venerati ſunt in cunábulis, nos Omnipoténtem adorémus in cœlis. Ac ſicut illi de theſáuris ſuis myſticas Dómino múnerum ſpécies obtulérunt; ita & nos de córdibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promámus.

℟. Vocátæ ſunt ſtellæ: & dixérunt; Adsumus, & luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas. * Hic eſt Deus noſter, & non æſtimábitur álius advérsùs eum. ℣. Stella quam víderant Magi in Oriénte antecedébat eos, uſque dum véniens ſtaret ſuprà, ubi erat Puer. * Hic eſt. Glória. * Hic eſt. *Bar.* 3. 35. 36. *Matth.* 2. 9.

IN III. NOCTURNO.

Ad myſtica Magorum munera, veſtra componite.

Ant. t. 5. *F.* Venite.

PSALMUS 94.

Chriſtus Rex: ipſe adorandus.

VEníte, exultémus Dómino: * jubilémus Deo ſalutári noſtro.

Præoccupémus fáciem ejus in confeſſióne: * & in pſalmis jubilémus ei;

Quóniam Deus magnus Dóminus, * & Rex magnus ſuper omnes deos:

Quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ; * & altitúdines móntiũ ipsíus ſunt:

Quóniam ipsíus eſt mare, & ipſe fecit illud; * & ſiccã manus ejus formavérunt.

Veníte, adorémus, & procidámus: * & plorémus ante Dóminum qui fecit nos;

Quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter, * & nos pópulus páſcuæ ejus, & oves manûs ejus.

Hódie ſi vocem ejus audiéritis, * nolíte obduráre corda veſtra,

Sicut in irritatióne ſecúndùm diem tentatiónis in desérto, * ubi tentavérunt me patres veſtri, probavérunt me, & vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis offénſus fui generatióni illi: * & dixi: Semper hi errãt corde.

Et iſti non cognovérunt vias meas: * ut jurávi in ira mea, ſi introíbunt in réquiẽ meam.

Ant. Veníte, adorémus & procidámus ante Dóminum; quia ipſe eſt Dóminus Deus noſter. *v.* 6. 7.

In Pſ. 95. Cantáte Dómino cánticum: cantáte. *Pag.* 124.

Ant. t. 6. *F.* Omnes dii géntium dæmónia: dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit. *v.* 5. 10.

In Pſ. 96. Dóminus regnávit, exúltet terra. *Pag.* 33.

Ant. t. 2. *d.* Annuntiavé-

runt cœli juſtítiam ejus ; & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. *v. 6.*

℣. Reges Tharſis, & ínſulæ múnera ófferent : ℟. Reges Arabum, & Saba dona addúcent. *Pſ. 71. 10.*

Léctio ſancti Evangélii ſecũdùm Matthæum.

Lectio 7. Cap 2. 1.

CUm natus eſſet Jeſus in Béthleẽ Juda in diébus Herodis regis : ecce Magi ab Oriénte venérunt Jeroſólymam, dicéntes : Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæórum ? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 10. n. 2. in Evang.

IN ómnibus ſignis, quæ, vel naſcénte Dómino, vel moriénte eo, monſtráta ſunt, conſiderándũ nobis eſt quanta fúerit in quorúmdam Judæorum corde durítia; qui hunc nec per Prophetíæ donum, nec per miráculaagnóvit. Omnia quippe eleménta auctórem ſuum veníſſe teſtáta ſunt. Ut enim de iis quiddam uſu humáno loquar : Deum hunc cœli eſſe cognovérunt; quia prótinùs ſtellam miſérunt. Mare cognóvit, quia ſub plantis ejus ſe calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia, eo moriénte, contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis ſuæ rádios abſcóndit. Saxa, & paríetes cognovérunt, quia témpore mortis ejus ſciſſa ſunt. Inférnus agnóvit, quia hos, quos tenébat mórtuos, réddidit. Et tamen hunc, quem Dóminum ómnia inſenſibília eleménta ſenſérũt, adhuc infidélium Judæórum corda Deũ eſſe mínimè cognóſcũt.

℟. Ecce Magi ab Oriénte venérunt Jeroſolymam, * Dicéntes : Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæórum ? Vénimus adoráre eum. ℣. Vénient pópuli multi, & gentes robúſtæ ad quæréndum Dóminum in Jerúſalem. * Dicéntes. *Matth. 2. 1. 2. Zach. 8. 22.*

Lectio 8. n. 3.

SEd Nativitáte Regis noſtri cógnitâ, Heródes ad cállida arguménta convértitur, ne terréno regno privarétur. Renuntiári ſibi, ubi puer inveniátur, póſtulat : adoráre eum velle ſe símulat; ut hunc, ſi inveníre poſſit, extínguat. Sed quanta eſt humána malítia contra consílium divinitátis ? Scriptum quippe eſt : Non eſt ſapiéntia, non eſt prudéntia, non eſt consílium contra Dóminum. Nam ea, quæ appáruit, ſtella Magos perdúcit : natum Regem repériunt; múnera déferunt; & ne redíre ad Heródem débeant, in ſomnis admonéntur. Sicque fit ut Jeſum, quem quærit Heródes, inveníre non poſſit. Cujus perſónâ, qui álii quàm hypócritæ deſignántur; qui, dum fictè quærunt, inveníre Dóminum numquam meréntur ?

℟. Vidéntes autem ſtellã gavíſi ſunt gáudio magno valdè. Et intrántes domum, invenerũt púerum cum Maríâ matre ejus, & * Procidéntes adoravérunt eum. ℣. Ecce véniunt collécti ab Oriénte uſque ad Occidéntem, gaudentes in honorem Dei. * Et Procidéntes. *Mat.* 2. 10. 11. *Bar.* 4. 37.

Lectio ix. n. 6.

MAgi aurum, thus, & myrrhã deferunt. Aurum quippe Regi congruit; thus verò in Dei ſacrificium pónitur; myrrhâ autem córpora mortuórum condiúntur. Eum ergo Magi quem adórant, étiam myſticis munéribus prædicant: auro, Regem; thure, Deum; myrrhâ, mortálem. Nos itaque nato Dómino offerámus aurum, ut hunc ubique regnáre fateámur; offerámus thus, ut credámus, quòd is qui in témpore appáruit, Deus ante témpora éxtitit: offerámus myrrham, ut eũ quem crédimus in ſua Divinitáte impaſſíbilem, credámus étiam in noſtra fuiſſe carne mortálem.

℟. Apértis theſáuris ſuis Magi, * Obtulérunt ei múnera, aurum, thus & myrrham. ℣. De Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiántes. * Obtulérunt. Glória. * Obtulérunt. *Matth.* 2. 11. *Iſ.* 60. 6.

Te Deum.

AD LAUDES.

Peracta eſt, quæ prædicta fuerat gentium vocatio. primitiæ, Magi.

℣. *Sacerdot.* Tu es, Deus, qui facis mirabília. ℟. Notã fecíſti in pópulis virtútem tuam. *Pſ.* 76. 15.

Pſalmi de Dominica

Ant. t. 1. *D.* NOtum ſit vobis, quóniã géntibus miſſum eſt hoc ſalutáre Dei, & ipſi áudient. *Act.* 28. 28.

Ant. t. 3. *a.* Myſtérium quod áliis generatiónibus non eſt ágnitum, nunc revelátum eſt; gentes eſſe cohærédes, & concorporáles, & compartícipes promiſſiónis in Chriſto Jeſu. *Eph.* 3. 5. 6.

Ant. t. 5. *F.* Voluit Deus notas fácere divítias gloriæ ſacraménti hujus in géntibus, quod eſt Chriſtus. *Coloſſ.* 1. 27.

Ant. t. 6. *F.* Grátia.

CANTICUM. *Iſ.* 49. 13.

LAudáte, cœli, & exúlta, terra: * jubiláte, montes, laudem:

Quia conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum; * & páuperum ſuórum miſerébitur.

Et dixit Sion: Derelíquit me Dóminus, * & Dóminus oblítus eſt mei.

Numquid oblivíſci poteſt múlier infántem ſuum, * ut non miſereatur fílio úteri ſui?

Et ſi illa oblíta fúerit, * ego tamen non oblivíſcar tui.

Ecce in mánibus meis deſcrípſi te: * muri tui coram óculis meis ſemper.

Venérunt ſtructóres tui: * deſtruéntes te, & diſſipántes à te exíbunt.

Leva in circúitu óculos tuos, & vide: * omnes iſti congregáti ſunt, venérunt tibi.

Vivo ego, dicit Dóminus, * Quia ómnibus his velut ornaménto veſtiéris, & circúmdabis tibi eos quaſi ſponſa.

Quia deſérta tua, & ſolitúdines tuæ, & terra ruínæ tuæ, nunc angúſta erunt præ habitatóribus; * & longè fugabúntur qui abſorbébant te.

Adhuc dicent in áuribus tuis fílii ſterilitátis tuæ: * Angúſtus eſt mihi locus; fac ſpátium mihi, ut hábitem.

Et dices in corde tuo: Quis génuit mihi iſtos? * ego ſtérilis, & non páriens, tranſmigráta & captiva.

Et iſtos quis enutrívit? ego deſtitúta, & ſola: * & iſti ubi erant? Glória Patri.

Et ſic dicitur per Octavam.

Ant. Grátia data eſt à Deo, ut fiat oblátio géntium accépta, & ſanctificáta in ſpiritu ſancto. *Rom.* 15. 15. 16.

Ant. 1. 8. c. Gentes quæ non ſectabántur juſtítiam, apprehendérunt juſtítiam; juſtítiam autem, quæ ex fide eſt. *Rom.* 9. 30.

Capitulum Iſ. 49. 5. 6.

Nunc dicit Dóminus, formans me ex útero ſervum ſibi. Parùm eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitándas tribus Jacob. Ecce dedi te in lucem géntium, ut ſis ſalus mea uſque ad extrémum terræ.

℣. Cóngrega nos de natiónibus, Dómine Deus noſter:

℞. Ut confiteámur nómini ſancto tuo. *Pſ.* 105. 47.

Ad Bened. Ant. 1. 2. d. Maniféſtè magnum eſt pietátis ſacraméntum, quod manifeſtátum eſt in carne, prædicátum eſt géntibus, créditum eſt in mundo. 1. *Tim.* 3. 16.

Oratio.

Deus, qui hodiérnâ die Unigénitum tuum Géntibus, ſtellâ duce, revelâſti; concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, uſque ad contemplándã ſpeciem tuæ celſitúdinis perducámur; Per eúmdem, &c.

AD HORAS BREVES.

Hymnus & Pſalmi ut in Dominica. Antiphonæ de Laudibus.

In Hymnis. Doxologia.

Qui te revélas géntibus,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, &c.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi ſæculórum, &c.

Ad ℞. *br.* Quem procidéntes Magi adoravérunt. * *Matth.* 2. 11.

CANON

Ex Concilio Epheſino.

An. 431. *Part* 2.

QUoniam Chriſtus Rex & Deus eſt, & mortem ob paſſiónis diſpenſationem guſtavit, múnera myſteriorum ſunt indícta. Offerunt Magi aurum, cognoſcéntes ipſum eſſe Regem: ófferunt thus, norunt enim ſe Deo offérre: offerunt myrrham, propter mortem in myſtério Paſſiónis.

AD TERTIAM.

Capitulum. Eph. 2. 17. 18.

CHriſtus véniens evangelizávit pacem vobis, qui longè fuíſtis; & pacem iis, qui propè; quoniam per ipſum habémus accéſſum ambo in uno ſpíritu ad Patrem.

℟. Virtútes annuntiémus ejus, qui de ténebris * Nos vocávit in admirábile lumen ſuum: qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei. ℣. Laudate Dóminum, omnes gentes: quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus. * Nos vocávit. Glória Patri. Nos vocavit. 1. *Pet.* 2. 9. 10 *Pſ.* 116. 1. 2.

℣. Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; ℟. In conſpéctu géntium revelavit juſtítiam ſuam, allelúia. *Pſ.* 97. 2.

Per Octavam.

℟. *br.* Notum fecit Dóminus ſalutare ſuum: * Allelúia, alleluia. Notum. ℣. In conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam. * Allelúia. Gloria. Notum. *Pſ.* 97. 2

℣. Annuntiavérunt cœli juſtitiam ejus; ℟. Vidérunt omnes populi glóriam ejus, allelúia. *Pſ.* 96 6.

AD SEXTAM.

Capitulum Apoc. 21. 23. 24.

CLáritas Dei illuminávit civitatem ſanctam Jerúſalem, & lucérna ejus eſt Agnus: & ambulabunt gentes in lúmine ejus, & reges terræ ífferent gloriam ſuam & honorem in illam.

℟. *br.* Afférte Dómino, Pátriæ géntium, * Allelúia, allelúia. Afférte. ℣. Afférte Domino gloriam & honorem. * Allelúia. Glória. Afférte. *Pſ.* 95. 7.

℣. Tollite hoſtias, & introíte in átria ejus: ℟. Adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus, allelúia. *Pſ.* 95. 8 9.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 9. 24. 25.

VOcávit nos non ſolùm ex Judæis: ſed étiam ex géntibus; ſicut in Oſée dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non diléctam, diléctam.

℟. *br.* Populus, quem non cognóvi, ſervívit mihi. * Allelúia, allelúia. Pópulus. ℣. In audítu auris obedivit mihi. * Allelúia Glória. Populus. *Pſ* 17. 45.

℣. Annuntiabunt cœli juſtítiam ejus, ℟. Pópulo qui naſcétur, quem fecit Dominus, alleluia. *Pſ.* 21. 32.

AD VESPERAS.

De vocatione noſtra gratiarum actio.

In Pſ. 109. Dixit Dñus. *p.* 24.

Ant. t. 3. *e.* Virgã virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: domináre in médio inimicórum tuórum. *v.* 2.

In Pſalmum 110. Confitébor tibi, Dómine, in toto. *Pag.* 24.

Ant. t. 5. *F.* Memor erit in ſæculum teſtaménti ſui; virtútem óperum ſuórum annuntiábit pópulo ſuo; ut det illis hæreditátem géntiũ. *v.* 5. 6. 7.

In Pſalmum 112. Laudáte, púeri. *Pag.* 25.

Ant. t. 6. *F.* Habitáre facit ſtérilem in domo, matrẽ filiórum lætántem. *v.* 9.

In Pſalmum 125. In convertèndo. *Pag.* 92.

Ant. t. 7. *a.* Dicent inter gentes: Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: facti ſumus lætántes. *v.* 2. 3.

In Pſalmum. 137. Confitébor.quóniã audíſti *Pag.* 53.

Ant. t. 2. *d.* Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; quia audiérunt ómnia verba oris tui. *v.* 4.

Capitulum. I. *Joan.* I. 2.

Vita manifeſtáta eſt, & vídimus, & teſtámur, & annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis.

HYMNUS.

PRima victrícis fídei corona,
O Magi! cœlo céleres vocánte,
Sancta vos laudent fideique primos
Feſta triúmphos.

Quis dolor, cùm vos (véluti vagántem
Æquoris circum vada cæca navem)
Occulens vultum, dúbios viárum
Stella relíquit?

Sed fides vincit: Sólymis euntes
Sidus aſsúrgens récreat: domóque
Inſidet, Regem Púerum revélans
Lúmine prono

Dona dãt ſacro pretióſa ſẽſu:
Thure dum Numen celebrátur: auro,
Rex: homo, myrrhâ: melióra donis
Péctora libant.

Ne, Sion, ultrà ſtérilis vocáre:
Surget afflíctæ tibi multa proles:
Afflues natis: résera paréntis
Géntibus ulnas.

Séparãs olim páries ſolútus,
Ambo nunc corpus cóeunt in unum
Díſſiti pridem pópuli: revíncit
Fœdera Chriſtus.

Summa laus Patri; ſimul æqua Nato
Ad fidem gentes hódie vocánti:
Omne, non impar tibi ſit, per ævum
Glória, Flamen. Amen.

℣. Adoravérunt omnes pingues terræ: ℟. In conſpéctu Dómini cadent omnes qui deſcéndunt in terram. Pſ. 21. 30.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. A.* Vocávit nos vocatióne ſuâ ſanctâ, ſecúndum grátiam, quæ manifeſtata eſt nunc per illuminatiónē Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. 2. *Tim.* 1. 9. 10.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

COMPLETORIUM, ut poſt I. Veſperas.

OFFICIUM DOMINICÆ

Intrà Octavam Epiphaniæ.

In quamcumque diem Octavæ inciderit Dominica, fit Officium de ea, ut notatur infrà.

Si verò Epiphania, & ſimiliter dies ejus Octava incidat in Dominicam, fiet tantùm Commem. Dominicæ in utriſque Veſperis & Laudibus; & in Officio Noc. nona erit Lectio de Evangelio, & Homilia Domin.

SABBATO PRÆCEDENTE.

(*Niſi ſit dies Epiphaniæ.*)

Ad Veſperas dicuntur Pſalmi de Sabbato, ſub Antiphonis, Jerúſalem, videbis, &c. *ex primis Veſperis Epiphaniæ.*

Capitulum. Dan. 2. 44.

Suſcitábit Deus cœli regnum, quod in ætérnum non diſſipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminúet autem & consúmet univérſa regna hæc; & ipſum ſtabit in ætérnum.

Hymnus. Vatum dicta patent: mortis in umbra, *ut in primis Veſperis Epiphaniæ.*

℣. Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: ℟. Virga directiónis, virga regni tui. Pſ. 44. 7.

Ad Magnif. *Ant. t. 1. a.* Sapiéntia in médio pópuli ſui gloriábitur, & in Eccléſiis Altiſſimi apériet os ſuū. *Eccli.* 24. 1. 2.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Deinde fit Commemoratio Epiphaniæ per Antiphonam ad Magnificat. *cuique diei Octavæ propriam, juxta diem menſis.*

AD OFFICIUM NOCTURNUM

Dominicæ intra Octavam.

Invitat. Verbum manifeſtátum in carne; * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 3. 16.

Pſalmi de Dominica.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. irr. Congregámini, & veníte, & accédite ſimul, qui ſalvati eſtis ex géntibus. *Iſ.* 45. 20.

Ant. t. 1. irr. Antíquus diérum dedit Fílio hóminis poteſtátem, & honórem, & regnum. *Dan.* 7. 13. 14.

Ant. t. 3. a. O Rex géntiū, inter cunctos ſapiéntes, & in univérſis regnis, nullus eſt símilis tuî. *Jerem.* 10. 7.

℣. Timebunt gentes nomen tuum, Dómine, ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Pſ.* 101. 16.

Pro Lectionibus 1. *Nocturni:*

Incipit Epíſtola prima ad Corinthios,

Corinthios, *quæ habetur infrà poſt Officium Octavæ.*

℟. ℟. ℟. *ex* I. *Nocturno Epiphaniæ.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. t. 4. *a.* Factum eſt regnum hujus mundi, Dómini noſtri, & Chriſti ejus. *Apoc.* 11. 15.

Ant. t. 7. *C.* Omnes pópuli, tribus & linguæ ipſi ſérvient. *Dan.* 7. 14.

Ant. t. 8. *g.* Benedícent eum gentes, ipsúmque laudábunt. *Jerem.* 4. 2.

℣. Dábitur ei de auro Arábiæ, ℟. Et adorábunt de ipſo ſemper. *Pſ.* 71. 15.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Lectio iv. Serm. 4. *de Epiphania. Cap.* 1.

HOc eſt quod juſtíficat ímpios; hoc eſt quod ex peccatóribus facit ſanctos, ſi in uno eodémque Dómino noſtro Jeſu Chriſto, & vera Déitas, & vera credátur humánitas. Ad roborándum hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebátur erróres, ex magna geſtum eſt divíni pietáte consílii, ut gens in longínqua Orientális plagæ regióne consíſtens, quæ ſpectandórum síderum arte pollébat, ſignum nati púeri, qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnatúrus, accíperet. Nova étenim cláritas apud Magos ſtellæ illuſtrióris appáruit, & intuéntiũ ánimos ita admiratióne ſui ſplendóris implé-vit, ut nequáquam ſibi crédereht negligendum, quod tanto nuntiabátur indício. Præerat autem, ſicut res dócuit, huic miráculo grátia Dei; & cùm Chriſti Nativitátem nec ipſa adhuc Béthleem tota didicíſſet, jam illam creditúris géntibus inferébat.

℟. ℟. ℟. *Ex ſecundo Nocturno Epiphaniæ.*

Lectio v. Cap. 2.

QUamvis autẽ divínæ dignatiónis eſſet hoc munus, ut agnoſcíbilis géntibus fieret Nativitas Salvatóris, ad intelligéndum tamen miráculum ſigni, potuérunt Magi étiam de antíquis Báláam prænuntiatiónibus cõmonéri, ſciéntes olim eſſe prædíctum, & celebri memóriâ diffamátũ: Oriétur ſtella ex Jacob, & exúrget homo ex Iſrael, & dominábitur géntium. Tres ítaque viri fulgóre insóliti síderis divínitus incitáti, prævium micántis lúminis curſum ſequúntur, exiſtimántes ſe ſignificátum púerum Jeroſólymis in civitáte régia repertúros. Sed cùm eos hæc opínio feſelliſſet, per Judæórum Scribas, atque Doctóres, quod ſacra de ortu Chriſti prænuntiáverat Scriptúra, didicérunt; ut gémino teſtimónio confirmáti, ardentióri fide expéterent, quem & ſtellæ cláritas, & prophetiæ manifeſtábat auctóritas.

Lectio vj.

PRobáto autem divíno oráculo per reſpōſa Pontíficum, & declarátâ Spíritûs voce, quæ dicit : Et, tu Béthleem terra Juda, non es mínima inter príncipes Juda : ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Iſrael : quàm fácilè & quàm cónſequens fuit; ut Hebræórum próceres créderent quod docébant! Sed appáret illos carnáliter cum Heróde ſapuiſſe, & regnum Chriſti commúne cum hujus mundi poteſtátibus æſtimáſſe : ut & iſti temporálem ſperárent ducem, & terrénum metúeret ille consórtē. Supérfluo, Herodes, timóre turbáris, & fruſtra in ſuſpéctum tibi púerum ſævíre molíris. Non capit Chriſtum régio tua, nec mundi Dóminus poteſtátis tuæ ſceptri eſt conténtus angúſtiis. Quem in Judæa regnáre non vis, ubíque regnat: & felíciùs ipſe regnáres, ſi ejus império ipſe ſubderéris.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Jerúſalem, ſuges lac géntium, & mamíllâ regum lactáberis; & ſcies, quia ego Redémptor tuus. *Iſaiæ* 60. 16.

Ant. t. 3. a. Ecce gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminū Deum tuum. *Iſ.* 55. 5.

Ant. t. 4. a. Vultu in terram demíſſo adorábunt te : & púlverem pedum tuórum lingent. *Iſ.* 49. 23.

℣. Reges Tharſis, & ínſulæ múnera ófferent : ℟. Reges Arabum & Saba dona addúcent. *Pſ.* 71. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. v. 40.

IN illo témpore; Puer creſcébat, & confortabátur, plenus ſapiéntiâ; & grátia Dei erat in illo. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

In Luc. Lib. 2. n. 63.

A Duodécimo anno, ut légimus, Domínicæ ſúmitur diſputatiónis exórdiū; hic enim prædicándæ fídei evangelizántiū númerus debebátur. Nec otióſè immemor ſuórum ſecúndùm carnem paréntum, qui ſecúndùm carnem útique ſapiéntiâ Dei implebátur & grátiâ, poſt tríduum reperítur in templo; ut eſſet indício, quia poſt tríduum triumphális illíus paſſiónis, in ſede cœléſti, & honóre divíno fídei noſtræ ſe reſurrectúrus offérret, qui mórtuus credebátur.

℟. Filii Sion, exultáte, & * Lætámini in Dómino Deo veſtro : quia dedit vobis doctórem juſtítiæ, & deſcéndere fáciet ad vos imbrem matutínum & ſerotínum. ℣. Paréntes Jeſu invenérunt illum in templo, ſedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, & interrogántem eos. * Lætámini. *Joel.* 2. 23. *Luc.* 2. 46.

Lectio viij. n. 64.

QUid eſt quòd me quærebátis? Neſciebátis quia in própria Patris mei opórtet me eſſe? Duæ ſunt in Chriſto generatiónes: Una eſt patérna, matérna áltera: Paterna illa divínior; matérna verò, quæ in noſtrum labórem usúmque deſcéndit. Et ídeò quæ ſupra natúram, ſupra ætátem, ſupra conſuetúdinem fiunt, non humánis aſſignánda virtútibus, ſed divínis referénda ſunt poteſtátibus. Alibi eum ad myſtérium mater impéllit; hîc mater argúitur; quia adhuc quæ humána ſunt, éxigat. Sed cùm hîc duódecim deſcribátur annórum, illîc diſcípulos habére doceátur; vides matrem didicíſſe de Fílio, ut exígeret à validióre myſtérium, quæ ſtupébat in junióre miráculum.

℟. Stupébant omnes qui Jeſum audiébant ſuper prudéntia & reſpónſis ejus: * Et vidéntes paréntes Jeſu admiráti ſunt. ℣. Sapiéntia in multitúdine electórum habébit laudem. * Et vidéntes. *Luc. 2. 47. 48. Eccli. 24. 4.*

Lectio ix. n. 65.

ET venit Názareth, & erat súbditus illis. Quid enim magíſter virtútis, niſi officium pietátis impléret? Et mirámur, ſi Patri defert, qui súbditur matri? Non útique infirmitátis, ſed pietatis eſt iſta ſubjéctio; attollat licèt ſævis emiſſus látebris cóluber perfídiæ caput, & ſerpentínis évomat venéna pectóribus. Cũ dicit ſe Fílius miſſum, majórem hæréticus appéllet Patrem; ut imperféctum Fílium dicat, qui poteſt habére majórem; ut aliénis auxíliis áſſerat eum, qui míttitur, indigére: numquid & humáno egébat auxílio, ut matérno ſervíret império?

℟. Deſcéndit Jeſus cum eis, & venit Názareth: * Et †Erat súbditus illis. ℣. In terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt. * Et erat. Glória. † Erat. *Luc. 2. 51. Baruch 3. 38.*

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. Sacerdot. Antiphonæ, & Canticum ut in die Epiphaniæ. Pſalmi de Dominica.

Capitulum. Rom. 12. 1.

OBſecro vos, fratres, per miſericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam vivéntem, ſanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium veſtrum.

℣. Illúminet vultum ſuum ſuper nos, ℟. Ut cognoſcámus in terra viam tuam, in géntibus ſalutáre tuum. *Pſal. 66. 2. 3.*

Ad Bened. *Ant. t. 3. a.* Dixit mater Jeſus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quærebátis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt,

oportet me eſſe. *Luc.* 2. 48. 49.

Oratio.

DEus, qui húmilem Fílii tui pueritiam cœléſti clarere ſapiéntiâ voluiſti: præſta, ut ſpíritu ſapiéntiæ repléti, ſincérâ tibi humilitate placeámus; Per eúmdē Dominum noſtrum.

Commemoratio Octavæ per Antiphonam cuique diei propriam.

Ad Horas, omnia ut in die Epiphaniæ.

Canon, ut in qualibet die menſis intra Octavam.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Dominica.

Quæ vocatio noſtra, & quæ vocationis noſtræ gratia.

Ant. t. 1. *a.* DEus, qui dixit de ténebris lucem ſplendeſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris. 2. *Corinth.* 4. 6.

Ant. t. 2. *D.* Non eſt Gentílis & Judæus, circumciſio & præpútium; ſed ómnia in ómnibus Chriſtus. *Coloſſenſ.* 3. 11.

Ant. t. 3. *a.* Nihil diſcrévit inter nos & illos, fide puríficans corda eorum. *Act.* 15. 9.

Ant. t. 5. *a.* Vos, pópulus acquiſitiónis, ut virtútes annuntietis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuum. 1. *Pet.* 2. 9.

Ant. t. 8. *c.* Omnia nobis ad vitam & pietatem donáta ſunt per cognitionem ejus, qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte. 2. *Pet.* 1. 3.

Capitulum. Epheſ. 4. 15. 16.

CReſcamus in illo per ómnia, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compáctum, & connexum per omnem junctúram ſubminiſtrationis, ſecúndùm operationem in mensúram uniuſcujúſque membri, augméntū córporis facit in ædificatiónem ſuî in charitate.

Hymnus, Prima victrícis, &c. *ut in ſecundis Veſperis Epiphaniæ.*

℣. Deduc me, Dómine, in via tua: ℟. Et ingrédiar in veritáte tua. *Pſ.* 85. 11.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Jeſus proficiébat ſapiéntiâ, & ætáte, & gratiâ apud Deū & hómines. *Luc.* 2. 52.

Oratio ut ſupra ad Laudes.

Deinde fit Commemoratio Octavæ Epiphaniæ, per Antiphonam cuique diei propriam.

DIEBUS INFRA OCTAVAM Epiphaniæ.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Verbum vitæ appáruit nobis; * Veníte, adorémus. 1. *Joan.* 1. 1. 2.

Pſalmi de Feria.

Tres Antiphonæ, & Verſus ſumuntur ex Nocturno Dominicæ intra Octav. juxta Feriam: ſcilicet, Feriâ ſecundâ & quintâ ex primo Nocturno; Feriâ tertiâ & ſextâ ex ſecundo Nocturno; Feriâ quartâ & Sabbato ex tertio Nocturno.

Lectiones ut notantur infrà pro quacumque die Octavæ, niſi

tamen ſumendæ ſint duæ primæ Lectiones ex Epiſtola prima ad Corinthios, cujus Lectio ſemper incipit die Dominicâ intra Octavam, omiſſis hoc anno Lectionibus quæ ſuperſunt de Epiſtola prima ad Romanos. Tertia Lectio erit ſemper de Octava, juxta diem Menſis. Tria Reſponſoria ſumuntur ex Nocturno diei Epiphaniæ, juxta Feriam & Rubricam ſuperiùs aſſignatam.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. Sacerdotalis, ut in die Epiphaniæ; Pſalmi de Feria, prima Antiphona de Laudibus diei; reliqua ut in die, præter Antiphonam ad Benedictus, *quæ eſt cuique diei propria.*

Ad Horas breves, Antiphonæ de Laudibus, omiſſâ quartâ, & reliqua ut in die, præter Canonem; Hymni & Pſalmi ut in Feria.

AD VESPERAS.

Pſalmi de Feria ſub Antiphona ſola ſequenti.

Ant. t. 1. *a.* Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris. 2. *Cor.* 4. 6.

Reliqua ut in Feſto Epiphaniæ ad ſecundas Veſperas, præter Antiphonam ad Magnificat, *quæ eſt cuique diei propria.*

DIE VII. JANUARII.

DE OCTAVA EPIPHANIÆ.

(*Niſi fuerit Dominica, & incipienda ſit Epiſtola prima ad Corinthios.*)

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 1. *ad* 10.

VEritátem dico in Chriſto, non méntior, teſtimónium mihi perhibénte conſciéntiâ meâ in Spíritu ſancto: quóniam triſtítia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipſe anathéma eſſe à Chriſto pro frátribus meis, qui ſunt cognáti mei ſecúndùm carnem, qui ſunt Iſraëlítæ, quorum adóptio eſt filiórum, & glória, & teſtaméntum, & legislátio, & obſéquium, & promiſſa; quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecúndùm carnem, qui eſt ſuper ómnia Deus benedíctus in ſæcula. Amen. Non autem quòd excíderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, ii ſunt Iſraëlítæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocábitur tibi ſemen: id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſiónis, æſtimántur in ſemine. Promiſſiónis enim verbum hoc eſt: Secúndùm hoc tempus véniam; & erit Saræ fílius.

Lectio ij. v. 10. *ad* 19.

NOn ſolùm autem illa: ſed & Rebécca ex uno concúbitu habens, Iſaac patris noſtri. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut áliquid boni egíſſent, aut mali (ut ſecúndùm electiónem

propóſitum Dei manéret) non ex opéribus, ſed ex vocánte dictum eſt ei ; Quia major ſérviet minóri, ſicut ſcriptum eſt ; Jacob diléxi, Eſaü autem ódio hábui. Quid ergo dicémus ? Numquid iníquitas apud Deum ? Abſit. Móyſi enim dicit ; Miſerébor cujus miſéreor : & miſericórdiam præſtabo cujus miſerébor. Igitur non voléntis, neque currentis, ſed miſeréntis eſt Dei. Dicit enim Scriptúra Pharaóni : Quia in hoc ipſum excitávi te, ut oſténdam in te virtútem meam ; & ut annuntietur nomen meum in univérſa terra. Ergo cujus vult miſerétur, & quem vult indúrat.

Lectio iij.

Sermo ſancti Ignátii Epíſcopi, & Mártyris.

Epiſt ad Ephesios. n. 18. *&* 19.

DEus noſter Jeſus Chriſtus in útero geſtátus eſt à María, juxta diſpenſatiónem Dei, ex sémine Davídis, Spíritu autem ſancto. Et príncipem hujus mundi látuit Mariæ virgínitas, & partus ipsíus. Quómodo igitur manifeſtátus eſt ſæculis ? ſtella in cœlo fulſit, ſplendóre exsúperans omnes ſtellas, & lux illíus ineffábilis erat ; & ſtupórem incúſſit ipsíus nóvitas. Ipſa verò lumen ſuum extendébat ſuper ómnia ; & perturbátio erat unde prodíret illis novitas diſsimilis : quare ignorantia deſtructa eſt ; vetus regnum eſt labefactum ; Deo humánitùs manifeſtáto in novitátem vitæ ætérnæ.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *F.* Dóminum Deum ſuum quærent : in Sion interrogábunt viam ; hùc fácies eórum. *Jerem.* 50. 4. 5.

CANON

Ex Concílio Toletáno quarto.

Cap. 24. *&* *Aquiſgranenſi. Cap.* 135.

PRona eſt omnis ætas ab adoleſcéntia in malum ; nihil enim incértius quàm vita adoleſcéntium. Ob hoc conſtitúere opórtuit, ut qui in Clero adoleſcéntes exíſtunt, uno concláviátrii commoréntur, ut lúbricæ ætátis annos in diſciplínis Eccleſiáſticis agant, deputáti probatíſſimo ſenióri, quem magíſtrum doctrínæ, & teſtem vitæ hábeant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *a.* Ergo & géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11. 18.

DIE VIII. JANUARII. DE OCTAVA.

(*Niſi ſit Dominica, & incipienda ſit prima Epiſtola ad Corinthios ;) quod notandum pro diebus ſequentibus.*

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 10.

FRatres, volúntas quidem cordis mei, & obſecrátio ad Deum, fit pro illis in ſalútem. Teſtimónium enim perhíbeo illis, quòd æmula-

ſiónem Dei habent, ſed non ſecúndùm ſciéntiam. Ignorántes enim juſtítiam Dei, & ſuam quæréntes ſtatúere, juſtítiæ Dei non ſunt ſubjécti. Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtítiam omni credénti. Móyſes enim ſcripſit, quóniam juſtítiam, quæ ex lege eſt, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide eſt juſtítia, ſic dicit: Ne díxeris in corde tuo: Quis aſcéndet in cœlum? id eſt, Chriſtum dedúcere: aut quis deſcéndet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fídei, quod prædicámus. Quia ſi confiteáris in ore tuo Dóminum Jeſum, & in corde tuo credíderis quòd illum Deus ſuſcitávit à mórtuis, ſalvus eris.

Lectio ij. v. 10. ad 18.

CORde enim créditur ad juſtítiam: ore autem confeſſio fit ad ſalútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim eſt diſtínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient ſine prædicánte? Quómodo verò prædicábũt, niſi mittántur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecióſi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Iſaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui noſtro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Chriſti.

Ex libro ſáncti Irenæi Epíſcopi & Mártyris.

Contra Hæreſes.

Lectio iij. l. 3. C. 9. n. 2.

MAtthæus Magos ab Oriénte veniéntes ait dixíſſe: Vídimus enim ſtellam ejus in Oriénte, & vénimus adoráre eum; deductóſque à ſtella in domum Jacob ad Emmánuel, per ea quæ obtulérunt múnera, oſtendíſſe quis erat qui adorabátur; myrrhã quidem, quòd ipſe erat qui pro mortáli humáno génere morerétur, & ſepelirétur; aurum verò, quóniã Rex, cujus regni finis non eſt; thus verò, quóniam Deus, qui & notus in Judæa factus eſt, & maniféſtus eis qui non quærébant eum.

Ad Benedict. *Ant. t. 7. a.* A fínibus terræ laudes audívimus, glóriam Juſti. *Iſaiæ* 24. 16.

CANON

Ex Concílio Cabilonénſi.

Anno 813. *Cap.* 3.

SCholas Epíſcopi conſtítuant, in quibus & lítteras ſolértis diſciplínæ, & ſa-

cræ Scriptúræ documénta diſcántur, & tales ibi erudiántur, quibus méritò dicátur à Dómino: Vos eſtis ſal terræ; & qui condiméntum plébibus eſſe váleant, & quorum doctrína non ſolùm divérſis hæréſibus, verùm étiam antichriſti mónitis, & ipſi antichriſto reſiſtátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Géntibus miſſum eſt hoc ſalutáre Dei, & ipſi áudient. *Act.* 28. 28.

Die ix. Januarii.

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 11. *verſu* 1. *ad* 7.

Dico ergo: Nũquid Deus répulit pópulum ſuũ? Abſit. Nam & ego Iſraelíta ſum ex sémine Abraham, de tribu Bénjamin: non répulit Deus plebem ſuam, quam præſcívit. An neſcítis in Elía quid dicit Scriptúra: quemádmodum interpéllat Deum advérsùm Iſrael? Dómine, Prophétas tuos occidérunt, altária tua ſuffoderunt: & ego relíctus ſum ſolus, & quærunt ánimam meam. Sed quid dicit illi divínum reſpónſum? Relíqui mihi ſeptem míllia virórum, qui non curvavérunt génua ante Baal. Sic ergo & in hoc témpore, relíquiæ ſecúndùm electiónẽ grátiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem grátia, jam non ex opéribus: alióquin grátia jam non eſt grátia.

Lectio ij. v. 13. *ad* 23.

Vobis enim dico géntibus: Quámdiu quidem ego ſum géntium Apóſtolus, miniſtérium meum honorificábo, ſi quómodo ad æmulándum próvocem carnem meam, & ſalvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíſſio eórum, recõciliátio eſt mundi: quæ aſſúmptio, niſi vita ex mórtuis? Quòd ſi delibátio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi áliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleáſter eſſes, insértus es in illis, & ſócius radícis & pinguédinis olívæ factus es, noli gloriari advérsùs ramos. Quòd ſi gloriáris: non tu radícem portas, ſed radix te. Dices ergo: Fracti ſunt rami ut ego ínſerar. Bene: propter incredulitátem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſápere, ſed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepércit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitátem, & ſeveritátem Dei: in eos quidem, qui cecidérunt, ſeveritátem: in te autem bonitátem Dei, ſi permánſeris in bonitáte, alióquin & tu excidéris.

Ex Commentário ſancti Hierónymi Presbyteri in Matthæum.

Lectio iij. Cap. 2.

Ad confuſiónem Judæórum, ut Nativitátem Chriſti à géntibus díſcerent, óritur in Oriénte ſtella; quã futúram Bálaam, cujus ſuc-

ceſſóres erant, vaticinio nóverat. Lege Numerórum librum: Deferúntur autem Magi ſtellæ indicio in Judæam; ut ſacerdótes à Magis interrogáti, ubi Chriſtus naſcerétur, inexcuſabiles fierent de Advéntu ejus. At illi dixérunt: In Bethleem Judæ: Judæ idcírco ſcríbitur, quia eſt & ália Béthleem in Galilæa. Et apértis theſáuris ſuis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, & myrrham. Pulchérrimè múnerum ſacraménta Juvéncus Présbyter uno versículo comprehéndit; Thus, aurum, myrrham: regíque, hominíque, Deóque, dona ferunt.

Ad Bened. *Ant. t. 3. a.* Parùm eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitándas tribus Jacob, & fæces Iſrael cõverténdas: ecce dedi te in lucem géntium. *Iſ.* 49. 6.

CANON

Ex Concílio Vasénſi. *An.* 529. *C.* I.

OMnes Presbyteri qui ſunt in Paróchiis conſtitúti, junióres Lectóres ſecum in domo, ubi ipſi habitáre videntur, recípiant; & eos, quómodo boni patres, ſpirituáliter nutriéntes, Pſalmos paráre, divínis lectiónibus insíſtere, & in lege Dómini erudíre conténdant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Póſui te in lucem géntium, ut ſis in ſalútem uſque ad extrémum terræ. *Act.* 13. 47.

DIE X. JANUARII

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 6.

OBſecro ítaque vos, fratres, per miſericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora veſtra hóſtiam vivéntem, ſanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium veſtrum. Et nolíte conformári huic ſæculo, ſed reformámini in novitáte ſensûs veſtri: ut probétis quæ ſit volúntas Dei bona, & beneplacens, & perfécta. Dico enim per grátiam quæ data eſt mihi, ómnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſápere quàm opórtet ſápere, ſed ſápere ad ſobrietátem: & unicuíque ſicut Deus divíſit mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſínguli autem alter altérius membra.

Lectio ij. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 9.

OMnis ánima poteſtátibus ſublimióribus ſúbdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinátæ ſunt. Itaque qui reſíſtit poteſtáti, Dei ordinatióni reſíſtit. Qui autem reſíſtunt, ipſi ſibi dãnatiónem acquírunt: nam príncipes non ſunt timóri boni óperis, ſed mali. Vis autem non timére poteſtátem? Bonum fac; & habé-

bis laudem ex illa: Dei enim miníſter eſt tibi in bonum. Si autem malum féceris, time: non enim ſine cauſa gládium portat. Dei enim miníſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit. Ideò neceſſitáte súbditi eſtóte, non ſolùm propter iram, ſed étiam propter conſciéntiam. Ideò enim & tribúta præſtátis: miníſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſerviéntes. Réddite ergo ómnibus débita: cui tribútum, tribútum: cui vectígal, vectígal: cui timórem, timorem: cui honórẽ, honórem. Némini quidquã debeátis, niſi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lectio iij. Lib. 1. de fide. Cap. 4.

UNum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham súpplices ad Chriſti cunábula detulérunt, auro Regem faténtes, ut Deum thure venerántes. Theſáurus enim regni, ſacrifícium Dei, myrrha eſt ſepultúræ. Quid ígitur voluérunt ſibi myſtica múnera inter abjécta præſépia; niſi ut intelligerémus in Chriſto differéntiam divinitátis & carnis? ut homo cérnitur, ut Dóminus adorátur. Jacet in pannis, ſed fulget in ſtellis: cunæ naſcéntem índicant, & ſtellæ dominántem: caro eſt quæ invólvitur; Divínitas, cui ab Angelis miniſtrátur. Ita nec dígnitas naturális majeſtátis amíttitur, & aſsúmptæ carnis véritas comprobátur. Hæc eſt fides noſtra. Sic ſe Deus cognóſci vóluit ab ómnibus.

Ad Bened. *Ant.* t. 1. d. Applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa: & erunt mihi in pópulum. *Zach.* 2. 11.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *C.* 135.

IN adoleſcéntibus Cléricis cuſtodiéndis, & ſpiritáliter erudiéndis, talis à Prælátis conſtituéndus eſt vitæ probábilis frater, qui eórum curam ſummâ gerat induſtriâ, eóſque ita arctíſſimè conſtríngat, quáliter eccleſiáſticis doctrínis imbúti, & armis ſpiritálibus indúti, & Eccléſiæ utilitátibus decénter parére, & ad gradus eccleſiáſticos quándoque dignè poſſint promovéri.

Ad Magnif. *Ant.* t. 7. D. Gentes quæ non ſectabántur juſtítiam, apprehendérunt juſtítiam quæ ex fide eſt. *Rom.* 9. 30.

DIE XI. JANUARII
DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 1. *ad* 10.

INfírmum autem in fide aſsúmite, non in diſceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit ſe manducáre ómnia: qui autem in-

firmus eſt, olus mandúcet. Is qui mandúcat, non manducántem non ſpernat; & qui non mandúcat, manducántem non júdicet: Deus enim illum aſsúmpſit. Tu quis es qui júdicas aliénum ſervum? Dómino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatúere illum. Nam álius júdicat diē inter diem: álius autem júdicat omnem diem: unuſquíſque in ſuo ſenſu abúndet. Qui ſapit diem, Dómino ſapit: & qui mandúcat, Dómino mandúcat: grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat, Dómino non mandúcat, & grátias agit Deo. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: ſive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus. In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt, & reſurréxit: ut & mortuórum & vivórum dominétur.

Lectio ij. v. 10. ad 19.

TU autem quid júdicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtábimus ante tribúnal Chriſti. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu: & omnis lingua confitébitur Deo. Itaque unuſquíſque noſtrûm pro ſe ratiónem reddet Deo. Non ergo ámpliùs ínvicem judicémus: ſed hoc judicáte magis, ne ponátis offendículum fratri, vel ſcándalum. Scio, & confído in Dómino Jeſu, quia nihil commúne per ipſum, niſi ei qui exíſtimat quid commúne eſſe, illi commúne eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtátur; jam non ſecúndùm charitátem ámbulas. Noli cibo tuo illum pérdere, pro quo Chriſtus mórtuus eſt. Non ergo blaſphemétur bonum noſtrum. Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtítia, & pax, & gáudium in Spíritu ſancto; qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probátus eſt homínibus.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iij. Serm. 200. in Epiph. 2. Domini.

MAgnum ſacraméntum! In præsépi Chriſtus jacébat, & Magos ab Oriénte ducébat. Abſcondebátur in ſtábulo, & agnoſcebátur in cœlo: ut ágnitus in cœlo, manifeſtarétur in ſtábulo; & appellarétur Epipánia dies iſte, quod latínè manifeſtátio dici poteſt: ſimul ejus & celſitúdinem, humilitatémque commendans, ut qui in apérto cœlo ſignis ſidéreis monſtrabátur, in anguſto diversório quæſitus inveniretur; inválidus infantílibus membris, involútus infantílibus pannis, adorarétur à Magis, timerétur à malis.

Timuit enim rex Heródes, eíſdem ſibi Magis nuntiántibus, cùm adhuc quærerent párvulum, quem cognóverant, cœlo teſte, jam natum. Quid erit tribúnal judicántis, quando ſupérbos reges cunæ terrébant infántis?

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* Habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta eſt eis. *Iſ.* 9. 2.

CANON

Ex Concílio Aquileïénſi.

An. 1504. *Art.* 12.

SEminariórum inſtitutiónem, conſervatiónem & promotióné in Eccléſia Dei ſummè fructuóſam, quâ clericális milítiæ propagátur ordo & progréſſio, tantópere neceſſáriam, ut ſtare eccleſiáſtica diſciplína ſine illórum ſubsídio & adminículo vix poſſit; in províncíæ civitátibus audívimus, & incredíbili ánimi jucunditáte étiam vídimus.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *F.* Hæc Prophétæ locúti ſunt, & Móyſes: paſſíbilis Chriſtus, primus lumen annuntiatúrus eſt pópulo, & géntibus. *Act.* 26. 22. 23.

DIE XII. JANUARII

DE OCTAVA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Romános.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 8.

DEbémus autem nos firmióres, imbecillitátes infirmórum ſuſtinére, & non nobis placére. Unuſquíſque veſtrûm próximo ſuo pláceat in bonum, ad ædificatiónem. Etenim Chriſtus non ſibi plácuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Impropéria improperántium tibi cecidérunt ſuper me. Quæcúmque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrínam ſcripta ſunt: ut per patiéntiam, & conſolatiónem Scripturárum, ſpem habeámus. Deus autem patiéntiæ & ſolátii, det vobis idípſum ſápere in altérutrum ſecúndum Jeſum Chriſtum: ut unánimes, uno ore honorificétis Deum, & Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Propter quod ſuſcípite ínvicem, ſicut & Chriſtus ſuſcépit vos in honórem Dei.

Lectio ij. v. 8. *ad* 14.

DIco enim Chriſtum Jeſum miníſtrum fuiſſe circumciſiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promiſſiónes patrum: gentes autem ſuper miſericórdia honoráre Deum, ſicut ſcriptum eſt: Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, & nómini tuo cantábo. Et íterum dicit: Lætámini, gentes, cum plebe ejus. Et íterum: Laudáte, omnes gentes, Dóminum: & magnificáte eum, omnes pópuli. Et rurſus Iſaías ait: Erit radix Jeſſe, & qui exúrget régere gentes, in eum gentes ſperábunt. Deus autem ſpei répleat vos omni gáudio, & pace in credéndo: ut abūdétis in ſpe, & virtúte Spíritûs ſancti.

Sermo ſancti Fulgéntii Ep.

Lectio iij.

Serm. de Epiph. & innoc. nece.

TRáditum tenémus à Pátribus, quòd Unigénitus Dei, poſtquam eſt ſecúndùm carnem temporáliter natus, eſt Magis veniéntibus manifeſtátus; à quibus, oblátis múneribus, ſupplíciter eſt adorátus. Nam, quia ipſe eſt Deus, qui ſibi in véteri Teſtaménto primítias offérri mandávit; idem Deus homo natus, géntium primítias ſuo cúltui dedicávit. Apoſtólica verò teſtátur auctóritas, quia unus eſt Deus, qui juſtíficat circumciſiónem ex fide, & præpútium per fidem: Circumciſiónis nómine Judæos; præpútii nómine gentes indubitánter oſténdens. Iſti ſunt duo paríetes, qui ex divérſo venérũt, & in lápidem, qui factus eſt in caput ánguli, in unitáte fídei convenérunt. Unus páries venit ex Judæis, alter ex Géntibus. Longè à ſe divérſi erant, quando divérſa credébant. Pofitus eſt in médio lapis anguláris, qui ad ſe utrúmque paríetem dúceret, & utrúmque uno nómine nuncupáret, eſſéntque unum communióne vocábuli, qui fíerent unum in una grátia ſacraménti. Per Chriſtum enim, qui eſt pax noſtra, fáciens útraque unum, Judæi & Gentíles facti ſunt unum, quibus fídei únitas unum índidit nóminis Chriſtiáni vocábulum.

Ad Bened *Ant. t. 3. a.* Erit in loco ubi dicétur eis: non pópulus meus vos: dicétur eis: Fílii Dei vivéntis. *Oſ.* I. 10.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

ſ. 23. *de Reform. C.* 18.

IN Eccléſiis amplas Dioeceſes habéntibus poſſit Epíſcopus unum vel plura in Dioecéſi, prout ſibi opportúnum vidébitur, habére Seminária: quæ tamen ab illo uno, quod in civitáte eréctum & conſtitútum fúerit, in ómnibus dependeant.

DIE XIII. JANUARII

OCTAVA EPIPHANIÆ ET BAPTISMUS CHRISTI.

Duplex 2. Claſſis.

AD I. VESPERAS,

Pſalmi de Feria.

Futurum eſt ut per aquam ſanctificatam deleantur mundi crimina.

Ant. t. 1. *d.* HAuriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. *Iſ.* 12. 3.

Ant. t. 3. a. Sanabúntur aquæ; & omnis ánima vivens, quòcúmque vénerit torrens, vivet. *Ezech.* 47. 8. 9.

Ant. t. 5. a. Erit fons patens habitántibus Jeruſalem in ablutiónem peccatóris, & diſpérdã nómina idolorũ de terra. *Zach.* 13. 1. 2.

Ant. t. 6. f. Effúndam ſuper vos aquam mundam; & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis veſtris, & ab

univérſis idólis veſtris. *Ezec.* 36. 25.

Ant. 8. g. Exíbunt aquæ vivæ de Jeruſalem : & erit Dominus Rex ſuper omnem terram. *Zach.* 14. 8. 9.

Capitulum. Joel. 3. 17. 18.

ERit Jeruſalem ſancta, & alieni non transíbunt per eam ampliùs. Et erit in die illa : ſtillábunt montes dulcédinem, & colles fluent lacte : & per omnes rivos Judæ ibunt aquæ : & fons de domo Dómini egredietur, & irrigábit torréntem ſpinárum.

℟. Vox Dómini ſuper aquas, Deus majeſtátis intónuit : * Dóminus ſuper aquas multas. † Vox Dómini in virtúte. ℣. Ipſe baptizábit in Spíritu ſancto; & igni. * Dóminus... Gloria. † Vox. *Pſalm.* 28. 3. 4. *Matth.* 3. 11.

HYMNUS.

JOrdánis unda, lénibus
Abíre ſuéta flúctibus
Quid eſt tibi, quod, térrito
Gradu, retrórsum vérteris?

Sentis fremíſcēs nunc tuo
Adéſſe Numen líttori,
Carníſque contáctu ſacræ,
Tuméſcis unda nobilis.

Voci Joánnis óbſequens
Dum plebs lavánda cónfluit :
En ipſe, permiſtus reis,
Cœleſtis Agnus ádvenit.

Quem ſpontè demíſſum vides,
Præcúrſor, agnóſcis Deum:
Lymphis nec audes tíngere,
Quo te laváři cónvenit.

At omne virtútum genus
Impléie ſic Chriſtum decet;
Tu corpus immérſum lavas;
Mundábit ille péctora.

Patet polórum Régia :
Tractúque longo lúminis;
Delápſa terris éxhibet
Charum colúmba Fílium.

O grátiæ miráculum!
Dum Chriſtus undas cónſecrat;
Virtúte lymphis incubans
Fœcúndat illas Spíritus.

Mundi ſcelus qui díluis,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

Et hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas.

℣. Illuxérunt coruſcatiónes tuæ orbi terræ; ℟. Sémitæ tuæ in áquis multis. *Pſal.* 76. 19. 20.

Ad Magnif. *Ant.* 1. *a.* Aquæ inundábunt : & delébitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inférno non ſtabit. *Iſ.* 28. 17. 18.

Completorium, ut in die Epiphaniæ.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium. Jeſum qui baptízat in Spíritu ſancto, * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 33.

Pſalmi de Feria (niſi ſit Dominica.)

IN I. NOCTURNO.

Baptiſmi noſtri antiquæ figuræ.

Ant. 1. *irr.* Tenebræ erant ſuper fáciem abyſſi; &

Spíritus Dei ferebátur ſuper aquas. *Gen.* 1. 2.

Ant. 1. 3. *E.* Fons aſcendébat è terra, írrigans univérſam ſuperficiem terræ. *Gen.* 2. 6.

Ant. 1. 4. *a.* Qui fúerit immundus, aſpergétur ex hac aqua, & ſic mundábitur. *Num.* 19. 11. 12.

℣. Flabit ſpíritus ejus, ℟. Et fluent aquæ. *Pſalm.* 147. 18.

Lectiones ex 1. Epiſtola ad Corinth. juxta Feriam: ſi dies Octava inciderit in Dominicam, incipiet Epiſtola 1. ad Corinth. ut notatur ſuprà in Dominica prima intra Octav. Epiphaniæ.

℟. 1. Confitémini Dómino quóniam bonus: qui divíſit mare rubrum in diviſiónes; & edúxit Iſrael per médium ejus: * Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus. ℣. Patres noſtri mare tranſiérunt, & omnes in Móyſe baptizáti ſunt in nube, & in mari: hæc autem in figúra facta ſunt noſtri. * Quóniam. *Pſalm.* 135. 1. 13. 14. 1. *Cor.* 10. 1. 2. 6.

℟. 2. Miſit ad Naáman leproſum Elizéus núntium dicens: Lavare ſépties in Jordáne, & mundáberis; * Naáman lavit in Jordane, & mundátus eſt. ℣. Vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptíſma; non carnis depoſítio ſórdium, ſed conſcientiæ bonæ interrogátio in Deum. * Naáman. 4. *Reg.* 5. 10. 14. 1. *Petr.* 3. 21.

℟. 3. Dícite puſillánimis: * Deus ipſe véniet; tunc aperiéntur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patebunt: tunc ſáliet ſicut cervus claudus, & apérta erit lingua mutórum: † Quia ſciſſæ ſunt in déſerto aquæ. ℣. Angelus Dómini deſcendébat, & movebátur aqua: & qui prior deſcendíſſet in piſcinam poſt motiónem aquæ, ſanus fiébat. * Deus ipſe. Glória. † Quia. *Iſ.* 35. 4. 5. 6. *Joan.* 5. 4.

IN II. NOCTURNO.

Ad Baptiſmum venit Jeſus ut per eum ſanctificentur aquæ.

Ant. 1. 3. *a.* Venit Jeſus à Galilæa in Jordánem, ad Joánnem, ut baptizarétur ab eo. *Matth.* 3. 13.

Ant. 1. 4. *e.* Joánnes prohibébat eum, dicens: Ego à te débeo baptizári; & tu venis ad me? *Matth.* 3. 14.

Ant. 1. 8. *c.* Reſpóndens autem Jeſus, dixit: Sine modò: ſic enim decet nos implére omnem juſtítiam. *Mat.* 3. 15.

℣. Vidérunt te aquæ, Deus: ℟. Et timuérunt, & turbátæ ſunt. *Pſal.* 76. 17.

Sermo ſancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv. in S. Lumina. Orat. 39.

CHriſti Nativitátē priùs aptâ ſolemnitáte celebrávimus; cum ſtella cucúrrimus; cum Magis adoravi-

mus; cum Paſtóribus luce circumfúſi ſumus; cum Angelis divínam glóriam prædicávimus. Nunc verò alia Chriſti áctio, áliud myſtérium ſéquitur. Animi voluptátem tenére néqueo: divíno furóre corrípior: propémodum étiam, Joánnis inſtar, fauſtum núntium prófero, non quidem, ut ille, præcúrſor; cæterùm à ſolitúdine véniens. Chriſtus illuminátur: ſimul illuſtrémur. Chriſtus baptizátur; ſimul & nos deſcendamus, ut cum ipſo páriter aſcendámus. Joánnes baptízat, & accédit Jeſus, ſanctíficans quidem & ipſum qui baptízat; præcípuè tamen ut veterē Adam ſepéliat in aquis; & ante ómnia, ut per hæc ſanctificéntur aquæ Jordánis; ut ſicut erat ſpíritus & caro, ita & his qui baptizándi erant in ſpíritu & aquâ ſanctificatiónis ſuccéſſio traderétur.

℟. 4. Quid eſt tibi, mare, quòd fugíſti? & tu, Jordánis, quia convérſus es retrórsùm? * A fácie Dómini mota eſt terra, à fácie Dei Jacob. ℣. Venit Jeſus à Názareth Galileæ; & baptizátus eſt in Jordáne. * A facie. *Pſ.* 113. 5. 7. *Marc.* 1. 9.

Lectio v.

NOn admíttit Baptíſta; Jeſus certat: Ego à te débeo baptizári; dicit lucérna Soli, vox Verbo, amícus ſponſo; inter natos muliérū major Primogénito omnis creatúræ; Præcúrſor & Præcursúrus, ei qui apparúerat, & apparitúrus erat. Quid autem Jeſus? ſine modo: hoc enim certo consílio & diſpenſatióne fit. Aſcéndit Jeſus ex aqua; mundum enim ſecum in altum effert; ac cœlos, quos Adam cláuſerat, & ſibi & póſteris, quemádmodum & flámmeo gladio Paradiſum, ſindi atque aperíri cernit. Ac Spíritus teſtimóniū pérhibet divinitátis: & vox cœlitùs mittitur: illinc enim erat is de quo teſtimónium perhibebátur: & ut colúmba Spíritus appáret; à multis enim ſæculis colúmba dilúvii finem nuntiáre conſuevit.

℟. 5. Ecce eléctus meus, dicit Dóminus: * Complacuit ſibi in illo ánima mea: dedi Spíritum meum ſuper eum: judícium géntibus próferet; & legem ejus inſulæ expectabunt. ℣. Jeſu baptizáto, apértum eſt cœlum, & deſcéndit Spíritus ſanctus ſicut colúmba in ipſum: & vox de cœlo facta eſt: Tu es Fílius meus diléctus. * Complácuit. *Iſ.* 42. 1. 4. *Luc.* 3. 21. 22.

Lectio vj.

NOs ígitur hodie Chriſti baptíſmū venerémur; ac feſtum honéſtè celebrémus, non ventris delíciis óperam dantes, ſed ſpirituáliter nos oblectántes. Lavámini, mundi eſtóte. Si peccáto rubri eſtis, ac propè ſanguínei,

ſanguinei, quaſi nix dealbámini. Si coccínei eſtis, ac omníno viri ſánguinũ, ad candórem lanæ pervenitóte. Purgámini, inquam; nullâ enim re Deus perínde delectátur, ut hóminis reſipiſcéntiâ & ſalúte, pro quo omnis ſermo, & ómnia myſtéria. Sic fiet ut ſicut luminária in mundo, ita & vos áliis homínibus ſitis vis quædam vivífica, & velut lúmina perfúſa, magno illi lúmini aſtántes, & à Trinitáte illumináti, cujus nunc rádium à divinitáte, quæ una eſt, emanántem, accepíſtis in Chriſto Jeſu Dómino noſtro.

℟. 6. Vox Dómini revelábit condenſa; & in templo ejus omnes dicent glóriam. * Dóminus dilúvium inhabitáre facit, & ſedébit Dóminus Rex in ætérnum. ℣. In diébus Noe, ánimæ ſalvæ factæ ſunt per aquam: quod & vos nunc símilis formæ ſalvos facit baptíſma. * Dóminus... Glória. * Dóminus. *Pſ.* 28. 9. 10. 1. *Petr.* 3. 20. 21.

IN III. NOCTURNO.

Ex Chriſto, cui Joannes teſtimonium perhibet, Baptiſmi noſtri virtus omnis.

Ant. t. 7. *C.* Hic eſt qui venit per aquam & ſánguinem, Jeſus Chriſtus: & Spíritus eſt, qui teſtificátur, quóniam Chriſtus eſt véritas. 1. *Joan.* 5. 6.

Ant. t. 7. *a.* Joánnes teſtimónium pérhibet de ipſo, dicens: De plenitúdine ejus nos omnes accépimus. *Joan.* 1. 15. 16.

Ant. t. 8. *c.* Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccátum mundi *Joan.* 1. 29.

℣. Dominábitur à mari uſque ad mare; ℟. Et à flúmine uſque ad términos orbis terrárum. *Pſal.* 71. 8.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Joánnem.

Lectio vij. Cap. 1. *v.* 29.

In illo témpore; Vidit Joánnes Jeſum veniéntem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 5. *in Joan. n.* 3.

Quare miſſus eſt Joánnes baptízans? Quia oportébat baptizári Chriſtũ. Quare oportébat baptizári Chriſtum? Quare oportébat naſci Chriſtum? Quare oportébat crucifígi Chriſtum? Si enim viam humilitátis demonſtratúrus advénerat, & ſeipſum factúrus humilitátis viam, in ómnibus ab eo impléenda erat humílitas. Auctoritátem dare baptíſmo ſuo hinc dignátus eſt: ut cognóſcerent ſervi, quantâ alacritate debérent cúrrere ad baptíſmum Dómini; quando ipſe non dedignátus eſt ſuſcípere baptíſmum ſervi. Donátum enim hoc erat Joánni, ut ipsíus baptíſma dicerétur.

℟. 7. Aſpérſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, * Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónẽ indeclinábilem. ℣. Non privábit Dóminus bonis eos qui ámbulant in innocéntia. * Teneámus.. *Hebr.* 10. 22. 23. *Pſ.* 83. 13.

Lectio viij. n. 5.

SEd quare non ſolus ipſe baptizátus eſt à Joánne, ſi ad hoc miſſus erat Joánnes, per quẽ baptizarétur Chriſtus, ut paráret viam Dómino, id eſt, ipſi Chriſto? Si ſolus Dóminus baptizátus eſſet baptíſmo Joánnis, non deéſſent qui eum ſic habérent; ut putárent baptíſmũ Joánnis majórem eſſe quàm eſt baptíſmus Chriſti. Dícerent enim: Uſque ádeò baptíſma illud majus eſt, ut ſolus Chriſtus eo baptizári meruíſſet. Ergo ut darétur nõbis à Dómino exémplum humilitátis, ad percipiéndam ſalútem baptíſmatis, Chriſtus ſuſcépit quod ei opus non erat, ſed propter nos opus erat. Et rurſus, ne hoc ipſum quod accépit à Joánne Chriſtus, præponerétur baptíſmati Chriſti, permíſſi ſunt & álii baptizári à Joánne: ſed qui baptizáti ſunt à Joánne: non eis ſuffécit: baptizáti ſunt enim baptíſmo Chriſti.

℟. 8. Ablúti eſtis, ſanctificáti eſtis, * Juſtificáti eſtis in nomine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spíritu Dei noſtri. ℣. Juſtificábit ipſe Juſtus multos, & iniquitátes eórum ipſe portábit. * Juſtificáti.. 1. *Corinth.* 6. 11. *Iſ.* 53. 11.

Lectio ix. n. 6. & 7.

BAptíſma tale eſt qualis eſt ille in cujus poteſtáte datur; non qualis eſt ille per cujus miniſtérium datur. Talis erat baptíſmus Joánnis, qualis Joánnes: baptíſmus juſtus tamquam juſti, tamen hóminis: ſed qui accéperat à Dómino iſtam grátiam, & tantam grátiam, ut dignus eſſet præíre júdicem, & eum digito oſténdere, & implére vocem prophetíæ illíus, Vox clamántis in desérto, paráte viam Dómini. Tale autem baptíſma Dómini qualis Dóminus. Ergo baptíſma Dómini divínum, quia Dóminus Deus. Pótuit autem Dóminus Jeſus Chriſtus, ſi vellet, dáre poteſtátem alícui ſervo, ut daret baptíſmum ſuum tamquam vice ſuâ, & transférre à ſe baptizándi poteſtátem, & tantam vim dare baptíſmo transláto in ſervum quantam vim habéret baptíſmus datus à Dómino. Hoc nóluit, ídeò ut in illo ſpes eſſet baptizatórum, à quo ſe baptizatos agnóſcerent.

℟. 9. Non accepíſtis ſpíritum ſervitútis in timóre; ſed * Accepíſtis Spíritum adoptiónis filiorum, in quo clamámus: Abba, Pater; ℣.

Ipſe enim ſpíritus teſtimónium reddit quòd ſumus fílii Dei. ℣. Filii ſapiéntiæ, Eccléſia juſtórum; & nátio illórum, obediéntia & diléctio. * Accepíſtis... Glória. † Ipſe enim.. *Rom.* 8. 15. 16. *Eccli.* 3. 1.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quæ neceſſitas baptiſmi; & quæ ejus virtus.

℣. *Sacerdot.* Benedícite, fontes Dómino. ℟. Laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. 77.

Pſalmi de Feria: Canticum ut in die Epiphaniæ.

Ant. t. 7. D. NIſi quis renátus fúerit ex aqua, & Spíritu ſancto, non poteſt introíre in regnum Dei. *Joan.* 3. 5.

Ant. t. 6. f. Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpíritu, ſpíritus eſt. Opórtet vos naſci dénuò. *Joan.* 3. 6. 7.

Ant. t. 3. E. Novus homo ſecúndùm Deum creátus eſt in juſtítia & ſanctitáte veritátis. *Eph.* 4. 24.

Ant. t. 5. a. Quod natum eſt ex Deo vincit mundum; & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra. 1. *Joan.* 5. 4.

Ant. t. 1. d. Qui credíderit, & baptizátus fúerit, ſalvus erit. *Marc.* 16. 16.

Capitulum. Eph. 5. 25. 26.

CHriſtus diléxit Eccléſiam, & ſeipſum trádidit pro ea, ut illam ſanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ.

℣. Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; ℟. Multiplicáſti locupletáre eam. *Pſal.* 64. 10.

Ad Bened. Ant. t. 2. d. Qui miſit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis ſpíritum deſcendéntem, & manéntem ſuper eum, hic eſt qui baptízat in Spíritu ſancto. *Joan.* 1. 33.

Oratio.

DEus, cujus Unigénitus in ſubſtántia noſtræ carnis appáruit, præſta, quæſumus; ut per eum quem ſímilem nobis foris agnóvimus, intùs reformári mereámur; Qui tecum vivit in unitáte, &c.

Ad Horas br. Ant. de Laudibus quartâ omiſſâ.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* Qui es vita maniſeſtáta. 1. *Joan.* 1. 2.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

ſ. 1. *Can.* 1. *de Baptiſmo.*

SI quis díxerit baptíſmum Joánnis habuíſſe eámdem vim cum baptíſmo Chríſti; anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. Tit. 3. 4. 5.

CUm benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei, ſecúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs ſancti.

℟. Ubi venit plenitúdo témporis, * Miſit Deus Fílium ſuum factum ex muliére, factum ſub lege: ut eos, qui ſub lege erant, redímeret: ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. Lauda Deum tuum, Sion, quóniam benedíxit fíliis tuis in te. * Miſit. Glória. * Miſit. *Gal.* 4. 4. 5. *Pſal.* 147. 12. 13.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus; ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi, allel. *Pſ.* 32. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Petr. 1. 4.

PEr Chriſtum Deus máxima & pretióſa promíſſa donávit; ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ; fugiéntes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcéntiæ corruptiónem.

℟. *br.* Apud te, Dómine, eſt fons vitæ, * Allelúia, allel. Apud. ℣. Et in lúmine tuo vidébimus lumen. * Allel. Glória. Apud. *Pſalm.* 35. 10.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum; ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus, allelúia. *Pſalm.* 41. 2.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22. 1.

OSténdit mihi flúvium aquæ vivæ, ſpléndidum tamquam cryſtallum, procedéntem de ſede Dei & Agni.

℟. *br.* Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, * Allelúia, allelúia. Flúminis. ℣. Sanctificávit tabernáculũ ſuum Altíſſimus. * Allelúia. Glória. Flúminis. *Pſ.* 45. 5.

℣. Rivos ejus inébria, Dómine, ℟. Multíplica genímina ejus, allelúia. *Pſalm.* 64. 11.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Vos filii per baptiſmum, dignè vocatione veſtrâ ambulate.

Ant. 1. 3. *a.* IN uno ſpíritu omnes nos in unum corpus baptizáti ſumus, ſive Judæi, ſive Gentíles: omnes in uno ſpíritu potáti ſumus. 1. *Cor.* 12. 13.

Ant. t. 1. *a.* Unus Dóminus, una fides, unum baptíſma, unus Deus & Pater ómnium. *Eph.* 4. 5. 6.

Ant. t. 5. *a.* Omnes fílii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Gal.* 3. 26.

Ant. t. 6. *f.* Quicúmque in Chriſto baptizáti eſtis, Chriſtum induíſtis. *Gal.* 3. 27.

Ant. t. 8. *c.* Spíritum ſanctum effúdit in nos Deus abúndè per Jeſum Chriſtum; ut juſtificáti grátiâ ipsíus, hærédes ſimus. *Tit.* 3. 6. 7.

Capitulum. Eph. 1. 17. 18.

PAter glóriæ det vobis ſpíritũ ſapiẽtiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; ut ſciátis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus.

HYMNUS.

SAcro lavándus flúmine
Si Chriſtus ipſe ſíſtitur;
Non ábluunt lymphæ Deũ,
Sed cónſecrat lymphas Deus.
Promíſſus ecce nunc ſcatet

Fons abluéndis córdibus;
Res mira! tíngitur caro,
Mentíſque labes tollitur.
Primi paréntis crímine
Naſcúntur iræ fílii:
Agni ſacris de fóntibus
Naſcúntur hærédes Dei.
Puro ſcatens è gúrgite
Non ſolus ábluit liquor:
Nos ipſa mundos éfficit
Præſens lavácro grátia.
Fœcúnda ſancto Spíritu
Virgo Deum nobis parit:
Fœcúnda ſancto Spíritu,
En unda nos parit Deo.
Mundi ſcelus qui díluis,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Ampliùs lava me ab iniquitáte mea; ℟. Et à peccáto meo munda me. *Pſalm.* 50. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *f.* Dedit poteſtátẽ fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus: qui non ex ſanguínibus, ſed ex Deo nati ſunt. *Joan.* 1. 12. 13.

Fit Commemoratio ſancti Hilarii, Pontificis & Doctoris, & ſancti Felicis Martyris, ut notatur in Proprio Sanctorum.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM,

(*Quæ eſt intra Octavam, vel ipsâ die Octavæ.*)

In primo Nocturno leguntur tres Lectiones ut infrà: reliqua ſuperiùs tradita ſunt in Officio Dominicæ intra Octavam.

Incipit Epíſtola prima beati Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

PAulus vocátus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Sóſthenes frater, Eccléſiæ Dei, quæ eſt Corínthi, ſanctificátis in Chriſto Jeſu, vocátis ſanctis, cum ómnibus qui ínvocant nomen Dñi noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſórum, & noſtro. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo ſemper pro vobis in grátia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quòd in ómnibus dívites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſciéntia: ſicut teſtimónium Chriſti confirmátũ eſt in vobis: ita ut nihil vobis deſit in ulla grátia, expectántibus revelatiónẽ Dñi noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmábit vos uſque in finem ſine crímine, in die Advéntûs Dñi noſtri Jeſu Chriſti.

Lectio ij. v. 9. *ad* 14.

FIdélis Deus: per quem vocáti eſtis in ſocietátem Fílii ejus Jeſu Chriſti Dñi noſtri. Obſecro autem vos, fratres, per nomen Dómini noſtri Jeſu Chriſti: ut idípſum dicátis omnes, & non ſint in vobis ſchíſmata: ſitis autem perfécti in eódem ſenſu, & in eádem ſenténtia. Significátum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui ſunt Chloes, quia con-

tentiónes ſunt inter vos. Hoc autem dico, quòd unuſquíſque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apóllo; ego verò Cephæ; ego autem Chriſti. Divíſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifíxus eſt pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti eſtis?

Lectio iij. v. 17. ad 25.

NOn enim miſit me Chriſtus baptizáre, ſed evangelizáre: non in ſapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Chriſti. Verbum enim crucis, pereúntibus quidem ſtultítia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapiéntiam ſapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi ſápiens? ubi ſcriba? ubi conquiſítor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mũdi? Nam quia in Dei ſapiéntia non cognóvit mundus per ſapiéntiam Deum; plácuit Deo per ſtultítiam prædicatiónis ſalvos fácere credéntes. Quóniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapiéntiã quærunt: nos autem prædicámus Chriſtum crucifíxum; Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam; ipſis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam.

Lectiones ſecundi & tertii Nocturni, & reliqua, ut ſupeius in Officio Dominicæ intra Octavam.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola prima ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 1. v. 25. ad fin.

QUod ſtultum eſt Dei, ſapiéntius eſt homínibus; & quod infírmum eſt Dei, fórtius eſt homínibus. Vidéte enim vocatiónem veſtram, fratres; quia non multi ſapiéntes ſecúndûm carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: ſed quæ ſtulta ſunt mũdi elégit Deus, ut confúndat ſapiéntes: & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conſpéctu ejus. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapiéntia à Deo, & juſtítia, & ſanctificátio, & redémptio: ut, quẽádmodũ ſcriptum eſt: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Lectio ij. Cap. 2. v. 1. ad 6.

ET ego, cùm veníſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitáte ſermónis, aut ſapiéntiæ, annúntians vobis teſtimónium Chriſti. Non enim judicávi me ſcire áliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, & timóre, & tremóre multo fui apud vos: & ſermo meus, & prædicátio mea, non in

perſuaſibílibus humanæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis: ut fides veſtra non ſit in ſapiéntia hóminum, ſed in virtúte Dei.

Lectio iij. v. 6. ad 11.

SApiéntiam autem lóquimur inter perféctos: ſapiéntiam verò non hujus ſæculi, neque príncipum hujus ſæculi, qui deſtruúntur: ſed lóquimur Dei ſapiéntiam in myſtério, quæ abſcóndita eſt, quam prædeſtinávit Deus ante ſæcula in glóriam noſtram, quam nemo príncipum hujus ſæculi cognóvit: ſi enim cognovíſſent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis aſcéndit, quæ præparávit Deus iis, qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum ſuum: Spíritus enim ómnia ſcrutátur, étiam profúnda Dei.

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Præſentationem Domini in templo (niſi antea Septuageſima venerit) in omnibus Hymnis, ejuſdem metri dicitur Doxologia:

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

Ad Primam, in ℟. *breve:* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *& dicetur etiam in Officiis Sanctorum.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. de Baptiſmo. Can. 3.

SI quis díxerit, in Eccléſia Románа, quæ ómnium Eccleſiárum mater eſt, & magíſtra, non eſſe veram de Baptiſmi ſacraménto doctrínam; anathéma ſit.

Ad Completorium, ab Octava Epiphaniæ uſque ad Præſentationem, (niſi tamen ante Præſentationem venerit Septuageſima:) Hymnus Proles ab alvo. *ut in Nativitate Domini.*

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. *f.* Conſúrge, fília Sion, lauda in nocte, in princípio vigiliárum: effúnde cor tuū ante conſpéctum Dómini. *Thren.* 2. 19.

Reliqua ut in Pſalterio.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apoſtoli ad Coríntнios.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 10.

EGo, fratres, non pótui vobis loqui, quaſi ſpirituálibus, ſed quaſi carnálibus. Tamquam párvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poterátis: ſed nec nunc quidem potéſtis: adhuc enim carnáles eſtis. Cùm enim ſit inter vos zelus, & conténtio: nonne carnáles eſtis, & ſecúndùm hóminem ambulátis? Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; álius autem: Ego, Apóllo: nonne hómines eſtis? Quid ígitur eſt Apóllo? quid verò

Paulus? Miniſtri ejus, cui credidíſtis, & unicuíque ſicut Dñus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit: ſed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat eſt áliquid, neque qui rigat: ſed, qui increméntum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquíſque autem própriam mercédem accípiet ſecúndùm ſuum labórem. Dei enim ſumus adjutóres; Dei agricultúra eſtis, Dei ædificátio eſtis.

Lectio ij. v. 16. ad finem.

NEſcítis quia templum Dei eſtis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Nemo ſe ſedúcat: ſi quis vidétur inter vos ſápiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſápiens. Sapiéntia enim hujus mundi, ſtultítia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehéndam ſapiéntes in aſtútia eórum. Et iterum: Dóminus novit cogitatiónes ſapiéntium, quóniam vanæ ſunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apóllo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præséntia, ſive futúra: ómnia enim veſtra ſunt: vos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei.

Lectio iij. Cap. 4. v. 6. ad 10.

HÆc autẽ, fratres, tranſfigurávi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcátis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te diſcérnit? Quid autem habes quod non accepíſti? Si autem accepíſti, quid gloriáris quaſi non accéperis? Jam ſaturáti eſtis, jam dívites facti eſtis: ſine nobis regnátis: & útinam regnétis, ut & nos vobíſcum regnémus. Puto enim quòd Deus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tamquam morti deſtinátos: quia ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. de Baptiſmo. Can. 12.

SI quis díxerit, néminem eſſe baptizándum, niſi eâ ætáte, quâ Chriſtus baptizátus eſt, vel in ipſo mortis artículo; anathéma ſit.

FERIA QUARTA.

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 7.

OMníno audítur inter vos fornicátio, & talis fornicátio, qualis nec inter gentes, ita ut uxórem patris ſui áliquis hábeat. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuíſtis ut tollatur de médio veſtrûm qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens córpore, præſens autem ſpí-

ritu, jam judicávi ut præſens, eum qui ſic operátus eſt, in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti: congregátis vobis & meo ſpíritu, cum virtúte Dómini noſtri Jeſu, trádere hujúſmodi sátanæ in intéritum carnis, ut ſpíritus ſalvus ſit in die Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Non eſt bona gloriátio veſtra. Neſcítis quia módicum ferméntum totam maſſam corrúmpit?

Lectio ij. Cap. 6. v. 1. ad 7.

AUdet áliquis veſtrûm habens negótium adversùs álterum, judicári apud iníquos, & non apud ſanctos? An neſcítis quóniam ſancti de hoc mundo judicábunt? Et ſi in vobis judicábitur mundus, indígni eſtis qui de mínimis judicétis? Neſcítis quóniam Angelos judicábimus? quantò magis ſæculária? Sæculária ígitur judícia ſi habuéritis: contemptíbiles qui ſunt in Eccléſia, illos conſtitúite ad judicándũ. Ad verecúndiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſápiens quiſquam, qui poſſit judicáre inter fratrem ſuum? ſed frater cum fratre judício conténdit: & hoc apud infidéles?

Lectio iij. v. 7. ad 12.

JAm quidem omníno delíctum eſt in vobis, quòd judícia habétis inter vos. Quare non magis injúriam accípitis? Quare non magis fraudem pátimini? Sed vos injúriam fácitis, & fraudátis: & hoc fratribus. An neſcítis quia iníqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolíte erráre: neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri; neque molles, neque maſculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebrióſi, neque malédici, neque rapáces regnum Dei poſſidébunt. Et hæc quidem fuiſtis: ſed ablúti eſtis, ſed ſanctificáti eſtis, ſed juſtificáti eſtis in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpíritu Dei noſtri.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. de Baptiſmo. Can. 13.

SI quis díxerit, párvulos, eò quòd actum credéndi non habeant, ſuſcépto Baptíſmo, inter fidéles computándos non eſſe: ac proptérea cùm ad annos diſcretiónis pervénerint, eſſe rebaptizándos: aut præſtáre omítti eórum Baptíſma, quàm eos non actu próprio credéntes baptizári in ſola fide Eccléſiæ: anathéma ſit.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6. v. 15. ad fin.

NEſcítis quóniam córpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, fáciam membra meretrícis? Abſit. An neſcítis quóniam qui adhæret meretríci, unum corpus effícitur? Erunt enim (inquit)

duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus ſpíritus eſt. Fúgite fornicatiónē. Omne peccátum, quodcúmque fécerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicátur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis quóniam membra veſtra, templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

Lectio ij. Cap. 7. v. 10. ad 16.

IIs autem, qui matrimónio juncti ſunt, præcípio non ego, ſed Dóminus, uxórem à viro non diſcédere: quòd ſi diſceſſerit, manére innúptam, aut viro ſuo reconciliári. Et vir uxórem non dimíttat. Nam cæteris ego dico, non Dóminus: Si quis frater uxórem habet infidélem, & hæc conſéntit habitáre cum illo, non dimíttat illam. Et ſi qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic conſéntit habitáre cum illa, non dimíttat virum: ſanctificátus eſt enim vir infidélis per mulíerem fidélē; & ſanctificáta eſt múlier infidélis per virum fidélem; alióquin filii veſtri immúndi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. Quòd ſi infidélis diſcédit, diſcédat: non enim ſervitúti ſubjéctus eſt frater aut ſoror in hujúſmodi: in pace autem vocávit nos Deus.

Lectio iij. v. 29. ad 35.

HOc ítaque dico, fratres: Tempus breve eſt: réliquum eſt, ut & qui habent uxóres, tamquam non habéntes ſint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudéntes: & qui emunt, tamquam non poſſidéntes: & qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre eſt, ſollícitus eſt, quæ ſunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & diviſus eſt. Et múlier innúpta, & virgo, cógitat quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

Epiſt. Synod. ad Innocent. I.

QUicúmque negat párvulos per Baptíſmum Chriſti, à perditióne liberári, & ſalútem percípere ſempitérnam; anathéma ſit.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola prima beati Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 8. v. 1. ad 8.

DE iis autem, quæ idólis ſacrificántur, ſci-

mus quia omnes ſciéntiam habémus. Sciéntia inflat, cháritas verò ædíficat, ſi quis autem ſe exíſtimat ſcire áliquid, nondum cognóvit quemádmodum opórteat eum ſcire. Si quis autem díligit Deum, hic cógnitus eſt ab eo. De eſcis autem, quæ idólis immolántur, ſcimus quia nihil eſt idólum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt qui dicántur dii, ſive in cœlo, ſive in terra: (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi:) nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum: & unus Dóminus Jeſus Chriſtus, per quem ómnia, & nos per ipſum. Sed non in ómnibus eſt ſciéntia. Quidam autem cum conſciéntia uſque nunc idóli, quaſi idolóthytum mandúcant: & conſciéntia ipſórum cùm ſit infírma pollúitur.

Lectio ij. v. 8. ad finem.

Eſca autem nos non comméndat Deo. Neque enim ſi manducavérimus, abundábimus: neque ſi non manducavérimus, deficiémus. Vidéte autem ne fortè hæc licéntia veſtra offendículum fiat infirmis. Si enim quis víderit eum, qui habet ſciéntiam, in idólio recumbéntem: nonne conſciéntia ejus, cùm ſit infírma, ædificábitur ad manducándum idolothyta? Et períbit infírmus in tua ſciéntia, frater, propter quem Chriſtus mórtuus eſt? Sic autem peccántes in fratres, & percutiéntes conſciéntiam eórum infírmam, in Chriſtum peccatis. Quaprópter ſi eſca ſcandalízat fratrem meum; non manducábo carnem in ætérnum, ne fratrem meum ſcandalízem.

Lectio iij. Cap 10. v. 1. ad 7.

Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres noſtri omnes ſub nube fuérunt; & omnes mare tranſiérunt; & omnes in Móyſe baptizáti ſunt, in nube, & in mari: & omnes eámdem eſcam ſpiritálem manducavérunt, & omnes eúmdem potum ſpiritálem bibérunt: (bibébant autem de ſpiritáli, conſequénte eos, petrâ: petra autem erat Chriſtus:) ſed non in plúribus eórum beneplácitum eſt Deo: nam proſtráti ſunt in deſérto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcéntes malórum, ſicut & illi concupiérunt.

CANON

Ex Decréto Eugénii quarti pro Armenis.

Miníſter baptíſmi eſt Sacérdos, cui cómpetit ex officio baptizáre. In caſu autem neceſſitátis, non ſolùm Sacérdos vel Diáconus, ſed étiam Láicus, vel múlier; imo étiam pagánus & hæréticus baptizáre poteſt: dúmmodo formam

ſervet Eccléſiæ, & facere inténdat quod facit Eccléſia.

SABBATO.

Hodie & aliis Sabbatis uſque ad Quinquageſimam fit Officium de B. Maria, niſi Feſt. Dup. vel Semid. occurrat.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

SI linguis hóminum loquar, & Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tínniens. Et ſi habúero prophetíam, & nóverim myſtéria ómnia, & omnem ſciéntiam: & ſi habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, charitátem autem non habúero, nihil ſum. Et ſi diſtribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, & ſi tradídero corpus meum ita ut árdeam, charitátem non habúero, nihil mihi prodeſt. Cháritas pátiens eſt, benígna eſt: cháritas non æmulátur, non agit pérperàm, non inflátur, non eſt ambitióſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet ſuper iniquitáte, congáudet autem veritáti: ómnia ſuffert, ómnia credit, ómnia ſperat, ómnia ſúſtinet.

Lectio ij. v. 8. *ad finem.*

CHáritas numquam éxcidit: ſive prophetíæ evacuabúntur, ſive linguæ ceſſábunt, ſive ſciéntia deſtruétur. Ex parte enim cognóſcimus, & ex parte prophetámus. Cùm autem vénerit quod perféctum eſt, evacuábitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem párvulus, loquébar ut párvulus, ſapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per ſpéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognóſco ex parte: tunc autem cognóſcā ſicut & cógnitus ſum. Nunc autem manent fides, ſpes, cháritas, tria hæc: major autem horum eſt cháritas.

Lectio iij. C. 16. *v.* 13. *ad* 23.

VIgiláte, ſtate in fide, viríliter ágite, & confortámini: ómnia veſtra in charitáte fiant. Obſecro autem vos, fratres, noſtis domum Stéphanæ, & Fortunáti & Achaici: quóniam ſunt primítiæ Acháiæ; & in miniſtérium ſanctórum ordinavérūt ſeipſos: ut & vos súbditi ſitis ejúſmodi, & omni cooperánti, & laboránti. Gáudeo autem in præséntia Stéphanæ, & Fortunáti, & Acháici: quóniam id, quod vobis déerat, ipſi ſupplevérunt: refecérunt enim & meum ſpíritum, & veſtrum. Cognóſcite ergo qui hujúſmodi ſunt. Salútant vos Eccléſiæ Aſiæ. Salútant vos in Dómino multùm Aquila, & Priſcílla, cum doméſtica ſua Eccléſia: apud quos & hóſpitor. Salútant

vos omnes fratres. Salutáte ínvicem in óſculo ſancto. Salutátio, meâ manu Pauli. Si quis non amat Dóminũ noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathéma.

Quando Septuageſima inciderit in Dominicam ſequentem, tunc hodie fiet Officium de Sabbato, ut in Pſalterio, exceptis iis quæ ſequuntur. Lectio prima & ſecunda ex primo Nocturno Dominicæ ſequentis, Lectio tertia ex Evangelio & Homilia; & tria Reſponſoria ex tertio Nocturno dictæ Dominicæ. Antiphona ad Benedictus, *& Oratio ut in eadem Domin.*

Si verò occurrerit hodie Feſtum Duplex vel Semiduplex fiet Of. de eo: ſed Lect. Script. occ. ſumentur pro 1. *Noc. ex* 1. *Noctur. Dom. ſeq. & in* 3. *Noct.* 9. *Lectio erit de Hom. in Evang. Dominicæ, & Commem. dictæ Dominicæ in Laudibus. Et ſic de qualibet alia Dominica quæ ſuperſit poſt Epiphaniam, cujus Officium non poteſt poni poſt vigeſimam quartam Dominicam à Pentecoſte.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 7. Can. 13.

SI quis díxerit, recéptos & approbátos Eccléſiæ Cathólicæ ritus in ſolémni ſacramentórum adminiſtratióne adhibéri conſuétos, contémni, aut ſine peccáto à miníſtris pro líbito omítti, aut in novos álios per quemcúmque Eccleſiarum Paſtórẽ mutári poſſe; anathéma ſit.

AD VESPERAS.

In Dominicis ab Octava Epiphaniæ Domini, ad ejus Præſentationem in templo, fiet Officium ut aſſignatur infrà exceptis iis quæ notantur propria in qualibet Dominica.

Si tamen Septuageſima venerit ante Præſentationem Domini, Veſperæ Sabbati erunt ut notatur Sabbato ante Septuageſimam, & Officium Dominicarum in Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima ſumetur è Pſalterio, & Proprio cujuſque Dominicæ.

Pſalmi de Sabbato.

OFFICII FINIS.

Infantia Chriſti, & vita ejus abſcondita recolitur.

Ant. t. 1. *d.* VEnit Fílius hóminis quærere, & ſalvum fácere quod períerat. *Luc.* 19. 10.

Ant. t. 3. *a.* Mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognóvit. *Joan.* 1. 10.

Ant. t. 4. *e.* In própria venit, & ſui eum non recepérunt. *Joan.* 1. 11.

Ant. t. 5. *a.* Quotquot recepérunt eum, dedit eis poteſtátẽ fílios Dei fíeri. *Joan.* 1. 12.

Ant. t. 8. *g.* Non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuũ frátribus meis. *Heb.* 2. 11. 12.

Capitulum. Hebr. 3. 14.

PArtícipes Chriſti effécti ſumus: ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus uſque ad finem firmum retineámus.

HYMNUS.

O Ter beáta Názareth,
Quæ Núminis ſis hoſpita;
Tuíſque ſub mapáliis
Celas Tonántis Filium!
Infánte de Deo refer
Secréta quanta nóveris:
Quæ ſub domo vili latens
Puer docet, nos édoce.
Huc, cæca gens mortáliũ;
Tantis ſtupe miráculis:
Fabríle contréctant opus
Manus ſuprémi Núminis
Treménda cujus præpetes
Mandáta portant Angeli,
Te ſpontè fabro súbjicis,
Et ipſe pauper ártifex.
Homo ſupérbit; & Deum
Te vilis ars non dédecet:
Dum noſtra mens altũ ſapit,
Ad ima deſcéndis, Deus.
Quid nos ináni décipit
Fulgóre pompa dívitum!
Dum ſpontè, Jeſu, ſis inops,
Opes quis amens æſtimet.
Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre, & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Magnificâvit Dóminus fácere nobíſcum: ℟. Facti ſumus lætantes. *Pſal.* 125. 3.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *d.* Ecce nos vénimus ad te: tu enim es Dóminus Deus noſter: verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jerem.* 3. 22. 23.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus. Proles ab alvo. *ut in Nativitate Domini.*

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. *f.* Consúrge, filia Sion, lauda in nocte, in princípio vigiliárum: effúnde cor tuũ antè conſpéctum Dómini. *Thren.* 2. 19.

Et ſic dicitur uſque ad Purificationem (niſi ante venerit Septuageſima.)

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jeſum, qui eſt verè Deus abſconditus, & Iſrael Salvátor; * Veníte, adorémus. *Iſ.* 45. 15.

IN I. NOCTURNO.

Naſcitur parvulus, vivit pauper.

Ant. t. 1. *F.* Párvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. *Iſ.* 9. 6.

Ant. t. 2. *D.* In terris viſus eſt, & cum homínibus conversátus eſt. *Baruc.* 3. 38.

Ant. t. 4. *E.* Vídimus & teſtificámur, quóniam Pater miſit Filium ſuum Salvatórem mundi. 1. *Joan.* 4. 14.

℣. Animas páuperum ſalvas fáciet: ℟. Honorábile nomen eórum coram illo. *Pſ.* 71. 13. 14.

Incipit Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, & Timótheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corínthi, cum ómnibus ſanctis, qui ſunt in univérſa

Achája. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiárum, & Deus totíus conſolatiónis, qui conſolátur nos in omni tribulatióne noſtra: ut poſsímus & ipſi conſolári eos, qui in omni preſsúra ſunt, per exhortatiónem, quâ exhortámur & ipſi à Deo. Quóniam ſicut abúndant paſſiónes Chriſti in nobis: ita & per * Chriſtū abúndat conſolátio noſtra. Sive autem tribulámur pro veſtra exhortatióne & ſalúte, ſive conſolámur pro veſtra conſolatióne, ſive exhortámur pro veſtra exhortatióne & ſalúte; quæ operátur tolerántiam earúmdem paſſiónum, quas & nos pátimur: ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſciéntes quòd ſicut sócii paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis.

℟. Dómine Deus Iſrael, * Ergone credíbile eſt ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? ℣. Chriſtus cùm in forma Dei eſſet, ſemetípſum exinanívit in ſimilitúdinem hóminum factus, & hábitu invéntus ut homo. * Ergone. *2. Par.* 6. 17. 18. *Philipp.* 2. 6. 7.

Lectio 2. v. 8. ad 12.

NOn enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quóniam ſupra modum graváti ſumus ſupra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipſi in nobiſmetípſis reſpónſum mortis habúimus, ut non ſimus fidéntes in nobis, ſed in Deo, qui súſcitat mórtuos: qui de tantis perículis nos erípuit, & éruit: in quem ſperámus, quóniam & adhuc erípiet, adjuvántibus & vobis in oratióne pro nobis; ut ex multórum persónis, ejus quæ in nobis eſt donatiónis, per multos grátiæ agántur pro nobis.

℣. Expectátio Iſrael, Salvátor ejus in témpore tribulatiónis: * Quare quaſi colónus futúrus es in terra, & quaſi viátor declinans ad manéndum? ℣. Vulpes fóveas habent, & volucres cœli nidos: Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. * Quare... *Jerem.* 14. 8. *Matth.* 8. 20.

Lectio iij. v. 12. ad 15.

NAm glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ, quòd in ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei, conversáti ſumus in hoc mundo: abundántius autem ad vos. Non enim ália ſcríbimus vobis, quàm quæ legíſtis & cognoviſtis. Spero autē quòd uſque in finē cognoſcétis, ſicut & cognoviſtis

nos ex parte, quòd glória veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Dómini noſtri Jeſu Chriſti.

℟. Débuit per ómnia frátribus ſimilári, * Ut miséricors fíeret. † In eo enim in quo eſt tentátus, potens eſt & eis, qui tentántur, auxiliári. ℣. Vídimus eum ſciéntem infirmitátem. * Ut miséricors... Glória. † In eo. *Hebr.* 2. 17. 18. *Iſ.* 53. 2. 3.

IN II. NOCTURNO.

Mundus eum non cognovit.

Ant. t. 4. *a.* Dómine, quare futúrus es velut vir vagus, ut fortis qui non poteſt ſalváre? *Jerem.* 14. 9.

Ant. t. 7. *C.* Deſcendíſti: & à ſæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt. *Iſ.* 64. 3. 4.

Ant. t. 8. C. Deus meus, cognóvimus te: projécit Iſraël bonum. *Oſee.* 8. 2. 3.

℣. Tu pópulum húmilem ſalvum fácies: ℟. Et óculos ſuperbórum humiliábis. *Pſ.* 17. 28.

Ex Commentário ſancti Joánis Chrysóſt. in Epiſtolam ad Romános. *In proœmio.*

Lectio iv.

DUm Epiſtolárum ſancti Pauli lectiónem frequénter, ac ſæpè ter quatérve per ſíngulas Hebdómadas áudio, quando ſanctórum Mártyrum memóriâ celebrámus, gáudeo & exúlto, tubâ fruens ſpiritali, deſiderióque árdeo, cùm amícam mihi vocem auſcúlto; ferèque mihi vídeor illum præséntem, & diſſeréntem conſpícere; ſed angor ac diſcrúcior, quòd non omnes tantum virum, ut par eſſet, cognóſcant, & uſque ádeò quidam ignórent, ut nec númerum quidem Epiſtolárum ejus ſciant. Illud verò non hinc évenit, quòd díſcere non váleant, ſed quòd nolint cum ſancto viro frequénter versári.

℟. Exúlta, fília Sion, júbila, fília Jerúſalem: * Ecce Rex tuus venit tibi juſtus; & ſalvátor, ipſe pauper. ℣. Propter vos egénus factus eſt, cùm eſſet dives; ut illíus inópiâ vos dívites eſſétis. * Ecce *Zach.* 9. 9. 2. *Corinth.* 8. 9.

Lectio v.

NEque enim nos quæ ſcimus, ſi quæ tamen ſcimus, ex ingénii acrimónia nóvimus: ſed quòd ejus ſcripta áſſíduè tractémus, illúmque affectu máximo complectámur. Nam qui amant, amatórum acta pluſquam álii omnes norunt, utpote qui de illis ſollíciti ſint: id quod hic vir beátus oſténdens, Philippénſibus dicit: Sicut mihi juſtum eſt hoc ſentíre de vobis, eò quòd vos in corde hábeam in vínculis meis, & in defenſióne & confirmatióne Evangélii. Itaque ſi vultis lectióni diligénter atténdere, non áliud requiréndum

rendum vobis erit : verum quippe eſt Chriſti dictum illud : Quærite, & inveniétis ; pulsáte, & aperiétur vobis.

℟. Cum eſſet Fílius Dei, * Dídicit ex iis, quæ paſſus eſt, obediéntiam : factus ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalútis ætérnæ. ℣. Oblátus eſt, quia ipſe vóluit, & volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. * Dídicit. *Hebr.* 5. 8. 9. *Iſ.* 53. 7. 10.

Lectio vj.

VErùm quia pleríque ex iis qui hùc nobiſcum convenére, líberos, uxórem aléndam, ædeſque curándas ſuſcepére ; nec ſeſe totos huic ſtúdio dare poſſunt ; ad ea quæ álii collegérunt, excipiénda vos comparate, tantumque ſtúdium dictis audiéndis adhibéte, quantùm colligéndæ pecúniæ. Et ſi namque turpe eſt nil à vobis plus exigere ; útinam vel tantum adhibeátis. Nam à Scripturárum ignorántia innúmera orta ſunt mala : hinc multa hæréſeon lues : hinc ignáva vivéndi rátio, & infructuóſi labóres.

℟. Dómine, audívi auditiónem tuam, & tímui : Dómine, opus tuum. * Egréſſus es in ſalútem pópuli tui, in ſalútem cum Chriſto tuo. ℣. Formam ſervi accípiens, humiliávit ſemetípſum factus obédiens. * Egréſſus. Glória. * Egréſſus. *Hab.* 3. 2. 13. *Philip.* 2. 7. 8.

IN III. NOCTURNO.

Ab ipſo humilitatem diſcite.

Ant. t. 7. a. Diſcite à me, quia mitis ſum, & húmilis corde. *Matth.* 11. 29.

Ant. t. 8. c. Niſi efficiámini ſicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 18. 3.

Ant. t. 3. E. Quicúmque humiliáverit ſe ſicut párvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum. *Matth.* 18. 4.

℣. Quis ſápiens, & cuſtódiet hæc? ℟. Et intélliget miſericórdias Dómini? *Pſ.* 106. 43.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 2. v. 1.

IN illo témpore; Núptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ : & erat mater Jeſu ibi. Vocátus eſt autem & Jeſus, & diſcípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 8. in Joan. n. 1. & 3.

QUis eſt qui consíderat operã Dei, quibus régitur & adminiſtratur totus hic mundus, & non obſtupéſcit, obruitúrque miráculis? Sed quia hómines in áliud inténti perdidérunt conſideratiónẽ óperum Dei, in qua darent laudem quotídie Creatóri : ſervávit ſibi Deus inuſitáta quædam, quæ fáceret, ut tamquam dormientes hómines ad ſe coléndum mirabílibus excitáret. Prióra miràcula fecit per

Verbum ſuum Deum apud ſe: poſterióra mirácula fecit per ipſum Verbum ſuum incarnátum, & propter nos hominem factum. Cùm ergo tanta videámus facta per Deum Jeſum, quid mirámur aquam in vinum convérſam per hóminem Jeſum? ipſe fecit hoc, qui illa ómnia.

℟. Vos ſcitis Jeſum à Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu ſancto, & virtúte, * Qui pertránſiit benefaciéndo & ſanándo omnes. ℣. Benedícite Deum, & narráte ómnia mirabília ejus. * Qui. *Act.* 10. 37. 38. *Tob.* 12. 20.

Lectio 8. *n.* 3. 4. 5. *&* 9.

EXcépto miráculo, áliquid in ipſo facto myſtérii & ſacraménti latet. Quid mirum, ſi in illam domum ad núptias venit, qui in hunc mundum ad núptias venit? Verbum enim, ſponſus; & ſponſa, caro humana: & utrúmque, unus Fílius Dei, & idem fílius hóminis. Uterus Vírginis Maríæ, thálamus ejus; inde procéſſit tamquam ſponſus de thálamo ſuo. Certi ſacraménti grátiâ, vidétur matrem, de qua ſponſus proceſſit, non agnóſcere, & dicere illi: Quid mihi & tibi eſt, múlier? Miráculum exigebat mater: at ille non agnoſcit víſcera humána, operatúrus facta divina, tamquam dicens: Quod de me facit miraculum, non tu genuíſti; ſed quia genuíſti infirmitátem meam, tunc te cognóſcam, cùm ipſa infírmitas pendébit in cruce: hoc eſt enim, Nondùm venit hora mea.

℟. Deus ſecúndùm imáginem ſuam fecit hóminem: creávit ex ipſo adjutórium símile ſibi. * Juſtítiam & judícia ſua oſténdit illis. Et magnália honóris ejus vidit óculus illórum. ℣. Núptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ; & erat mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcípuli ejus, ad núptias. * Juſtítiam. *Eccli.* 17. 1. 5. 10. 11. *Joan.* 2. 1. 2.

Lectio ix. Tract. 9. *n.* 2.

EXceptâ myſticâ ſignificatióne, confirmáre vóluit Dóminus quòd ipſe fecit núptias: futúri enim erant, de quibus dixit Apóſtolus, prohibéntes núbere, & dicéntes quòd malum eſſent núptiæ, & quòd diábolus eas feciſſet. Nec illæ quæ virginitátem Deo vovent, quamquam ampliórẽ gradum honoris & ſanctitátis in Eccléſia téneant, ſine núptiis ſunt: nam & ipſæ pértinẽt ad núptias cum tota Eccleſia; in quibus núptiis ſponſus eſt Chriſtus. Ac per hoc ergo Dóminus invitatus venit ad núptias; ut conjugális caſtitas firmarétur, & oſtenderétur ſacraméntum nuptiárum: quia & illárum nuptiárũ ſponſus perſonam Dómini figurábat.

℟. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: * Amícus autem

ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gáudio gaudet propter vocem ſponſi. ✝ Hoc ergo gáudium meum implétum eſt. ℣. Invéni quem díligit ánima mea : ténui eum ; nec dimíttam. * Amícus. Glória. ✝ Hoc ergo. *Joan.* 3. 29. *Cant.* 3. 4.

Te Deum.

AD LAUDES.

Vita ejus in Nazareth, vita Chriſtianæ exemplum.

℣. *Sacerdot.* Fílii Sion exúltent in rege ſuo. ℟. Laudent nomen ejus in choro. *Pſalm.* 149. 2. 3.

Ant. t. 1. *D.* ERat pater Jeſu & mater mirántes ſuper his quæ dicebántur de illo. *Luc.* 2. 33.

Ant. t. 3. *a.* Véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth : quóniam Nazaræus vocábitur. *Matth.* 2. 23.

Ant. t. 5. *a.* Puer creſcébat, & confortabátur, plenus ſapiéntiâ. *Luc.* 2. 40.

Ant. t. 6. *f.* In ipſo complácuit, omnem plenitúdinem inhabitáre ; & per eum reconciliáre ómnia in ipſum. *Coloſſ.* 1. 19. 20.

Ant. t. 8. *c.* Quia púeri communicavérunt carni & ſanguini, & ipſe ſimíliter participávit eiſdem. *Hebr.* 2. 14.

Capitulum. Tit. 2. 11. 12.

APpáruit grátia Dei Salvatóris noſtri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, & ſæculária deſidéria, ſobriè, & juſtè, & piè vivámus in hoc ſæculo.

℣. Exultábo manè miſericórdiam tuam ; ℟. Quia factus es ſuſcéptor meus. *Pſalm.* 58. 17.

Ad Benedíctus. *Ant. t.* 8. *g.* Fecit inítium ſignórum Jeſus in Cana Galilææ ; & manifeſtávit glóriam ſuam. *Joan.* 2. 11.

Oratio.

DOmine Deus, qui ut núptias ſāctificáres iis intereſſe voluíſti : da nobis eárum intellígere myſtérium ; & ad illas núptias pertinére, in quibus ipſe ſponſus es caſtárum animárum ; Qui vivis, &c.

AD PRIMAM.

Capitulum. Regi ſæculórum, &c.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matt.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſſ.* 24. *de Matrim. Can.* 1.

SI quis díxerit, Matrimónii, non eſſe verè & propriè unū ex ſeptē legis Evangélicæ ſacraméntis à Chriſto Dómino inſtitútum, ſed ab homínibus in Eccléſia invéntum, neque grátiam conférre ; anathéma ſit.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 9. 10.

DEus teſtificátus eſt de Fílio ſuo : qui credit in Fílium Dei, habet teſtimónium Dei in ſe.

℟. *br.* Ecce cognóvi * Quóniam Deus meus es. Ecce

℣. In Deo laudabo verbum.* Quóniam. Glória. Ecce. *Pſal.* 55. 10. 11.

℣. Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus; ℟. Qui mandas ſalútes Jacob. *Pſ.* 43. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 2.

OMnis ſpíritus, qui confitétur Jeſum Chriſtum in carnē veníſſe, ex Dēo eſt.

℟. *br.* Tu es, Deus,* Salvátor meus. Tu es. ℣. Et te ſuſtínui totâ die. * Salvátor. Glória. Tu es. *Pſal.* 24. 5.

℣. Deus, ſuſcéptor meus es: ℟. Deus meus, miſericórdia mea. *Pſal.* 58. 18.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 20.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcámus verum Deum, & ſimus in vero Fílio ejus.

℟. *br.* Cantáte Dómino,* Et benedícite nómini ejus. Cantáte. ℣. Annuntiáte de die in diem ſalutáre ejus. * Et benedícite. Glória. Cantáte. *Pſal.* 95. 2.

℣. Exultábit cor meum in ſalutári tuo: ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Pſal.* 12. 6.

AD VESPERAS,

Ant. De 1. *Veſperis in ſabbato.* pag. 365.

Capitulum. Coloſſ. 2. 6. 7.

SIcut accepíſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipſo ambuláte, radicáti, & ſuperædificáti in ipſo, & confirmáti fide, ſicut & didiciſtis, abundántes in illo in gratiárum actióne.

HYMNUS.

PUer Deus, qui Názareth
Domo látes ſub páupere,
Te quanta monſtrat óptimum
Mundo paréntem cháritas!

Manens Deus, fis párvulus,
Nobis ut angúſtam teras
Cœli viam, quâ prævium
Te ſubſequámur párvuli.

Superbiéntes déprimis
Noſtri tumóres péctoris:
Infantiúmque nos doces
Paráre cœlos índole.

Obtúſa ſacris vátibus,
Judæa gens te réſpuit:
Inſána, quæ ſolem fugit,
Amóre noctis ébria!

Abjéctus, his es ſcándalū:
His, pauper, es deméntia:
Nobis, verénda quæ venis
Orbi docéndo véritas.

Fiant ab auro dívites,
Quos ſtultus error décipit:
Doctóre te fit dítior,
Qui vana mundi déſpicit.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória;
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempitérna ſæcula. Amen.

℣. Hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum; ℟. Ipſe reget nos in ſæcula. *Pſal.* 47. 15.

Ad Magníficat, *Ant. t.* 1. *a.* Relínquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærébit uxóri ſuæ; & erunt duo in carne una. Sacraméntum hoc magnum eſt, in Chriſto, & in Eccleſia. *Eph.* 5. 31. 32.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola ſecúnda B. Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 5.

STátui autem hoc ipſum apud me, ne íterum in triſtítia venírem ad vos. Si enim ego contríſto vos; & quis eſt qui me lætíficet, niſi qui contriſtátur ex me? Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non, cùm vénero, triſtítiam ſuper triſtítiam hábeam, de quibus oportúerat me gaudére: confídens in ómnibus vobis, quia meum gáudium, ómnium veſtrûm eſt. Nam ex multa tribulatióne, & angúſtia cordis ſcripſi vobis per multas lácrymas: non ut contriſtémini; ſed ut ſciátis quã charitátem hábeam abundántiùs in vobis.

Lectio ij. v. 5. ad 12.

SI quis autem contriſtávit, non me contriſtávit: ſed ex parte, ut non ónerem omnes vos. Súfficit illi qui ejúſmodi eſt, objurgátio hæc, quæ fit à plúribus: ita ut è contrário magis donétis, & conſolémini, ne fortè abundantióri triſtítiâ abſorbeátur qui ejúſmodi eſt. Propter quod óbſecro vos, ut confirmétis in illum charitátem. Ideò enim & ſcripſi, ut cognóſcam experiméntum veſtrum, an in ómnibus obediéntes ſitis. Cui autem áliquid donáſtis, & ego: nam & ego quod donávi, ſi quid donávi, propter vos in perſóna Chriſti, ut non circumveniámur à sátana: non enim ignorámus cogitatiónes ejus.

Lectio iij. v. 12. ad finem.

CUm veníſſem autem Tróadem propter Evangélium Chriſti, & óſtium mihi apértum eſſet in Dómino, non hábui réquiem ſpirítui meo, eò quòd non invénerim Titum fratrem meum; ſed valefáciens eis, profécłus ſum in Macedóniam. Deo autem grátias, qui ſemper triúmphat nos in Chriſto Jeſu, & odórem notítiæ ſuæ maniféſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui péreunt: áliis quidem odor mortis in mortem; áliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idóneus? Non enim ſumus ſicut plúrimi, adulterántes verbum Dei, ſed ex ſinceritáte, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto lóquimur.

CANON

Ex Concílio Remenſi, *An. 1583. tit. de Matrim. num. 4.*

SPonſália non niſi coram Párocho, vel ejus Vicário fiant, idque in Eccléſia, & non álibi, niſi de Ordinárii licéntia; quátuor, vel tribus ſaltẽ téſtibus præsẽtibus.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola ſecúnda B. Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 7.

INcípimus íterum noſmetípſos commendáre?

aut numquid egémus (ſicut quidam) commendatítiis epíſtolis ad vos, aut ex vobis? Epíſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in córdibus noſtris, quæ ſcitur & légitur ab ómnibus homínibus: manifeſtáti quòd epíſtola eſtis Chriſti, miniſtráta à nobis, & ſcripta non atraménto, ſed ſpíritu Dei vivi: non in tábulis lapídeis, ſed in tábulis cordis carnálibus. Fidúciam autem talem habémus per Chriſtum ad Deum: non quòd ſufficiéntes ſimus cogitáre áliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficiéntia noſtra ex Deo eſt: qui & idóneos nos fecit miníſtros novi teſtaménti; non litterâ ſed Spíritu: líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat.

Lectio ij. Cap. 4. v. 5. ad 12.

NOn enim noſmetípſos prædicámus, ſed Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Jeſum: quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei in fácie Chriſti Jeſu. Habémus autem theſaurum iſtum in vaſis fictílibus: ut ſublímitas ſit virtútis Dei, & non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, ſed non anguſtiámur: aporiámur, ſed non deſtitúimur: perſecutiónem pátimur, ſed non derelínquimur: dejícimur, ſed non perímus: ſemper mortificatiónem Jeſu in córpore noſtro circumferéntes, ut & vita Jeſu manifeſtétur in corpóribus noſtris. Sēper enim nos, qui vívimus, in mortē trádimur propter Jeſū: ut & vita Jeſu manifeſtétur in carne noſtra mortáli.

Lectio iij. v. 16. ad finem.

PRopter quod non defícimus: ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpátur: tamen is, qui intus eſt, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præſénti eſt momentaneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, ſed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália ſunt: quæ autem non vidéntur, ætérna ſunt.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Reform. Cap. j.

SAcri Lateranénſis Concílii veſtígiis inhæréndo, ſancta Synodus præcipit, ut in póſterum, ántequam Matrimónium contrahátur, ter à próprio Párocho, tribus contínuis diébus feſtívis, in Eccléſia inter Miſſárum ſolémnia públicè denuntiétur inter quos matrimónium ſit contrahéndum: quibus denuntiatiónibus factis, ſi nullum legítimum opponátur impediméntum, ad celebratiónem matrimónii in fácie Eccléſiæ procedátur.

FERIA QUARTA.
De Epiſtola ſecúnda beati Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 6.

SCimus enim quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes: ſi tamen veſtíti, non nudi inveniámur. Nam & qui ſumus in hoc tabernáculo, ingemíſcimus graváti: eò quòd nólumus expoliári, ſed ſuperveſtíri; ut abſorbeátur quod mortale eſt, à vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spíritûs.

Lectio ij. v. 6. ad 12.

AUdéntes ígitur ſemper, ſciéntes quóniam dum ſumus in córpore, peregrinámur à Dómino: (per ſidem enim ambulámus, & non per ſpéciem) audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præséntes eſſe ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, ſive abséntes, ſive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifeſtári opórtet ante tribúnal Chriſti, ut réferat unuſquíſque própria córporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Sciéntes ergo timórem Dómini, homínibus ſuadémus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſciéntiis veſtris manifeſtos nos eſſe.

Lectio iij. v. 14. ad 21.

CHáritas enim Chriſti urget nos: æſtimántes hoc, quóniam ſi unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt: & pro ómnibus mórtuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant; ſed ei, qui pro ipſis mórtuus eſt, & reſurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus ſecúndùm carnem. Et ſi cognóvimus ſecúndùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Chriſto nova creatúra, vétera tranſiérunt: ecce facta ſunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſtériũ reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcílians ſibi, non réputans illis delícta ipsórum, & póſuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.
Seſſ. 24. de Reform. Matrim. Can. 4.

SI quis díxerit, Eccléſiam non potuíſſe conſtitúere impediménta matrimónium diriméntia, vel in iis conſtituéndis erráſſe, anathéma ſit.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 6. v. 11. ad 17.

OS noſtrum patet ad vos, ô Corínthii, cor noſtrum dilatátum eſt. Non anguſtiámini in nobis: anguſtiámini autem in viſcéribus veſtris: eámdem autem habéntes remuneratiónem, tamquam fíliis dico, dilatámini & vos. Nolíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio juſtítiæ cum iniquitáte? Aut quæ ſociétas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infidéli? Quis autem conſénsus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quóniam inhabitabo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

Lectio ij. Cap. 7. v. 8. ad 12.

ETſi contriſtávi vos in Epíſtola, non me pœnitet: etſi pœnitéret, videns quòd Epíſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtávit; nunc gáudeo: non quia contriſtáti eſtis, ſed quia contriſtáti eſtis ad pœniténtiam. Contriſtáti enim eſtis ſecúndùm Deum, ut in nullo detriméntum patiámini ex nobis. Quæ enim ſecúndùm Deum triſtítia eſt, pœniténtiam in ſalútem ſtábilem operátur: ſæculi autem triſtítia mortem operátur. Ecce enim hoc ipſum ſecúndùm Deum contriſtári vos, quantam in vobis operátur ſollicitúdinem: ſed defenſiónem, ſed indignatiónem, ſed timórem, ſed deſidérium, ſed æmulatiónem, ſed vindíctam; in ómnibus exhibuíſtis vos, incontaminátos eſſe negótio.

Lectio iij. Cap. 10. v. 1. ad 7.

IPſe autem ego Paulus óbſecro vos, per manſuetúdinem & modéſtiam Chriſti, qui in fácie quidem húmilis ſum inter vos; abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidéntiam quâ exíſtimor audére, in quoſdam, qui arbitrántur nos tamquam ſecúndum carnem ambulémus. In carne enim ambulántes, non ſecúndùm carnem militámus. Nam arma milítiæ noſtræ non carnália ſunt, ſed poténtia Deo ad deſtructiónem munitiónum, conſília deſtruéntes, & omnem altitúdinem extolléntem ſe advérsùs ſciéntiam Dei, & in captivitátem redigéntes omnem intelléctum in obséquium Chriſti, & in promptu habéntes ulcíſci omnem inobediéntiam, cùm impléta fúerit veſtra obediéntia.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Ref. Matr. Cap. 1.

QUi áliter quàm præſénte Parocho, vel álio Sacerdóte de ipsius Párochi, vel Ordinarii licéntia, & duóbus, vel tribus téſtibus matrimonium contrahere attentabunt; eos ſancta Synodus ad ſic contrahéndum omnino inhábiles reddit; & hujúſmodi contráctus írritos & nullos eſſe decérnit.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola ſecúnda B. Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 11. v. 1. ad 8.

UTinam ſuſtinerétis módicum quid inſipiéntiæ meæ, ſed & ſupportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos uni viro vírginem caſtam exhibére Chriſto. Tímeo autem, ne, ſicut ſerpens Hevam ſedúxit aſtútiâ ſuâ, ita corrumpántur ſenſus veſtri, & éxcidant à ſimplicitáte, quæ eſt in Chriſto. Nam ſi is qui venit, álium Chriſtū prædicat, quem non prædicávimus; aut álium ſpíritum accípitis, quem non accepíſtis; aut áliud Evangélium, quod non recepíſtis: rectè pateréminí. Exíſtimo enim nihil me minus fecíſſe à magnis Apóſtolis. Nam etſi imperítus ſermóne, ſed non ſciéntiâ: in ómnibus autem manifeſtati ſumus vobis. Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians, ut vos exaltémini? quóniam gratìs Evangélium Dei evangelizavi vobis?

Lectio ij. v. 18. ad 25.

QUóniam multi gloriántur ſecúndùm carnem; & ego gloriábor. Libénter enim ſuffertis inſipiéntes: cùm ſitis ipſi ſapiéntes. Suſtinétis enim, ſi quis vos in ſervitútem rédigit, ſi quis dévorat, ſi quis áccipit, ſi quis extóllitur, ſi quis in fáciem vos cædit. Secúndùm ignobilitátem dico, quaſi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipiéntia dico,) áudeo & ego; Hebræi ſunt, & ego: Iſraelítæ ſunt, & ego: Semen Abrahæ ſunt, & ego: Miníſtri Chriſti ſunt, (ut minùs ſápiens dico) plus ego: in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequénter. A Judæis quínquies quadragénas unâ minùs, accépi.

Lectio iij. v. 25. ad 32.

TEr virgis cæſus ſum, ſemel lapidátus ſum, ter naufrágium feci, nocte & die in profúndo maris fui, in itinéribus ſæpè, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex géntibus, perículis in civitáte, perículis in ſolitúdine, perículis in mari, perículis in falſis frátribus: in labóre & ærúmna, in vigíliis multis, in

fame & ſiti, in jejúniis multis, in frígore & nuditáte: præter illa, quæ extrínſecùs ſunt, inſtántia mea quotidiána, ſollicitúdo ómnium Eccleſiárum. Quis infirmátur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizátur, & ego non uror? Si gloriári opórtet: quæ infirmitátis meæ ſunt, gloriábor. Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedíctus in ſæcula, ſcit quòd non méntior.

CANON

Ex Concílio Reménſi.

Ann. 1583. *Tit. de Matrim. Num.* 6.

CUm matrimónium non fáciat contráctus, ſed conſénſus, ac proínde contrahéntium libértas nullâ vi premi débeat: qui ad illud áliquem compúlerint, ipſo facto excommunicatiónem incúrrere moneántur.

SABBATO.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 7.

SI gloriári opórtet (non éxpedit quidem:) véniam autem ad viſiónes & revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Chriſto ante annos quatuórdecim, (ſive in córpore néſcio, ſive extra corpus néſcio, Deus ſcit) raptum hujúſmodi uſque ad tértium cœlum. Et ſcio hujúſmodi hóminem, (ſive in córpore, ſive extra corpus, néſcio, Deus ſcit) quóniam raptus eſt in Paradíſum: & audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúſmodi gloriábor; pro me autem nihil gloriábor, niſi in infirmitátibus meis. Nam, & ſi volúero gloriári, non ero inſípiens: veritátem enim dicam: parco autem, ne quis me exíſtimet ſupra id quod videt in me, aut áliquid audit ex me.

Lectio ij. v. 7. *ad* 13.

ET ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus eſt mihi ſtímulus carnis meæ ángelus ſátanæ qui me colaphízet: propter quod ter Dóminum rogávi ut diſcéderet à me: & dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea; nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Chriſti. Propter quod pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in neceſſitátibus, in perſecutiónibus, in angúſtiis pro Chriſto: cùm enim infírmor, tunc potens ſum. Factus ſum inſípiens, vos me coegíſtis. Ego enim à vobis débui commendári: nihil enim minùs fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apóſtoli: tamétſi nihil ſum: ſigna tamen Apoſtolátûs mei facta ſunt ſuper vos, in omni patiéntia, in ſignis, & prodígiis, & virtútibus.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

ECce tértiò hoc vénio ad vos: in ore duórum vel trium téſtium ſtabit omne verbum. Prædíxi, & prædíco ut præſens, & nunc abſens, iis qui antè peccavérunt, & cæteris ómnibus, quóniam ſi vénero íterum, non parcam. An experiméntum quæritis ejus, qui in me lóquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmátur, ſed potens eſt in vobis? Nam etſi crucifíxus eſt ex infirmitáte: ſed vivit ex virtúte Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed vivémus, cum eo ex virtúte Dei in vobis. Voſmetípſos tentáte ſi eſtis in fide: ipſi vos probáte. An non cognóſcitis voſmetípſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? niſi fortè réprobi eſtis. Spero autem quòd cognoſcétis, quia nos non ſumus réprobi. Orámus autem Deum, ut nihil mali faciátis, non ut nos probáti appareámus, ſed ut vos quod bonum eſt faciátis: nos autem ut réprobi ſimus.

CANON

Ex Concilio Bituricénſi. *An* 1584. *Tit.* 27. *de Matrim. Can.* 5.

FIat benedíctio nuptiális à próprio Párocho in fácie Eccléſiæ in Miſſa, ab auróra uſque ad merídiem; non poſt prándium, neque noctu, neque in privátis dómibus.

AD VESPERAS.

Omnia ut in Sabbato ante Dominicam II. poſt Epiphaniam *pag.* 365. (*Niſi tamen poſtridie venerit Septuageſima.*

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* In ſciéntia ſua juſtificábit ipſe juſtus ſervus meus multos; & iniquitátes eórum ipſe portábit. *Iſ.* 53. 11.

Oratio ut infrà poſt Laudes.

DOMINICA III.

POST EPIPHANIAM.

Omnia ut in Dominica II. poſt Epiphaniam, exceptis iis quæ ſunt hîc propria.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

PAulus Apóſtolus non ab homínibus, neque per hóminem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitávit eum à mórtuis: & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccléſiis Galátiæ. Grátia vobis & pax à Deo Patre, & Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetípſum pro peccatis noſtris, ut eríperet nos de præſénti ſæculo nequam, ſecúndùm voluntátem Dei & Patris noſtri, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum: Amen. Tu autem.

℟. Dómine. *pag.* 367.

Lectio ij. v. 6. *ad* 11.

MIror quòd ſic tam citò transferímini, ab eo qui vos vocávit in grátiam Chriſti, in áliud Evangélium; quod non eſt áliud,

niſi ſunt áliqui, qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangelium Chriſti. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anathéma ſit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepíſtis, anathéma ſit. Modò enim homínibus ſuádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Chriſti ſervus non eſſem.

℟. Expectátio. *pag.* 367.

Lectio iij. v. 11. *ad* 20.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizátum eſt à me, quia non eſt ſecúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, ſed per revelatiónem Jeſu Chriſti. Audíſtis enim converſatiónem meam aliquándo in Judaíſmo; quóniam ſupra modum perſequébar Eccléſiam Dei, & expugnábam illam, & proficiebã in Judaíſmo ſupra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exíſtens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei, qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuã, ut reveláret fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in géntibus: contínuò non acquiévi carni & ſánguini, neque veni Jeroſólymam ad anteceſſóres meos Apóſtolos: ſed ábii in Arábiam; & íterum revérſus ſum Damáſcum; deínde poſt annos tres veni Jeroſolymam vidére Petrum, & manſi apud eum diébus quíndecim; álium autem Apoſtolórum vidi néminem, niſi Jacobum fratrem Dómini.

℟. Débuit. *pag.* 368.

IN II. NOCTURNO.

De expoſitióne ſancti Auguſtíni Epíſcopi in Epíſtolam ad Gálatas.

Lectio iv. Præf. init.

CAuſa, propter quam ſcribit Apóſtolus ad Gálatas, hæc eſt, ut intélligant grátiam Dei id ſecum ágere, ut ſub lege jam non ſint. Cùm enim prædicáta eis eſſet Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumciſióne, quamvis Chriſtiáni nómine, nondum tamen tenéntes ipſum grátiæ beneficium, & adhuc voléntes eſſe ſub onéribus legis, quæ Dominus Deus impoſúerat, non juſtítiæ ſerviéntibus, ſed peccáto; juſtam ſcilicet legem injúſtis homínibus dando, ad demonſtránda peccáta eórum, non auferénda. Non enim aufert peccáta, niſi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Exúlta. *pag.* 368.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas conſtitútos, illi volébant conſtitúere ſub onéribus legis, aſſeverántes ni-

hil eis prodéſſe Evangélium, niſi circumcideréntur, & cæteras carnáles Judaïci ritûs obſervatiónes ſubírent. Et ídeò Paulum Apóſtolum ſuſpéctum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tamquam non tenéntem diſciplinam cæterorum Apoſtolórum, qui gentes cogébant judaïzáre.

℟. Cùm eſſet. *pag.* 369.

Lectio vj.

TAlis quidem quæſtio eſt, & in Epiſtola ad Románios; verúmtamen vidétur áliquid interéſſe, quod ibi contentiónem ipſam dírimit, litémque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex géntibus credíderant, orta erat; cùm illi tamquam ex méritis óperum legis ſibi rédditum Evangélii præmiū arbitraréntur, quod præmium incircumciſis tamquam imméritis nolébant dari; illi contrà, Judæis ſe præférre geſtírent, tamquam interfectoribus Dómini. In hac verò Epiſtola ad eos ſcribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum, qui ex Judæis erant, & ad obſervatiónes legis cogébant.

℟. Dómine, *pag.* 369.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm deſcendíſſet Jeſus de monte, ſecútæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus véniens adorábat eum. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

In Luc. Lib. 5. *n.* 1. *&* 2.

SEcúndùm Matthæum, primus hic poſt benedictiónes à Dómino ſanátus indúcitur; ut quia díxerat Dóminus; Non veni ſólvere legem, ſed adimplére; ille qui excludebátur à lege, purgári ſe Dómini poteſtáte præſúmens, non ex lege, ſed ſupra legem eſſe grátiam judicáret, quæ leprósi máculam poſſet ablúere. Verùm, ut in Dño poteſtátis auctóritas, ita in illo fídei conſtántia declarátur. Ille in fáciem prócidit, quod humilitátis eſt & pudóris; ut unuſquíſque de ſuæ vitæ máculis erubéſcat: ſed confeſſiónem verecúndia non repréſſit. Oſténdit vulnus, remédium poſtulávit; & ipſa religiónis & fidei plena confeſſio eſt. Si vis, inquit, potes me mundáre. In voluntáte Dómini tríbuit poteſtátem: de voluntáte autem Dómini, non quaſi pietátis incrédulus dubitávit, ſed quaſi colluviónis ſuæ cónſcius, non præſúmpſit.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino, & noli obivíſci omnes retributiónes ejus; * Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui ſanat omnes infirmitátes tuas. ℣. In hoc eſt cháritas: miſit Filiū ſuum propitiatiónē pro peccátis. * Qui propitiatur *Pſ.* 102. 2. 3. 1. *Joan.* 4. 10.

Lectio viij. n. 2. 3. & 4.

CUi, moráli quâdam benignitáte, Dñus reſpóndit: Volo; mundáre. Et continuò lepra diſcéſſit ab eo. Nihil enim médium eſt inter opus Dei, atque præcéptum; quia in præcépto eſt opus. Dénique dixit & facta ſunt. Vidétis ígitur quòd dubitári non poteſt, quia volúntas Dei, potéſtas eſt. Itaque ſtatim lepra diſcéſſit, ut intélligas medéntis afféctum, qui veritátem óperi áddidit. Dénique ſecúndùm Marcum, misértus eſt eum Dóminus; quod pulchrè eſt póſitum. Et pleraque tália poſuérunt Evangeliſtæ, qui nos in utróque fundáre voluérunt, deſcribéntes ſigna virtútis ad fidem, expriméntes ópera virtútis ad imitatiónẽ. Unde & tangit non dedignátus, & ímperat non diffíſus; hoc enim eſt indícium poteſtátis, quia quaſi habens poteſtátem ſanandi, & jubéndi auctoritátem, operándi teſtimónium non réfugit. Volo, ergo, dicit propter Photínum; ímperat propter Arium; tangit propter Manichæum.

℟. Ecce Deus Salvátor meus: * Fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus; & factus eſt mihi in ſalútem. ℣. Huic omnes Prophétæ teſtimóniũ pérhibent, remiſſiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. * Fiduciáliter. *Iſ.* 12. 2. *Act.* 10. 43.

Lectio ix. n. 7. & 8.

SImul illud mirábile, quòd eo ſanávit génere, quo fúerat obſecrátus. Si vis, potes me mundáre. Volo, in quit; mundáre. Habes voluntátẽ, habes étiam pietátis efféctum. Et exténdens manum, tétigit illum. Lex tangi lepróſos próhibet; ſed qui Dóminus legis eſt, non obſéquitur legi, ſed legem facit. Non ergo tétigit, quia ſine tactu mundáre non póterat; ſed ut probáret quia ſubjéctus non erat legi, nec contágium timébat ut hómines; ſed quia contamináriſ non póterat, qui álios liberábat: ſimul ut è contrário lepra tactu Dómini fugarétur, quæ ſolébat contamináre tangéntem. Oſténdere autem ſe Sacerdóti jubétur, ut intelligeret Sacérdos, non legis órdine, ſed Dei grátiâ ſupra legem eſſe curatum.

℟. Dómine, ad quem íbimus? Verba vitæ ætérnæ habes: * Et nos credídimus, & † Cognóvimus quia tu es Chriſtus Fílius Dei. ℣. Nos cognóvimus, quóniam non eſt Deus præter te, Dómine. * Et nos. Glória. † Cognóvimus, *Joan.* 6. 69. 70. *Eccli.* 36. 5.

Ad Benedict. Ant. t. 3. a.

Lepróſus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, ſi vis, potes me mundáre: & Jeſus tétigit eum, dicens:

Volo; mundáre. Et confeſtim mundáta eſt lepra ejus. *Matth.* 8. 2. 3.

Oratio.

OMnipotens ſempitérne Deus, infirmitátē noſtram propítius réſpice; atque, ad protegéndum nos, déxteram tuæ majeſtátis extén de; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi. *An.* 1579. *Part.* 8. *Tit.* 15.

PArochus, quos ſponſos experiéndo víderit doctrínæ Chriſtiánæ rudiménta planè ignoráre, ne matrimónio illos ante jungat, quàm eâ item ratióne cognóverit didiciſſe quæ eo de génere illos planè ſcire opórtet.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Centúrio ait: Dómine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanábitur puer meus. *Matth.* 8. 8.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 16. *ad fin.*

SCiéntes quòd non juſtificátur homo ex opéribus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu crédimus, ut juſtificémur ex fide Chriſti, & non ex opéribus legis: propter quòd ex opéribus legis non juſtificábitur ōnis caro. Quòd ſi quærētes juſtificári in Chriſto, invénti ſumus & ipſi peccatóres, numquid Chriſtus peccáti miniſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtrúxi, íterum hæc ædífico, prævaricatórē me conſtítuo. Ego enim per legem, legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confíxus ſum cruci. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne: in fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, & trádidit ſemetípſum pro me. Non abjício gratiā Dei. Si enim per legem juſtítia, ergo gratis Chriſtus mórtuus eſt.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

O Inſensáti Gálatæ, quis vos faſcinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jeſus Chriſtus præſcríptus eſt, in vobis crucifixus? Hoc ſolùm à vobis volo díſcere: Ex opéribus legis Spíritum accepíſtis, an ex audítu fídei? Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpíritu cœperitis, nunc carne conſummémini? Tanta paſſi eſtis ſine causâ? ſi tamen ſine causa. Qui ergo tribuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fidei? Sicut ſcriptum eſt: Abraham crédidit Deo, & reputátum eſt illi ad juſtítiam. Cognóſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt fílii Abrahæ.

Lectio iij. v. 8. *ad* 15.

PRóvidens autem Scriptúra, quia ex fide juſtíficat Gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicéntur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide ſunt, be-

nedicéntur cum fideli Abraham. Quicúmque enim ex opéribus legis ſunt, ſub maledícto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledíctus omnis, qui non permánſerit in ómnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis, ut faciat ea. Quóniam autem in lege nemo juſtificátur apud Deum, maniféſtum eſt; quia juſtus ex fide vivit. Lex autem non eſt ex fide, ſed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Chriſtus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum: quia ſcriptum eſt: Maledíctus omnis qui pendet in ligno: ut in géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Reform. Matrim. Cap. 1.

CONjuges hortátur ſancta Synodus, ut ántequam cóntrahant, vel ſaltem tríduo ante matrimónii conſummatiónem, ſua peccáta diligénter confiteántur, & ad ſacratíſſimum Euchariſtiæ Sacraméntum piè accédant.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 3. v. 23. ad finem.

PRiúſquam veníret fides, ſub lege cuſtodiebámur concluſi, in eam fidem quæ revelánda erat. Itaque lex pedagógus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificémur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pedagógo. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicúmque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unũ eſtis in Chriſto Jeſu. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecúndùm promiſſionem hærédes.

Lectio ij. Cap. 4. v. 13. ad 21.

SCitis autem quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jamprídem: & tentatiónem veſtram in carne mea non ſprevíſtis, neque reſpuíſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepíſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum. Ubi eſt ergo beatitúdo veſtra? Teſtimonium enim perhíbeo vobis, quia ſi fieri poſſet, óculos veſtros eruiſsetis, & dediſsétis mihi. Ergo inimícus vobis factus ſum, verum dicens vobis? Æmulántur vos non bene: ſed exclúdere vos volunt, ut illos æmulémini. Bonum autem æmulámini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos. Filíoli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Chriſtus in vobis. Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutáre vocem meam: quóniam

quóniam confúndor in vobis.

Lectio iij. Cap. 5. v. 1. ad 10.

STate, & nolíte íterum jugo ſervitútis continéri. Ecce ego Paulus dico vobis: quóniam ſi circumcidámini: Chriſtus vobis nihil próderit. Teſtíficor autem rurſus omni hómini circumcidénti ſe, quóniam débitor eſt univérſæ legis faciéndæ. Evacuáti eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificámini: à grátia excidíſtis. Nos enim ſpíritu ex fide, ſpem juſtítiæ expectámus. Nam in Chriſto Jeſu, neque circumcíſio áliquid valet, neque præpútium: ſed fides, quæ per charitátem operátur. Currebátis bene: quis vos impedívit veritáti non obedíre? Perſuáſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Módicum ferméntum totam maſſam corrúmpit.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Reform. Matrim. Cap. 1.

SAncta Synodus hortátur ut cónjuges ante benedictiónem ſacerdotálem in Templo ſuſcipiéndam, in eádem domo non cohábitent.

F E R I A Q U A R T A.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 5.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntátem Dei, ómnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidélibus in Chriſto Jeſu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Benedíctus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituali in cœléſtibus in Chriſto, ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſsémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in charitáte.

Lectio. ij v. 5. ad 11.

QUi prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórũ per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecúndùm propoſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in diléctо Fílio ſuo, in quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum, ſecúndùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis in omni ſapiéntia & prudéntia; ut notum fáceret nobis ſacraméntum voluntátis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus, quod propóſuit in eò, in diſpenſatióne plenitúdinis témporum, inſtauráre ómnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

Lectio iij. v. 11. *ad* 15.

IN quo étiam & nos ſorte vocáti ſumus, prædeſtináti ſecúndùm propóſitum ejus, qui operátur ómnia ſecúndùm consilium voluntátis ſuæ, ut ſimus in laudem glóriæ ejus, nos qui ante ſperávimus in Chriſto: in quo & vos, cùm audiſſétis ver-

bum veritátis, (Evangélium ſalútis veſtræ,) in quo & credéntes ſignáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hæreditátis noſtræ, in redemptiónem acquiſitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

CANON

Ex Concílio Senonénſi *Ân.* 1528. *Decr. morum* 39.

PRohibémus ne in ſponſálibus, aut nuptiáli benedictióne fiant riſus, cachinnatiónes, vel ália ridícula verba enuntiéntur: quinímo moneántur affidáti, quátenùs jéjúni, contríti & confeſſi, ac cum multa reveréntia ad hoc ſacraméntum accédant.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beati Pauli Apoſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 7.

CUm eſsétis mórtui delíctis & peccátis veſtris, in quibus aliquándo ambuláſtis ſecúndùm ſæculū mundi hujus, ſecúndùm príncipem poteſtátis äëris hujus, ſpíritûs, qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ, in quibus & nos omnes aliquándo converſáti ſumus in deſidériis carnis noſtræ, faciéntes voluntâtem carnis & cogitatiónum, & erámus natúrâ filii iræ, ſicut & cæteri: Deus autem, qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam charitátem ſuam, quâ diléxit nos, & cum eſsémus mortui peccátis, convivificávit nos in Chriſto, (cujus grátiâ eſtis ſalváti) & conreſuſcitávit, & conſedére fecit in cœléſtibus in Chriſto Jeſu.

Lectio ij. v. 8. *ad* 14.

GRátiâ enim eſtis ſalváti per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus, ut in illis ãbulémus. Propter quod mémores eſtóte, quòd aliquãdo vos gẽtes in carne, qui dicímini præpútiũ ab ea quæ dícitur circũciſio in carne, manufácta: quia erátis illo in témpore ſine Chriſto, alienáti à converſatióne Iſraël, & hóſpites teſtamentórum, promiſſiónis ſpem non habéntes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquándo erátis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.

Lectio iij. v. 14. *ad* 19.

IPſe enim eſt pax noſtra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ ſolvens inimicítias in carne ſua: legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in ſemetípſo, in unum novum hóminem, fáciens pacem, & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in ſemetípſo. Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuíſtis; & pacem iis, qui propè; quóniam per ipſum habémus accéſſum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Trevirenſi.

An. 1310. *de Matr. clan.C.*80.

DEnuntiámus & declarámus quòd quicúmque clandeſtína ſponsália ſeu matrimónia contra juris prohibitiónem cóntrahunt, tam ipſi contrahéntes, quàm étiam Clérici & Láici, qui ſciéntes & ſpontè, non caſu fortúito, tali Matrimónio intérſunt, excommunicatiónis, Presbyteri verò ſuſpenſiónis per triénnium incúrrant ſenténtiam ipſo facto.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

HUjus rei grátiâ, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis géntibus, ſi tamen audíſtis diſpenſatiónem grátiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis: quóniam ſecúndùm revelatiónem notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſuprà ſcripſi in brevi: prout potéſtis legéntes intellígere prudéntiâ meâ in myſtério Chriſti: quod áliis generatiónibus non eſt ágnitum filiis hóminum, ſícuti nunc revelátum eſt ſanctis Apóſtolis ejus, & Prophétis in Spíritu, Gentes eſſe cohærédes, & concorpoſáles, & compartícipes promiſſiónis ejus in Chriſto Jeſu per Evangélium: cujus factus ſum miníſter, ſecúndum donum grátiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecúndùm operatiónem virtútis ejus.

Lectio ij. v. 8. *ad* 14.

MIhi ómnium ſanctórũ mínimo data eſt grátia hæc, in géntibus evangelizáre inveſtigábiles divítias Chriſti, & illumináre omnes, quæ ſit diſpẽſátio ſacraménti abſcónditi à ſæculis in Deo, qui ómnia creávit; ut innoteſcat principátibus & poteſtátibus in cœléſtibus per Eccléſiam, multifórmis ſapiéntia Dei, ſecúndùm præfinitiónem ſæculórum, quam fecit in Chriſto Jeſu Dómino noſtro: in quo habémus fidúciam, & accéſſum in confidéntia per fidẽ ejus. Propter quod peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ eſt glória veſtra.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 11.

OBſecro ítaque vos, ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti eſtis cum omni humilitáte & manſuetúdine, cum patiéntia, ſupportántes ínvicem in charitáte, ſolliciti ſerváre unitátem ſpíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus ſpíritus, ſicut vocáti eſtis in una ſpe vocatiónis veſtræ. Unus Dñus, una fides, unũ baptíſma. Unus Deus & Pater ómniũ, qui eſt ſuper omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem noſtrûm data eſt grátia ſecúndùm menſúram donatiónis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcéndens in

altum captivam duxit captivitatem, dedit dona homínibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferióres partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcéndit ſuper omnes cœlos, ut impleret ómnia.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Treviréſi.

An. 1310. *de Matrim. Cap.* 81.

NUllus autem Sacérdos ignótas persónas de remótis pártibus veniéntes matrimonialiter copuláre præſúmat, ſive ambæ ignotæ fúerint, ſive áltera illárum tantum. Nec tale matrimónium faciéndum denúntiet in Eccléſia abſque Epiſcopórum locórum licéntia ſpeciáli.

SABBATO.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Epheſios.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 6.

EStote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: & ambuláte in dilectióne, ſicut & Chriſtus diléxit nos, & trádidit ſemetípſum pro nobis oblatiónem & hóſtiam Deo in odórem ſuavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia nec nominétur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitúdo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrílitas quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiárum áctio. Hoc enim ſcitóte intelligéntes, quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, (quod eſt idolórum ſérvitus) non habet hæreditátẽ in regno Chriſti & Dei.

Lectio ij. v. 6. *ad* 15.

NEmo vos ſedúcat inánibus verbis: propter hæc venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórũ. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtítia, & veritáte; probántes quid ſit beneplácitum Deo: & nolíte communicáre opéribus infructuóſis tenebrárum, magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dícere. Omnia autem quæ arguúntur, à lúmine manifeſtantur; omne enim quod manifeſtátur, lumẽ eſt. Propter quod dicit; Surge, qui dormis; & exúrge a mortuis; & illuminábit te Chriſtus.

Lectio iij. Cap. 6. *v.* 10. *ad* 17.

DE cætero, fratres, confortámini in Domino, & in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut poſsítis ſtare advérsùs inſídias diáboli. Quóniam non eſt nobis colluctátio advérsùs carnem & sánguinem; ſed advérsùs príncipes, & poteſtátes; advérsùs mundi rectóres tenebrárum harum, contra ſpirituália nequitiæ, in cœleſtibus. Proptérea ac-

cipite armatúram Dei, ut poſsítis reſiſtere in die malo, & in ómnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccíncti lumbos veſtros in veritáte, & indúti lorícam juſtítiæ, & calceáti pedes in præparatione Evangélii pacis: in ómnibus ſuméntes ſcutum fídei, in quo poſsítis ómnia tela nequiſſimi ígnea extínguere.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 24. de Reform. Matrim. Cap. 10.

AB Advéntu Dómini uſque in diem Epipháníæ, & à feria quarta Cínerum uſque in Octávam Páſchatis inclusívè, antíquas ſolémnium nuptiárum prohibitiónes diligénter ab ómnibus obſervári ſancta Synodus præcipit: in áliis verò tempóribus núptias ſolémniter celebrári permíttit.

AD VESPERAS.

Ante Purificationem, omnia ut ſuprà, pag. 365. *Poſt Purificationem omnia ut in Pſalterio.*

Ad Magnif. *Ant. t. 8. c.* Omnia detriméntum feci, & árbitror ut ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam. *Philipp.* 3. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA IV.

POST EPIPHANIAM.

AD OFFICIUM NOCT.

Si hæc Dominica venerit poſt Purificationem, Invitatorium & Antiphonæ ſumentur ex Pſalterio: ſi autem venerit ante Purificationem, Invitator. & Antiphonæ ſumentur ex Officio in Dominicis ab Epiph. ad Præſent. pag. 366.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Philippénſes.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

PAulus & Timótheus, ſervi Jeſu Chriſti, ómnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philíppis, cum Epíſcopis & Diacónibus: Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo in omni memória veſtrî, ſemper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, ſuper communicatióne veſtra in Evangélio Chriſti à prima die uſque nunc; confídens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet uſque in diem Chriſti Jeſu; ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentíre pro ómnibus vobis: eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defenſióne, & confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos eſſe.

℟. Voluntátẽ timéntium ſe fáciet Dñus, & deprecatiónem eórum exáudiet; & ſalvos fáciet eos. * Cuſtódit Dóminus omnes diligéntes ſe. ℣. Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum. * Cuſtódit. *Pſ.* 144. 19. 20. *Rom.* 8. 28.

Lectio ij. v. 8. ad 15.

TEſtis enim mihi eſt Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viſcéribus Jeſu Chriſti. Et hoc oro, ut cháritas veſtra mágis ac magis abúndet in ſciéntia & in omni ſenſu: ut probétis potióra, ut ſitis ſincéri & ſine offénſa in diem Chriſti, repléti fructu juſtítiæ per Jeſum Chriſtum, in glóriam & laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profféctum venérunt Evangélii: ita ut vincula mea maniféſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris ómnibus; & plures è frátribus, in Dómino confidéntes vínculis meis, abundántiùs audérent ſine timóre verbum Dei loqui.

℟. Dómine, víſita nos in ſalutári tuo; * Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; ut laudéris cum hæreditáte tua. ℣. Iis qui coæquálem nobiſcū ſortíti ſunt fidem in juſtítia Dei noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti, grátia & pax adimpleátur; * Ad vidéndum. *Pſ.* 105. 4. 5. 2. *Petr.* I. I. 2.

Lectio iij. v. 15. ad 19.

QUidam quidē & propter invídiam & contentiónem; quidam autem & propter bonam voluntátem Chriſtum prædicant; quidam ex charitáte, ſciéntes quóniam in defenſiónem Evangélii póſitus ſum; quidam autem ex contentióne Chriſtum annúntiāt non ſincérè, exiſtimántes preſſúram ſe ſuſcitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſiónem, ſive per veritátem, Chriſtus annunciétur; & in hoc gáudeo, ſed & gaudébo.

℟. Exaltábo te, Deus meus Rex, & benedícā nómini tuo in ſæculū, & in ſæculū ſæculi. * Per ſíngulos dies benedícam tibi. ℣. Magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. * Per ſíngulos. Glória * Per ſíngulos. *Pſ.* 144. I. 2. *Philip.* I. 20.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário ſancti Joānnis Chryſóſtomi in Epíſtolam ad Philippénſes.

Lectio iv. in Præfat. n. 2. & 3.

PAulus Philippénſibus teſtimónium dat, non ſolùm fidei, & periculórum nómine, ſed étiam beneficéntiæ; ubi, inquit, quod & in princípio Evangélii, & ſemel & bis in uſum mihi miſíſtis, némine álio id præſtánte. Hæc ígitur & nos intelligéntes, aggrediámur ipſi digni fieri hujúſmodi exemplis; & primùm quidem promptos, ac paratos nos oſtendámus pro Chriſto pati. At enim hoc témpore non eſt qui Chriſtiános inſectétur, & vexet. Ergo, ubi nihil aliud, ſaltem efficácem ac veheméntem illórum

beneficéntiâ imitémur: neque ubi ſemel, atque íterùm dedérimus, omni offício perfúnctos nos arbitrémur; étenim per omnem vitam id faciéndum eſt: Quemádmodum dívitum fílii decus áureum circa collum geſtant, illúdque numquam depónunt, tamquam nobilitátis insígne circumferéntes; ita & eleemóſynam nobis ipſis circumdémus opórtet, declarántes nos eſſe miſericórdis illíus fílios, qui ſolem exoríri facit ſuper malos & bonos.

℟. Clamavérunt ad Dóminum, cùm tribularéntur; & de neceſſitátibus eórum liberávit eos. * Miſit verbum ſuum, & ſanávit eos; & erípuit eos de interitiónibus eórum. ℣. Vidíſtis quóniam miséricors Dóminus eſt, & miſerátor. * Miſit. *Pſ.* 106. 19. 20. *Jac.* 5. 11.

Lectio v.

Noſtis profécto, noſtis & vos ex pecúniis mala ómnia, ex pecuniis ſexcénta bella ſolére exiſtere. Quamóbrem qui illas contémnere dídicit, tranquíllo in portu ſeípſum locávit, nec damnum poſthac métuit. Ad hanc diſciplínam illum eleemóſyna erudívit. Non áppetit poſthac aliéna; quomodo enim, cùm ſua profúndat & donet? Nullâ poſthac divitis invídiâ tángitur; quómodo enim, cùm pauper fieri velit? Ipsúmque ánimæ óculũ ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hic: quo. ũ verò ibi bonórũ compos futúrus ſit, nulla umquam orátio queat expónere. Non unà cum ſtultis virgínibus foris manébit; ſed unà cum prudéntibus, unà cum ſponſo ſuo introíbit, ſplendídas habens lámpades. Tanta eſt eleemóſynæ virtus: nam ſi Deum in terram addúxit, idque ipſi perſuáſit, ut homo fieret; multò magis hominem in cœlum intromíttere póterit; uſque ádeò magna eſt ipsíus poténtia.

℟. Jucúndus homo qui miſerétur & cómmodat; * Diſpérſit, dedit paupéribus; juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi; cornu ejus exaltábitur in glória. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * Diſperſit. *Pſ.* 111. 5. 9. 2. *Corinth.* 9. 6.

Lectio vj.

Itaque ſi ex miſericórdia atque hóminum amóre Deus homo factus eſt, imò ſi eò addúctus eſt, ut ſervus fieret; multò magis propter eam ſervos in domum introdúcet ſuam. Hanc amémus, hanc colámus, non uno aut altero die, ſed per omne tempus; ut ipſa nos bene notos hábeat; nam ſi ea nos nóverit, & Dominus noſcet: ſin ignóret, Dñus étiam ignorabit, ac dicet; Néſcio vos. Verùm abſit ut hanc nos vo-

cem audiámus, ſed beátam illam: Veníte, benedícti Patris mei, poſſidéte parátum vobis regnum à conſtitutióne mundi; quod útinam nos conſequámur in Chriſto Jeſu Dómino noſtro, cum quo Patri, unàque ſancto Spirítui glória, impérium, & honos.

℟. Miſericórdiam & veritátem díligit Deus: * Grátiam, & glóriam dabit Dóminus. † Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. ℣. Hílarem datórem díligit Deus; potens eſt autẽ omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Grátiam. * Glória. † Non privábit. *Pſ.* 83. 12. 13. 2. *Cor.* 9. 7. 8.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8. *v.* 23.

IN illo témpore; Aſcendénte Jeſu in navículam, ſecúti ſunt eum diſcípuli ejus; & ecce motus magnus factus eſt in mari; ita ut navícula operirétur flúctibus. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Enar. 2. *in Pſalm.* 25. *n.* 4.

AUdíſtis in Evangélio: Periclitabátur navígiũ in ſtagno, & dormiébat Jeſus. Navigámus per quoddã ſtagnum, & ventus & procéllæ non deſunt; tentatiónibus quotidiánis hujus ſæculi propè opplétur noſtrum navígium. Unde autem fit, niſi quia dormit Jeſus? Si non dormíret in te Jeſus, tempeſtátes iſtas non pateréris; ſed tranquillitátem habéres intérius, convigilante tecum Jeſu.

℟. Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * Exúrge, ádjuva nos; & rédime nos propter nomen tuum. ℣. Magíſter, non ad te pértinet, quia perímus? * Exúrge. *Pſ.* 43. 23. 26. *Marc.* 4. 38.

Lectio viij.

QUid eſt autem, Dormit Jeſus? Fides tua, quæ eſt de Jeſu, obdormívit. Surgunt procéllæ ſtagni hujus; vides malos florére, bonos laboráre: tentátio eſt, fluctus eſt. Et dicit ánima tua: O Deus! ipſa eſt juſtítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo; Ipſa eſt juſtítia tua? Et Deus tibi: Ipſa eſt fides tua? Hæc enim tibi promíſi? Ad hoc Chriſtiánus factus es, ut in ſæculo iſto floréres? Unde hoc dicis? Unde flúctibus ſtagni, & tempeſtáte turbáris? Quia dormit Jeſus, id eſt, quia fides tua, quæ eſt de Jeſu, ſopíta eſt in corde tuo.

℟. Dormitávit ánima mea præ tædio, Dómine; * Confírma me in verbis tuis; & de lege tua miſerére meî. ℣. Dómine, ádjuva incredulitátem meam. * Confírma. *Pſ.* 118. 28. 29. *Marc.* 9. 23.

Lectio ix.

QUid facis ut liberéris? Excita Jeſum, & dic:

Magíſter, perímus : movent enim incérta ſtagni; perímus. Evigilábit ille, id eſt, rédiet ad te fides tua; &, adjuvánte illo, conſiderábis in ánima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perſeverábunt; tibi autem quod promíttitur, manébit in ætérnum.... Evigilánte Chriſto, tempéſtas illa non quátiet cor tuum; non opplébunt fluctus navim tuam; quia fides tua ímperat ventis, & flúctibus; & tránſiet perículum.

℟. Vidérunt ópera Dómini, & mirabília ejus in profúndo; clamavérunt ad Dóminum : * Et ſtátuit procéllam in auram; & † Siluérunt fluctus maris. ℣. Comminátus eſt Jeſus vento, & dixit mari : Tace, obmutéſce. * Et ſtátuit. Glória. † Siluérunt. *Pſ.* *Pſ.* 106. 24. 28. 29. *Mar.* 4. 39.

Ad Benedíctus. *Ant. t.* 1. *a.* Surgens Jeſus imperávit ventis & mari; & facta eſt tranquíllitas magna. *Matt.* 8. 26.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis conſtitútos pro humána ſcis fragilitáte non poſſe ſubsíſtere: da nobis ſalútē mētis & córporis; ut ea quæ pro peccátis noſtris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per Dóminum noſtrum.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Ord. Cap.* 2.

CUm divína res ſit ſancti Sacerdótii miniſtérium, conſentáneum fuit, quò digníus & majóri cum veneratióne exerceri poſſet, ut in Eccléſiæ ordinatíſſima diſpoſitióne, plures & divérſi eſſent Miniſtrórum Ordines, qui Sacerdótio ex officio deſervírent; ita diſtribuṫi, ut qui jam Clericáli tonsúrâ inſigníti eſſent, per Minóres ad Majóres aſcenderent.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Hómines miráti ſunt, dicéntes : Qualis eſt hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth.* 8. 27.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beati Pauli Apóſtoli ad Philippénſes.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 12. *ad* 19.

CHariſſimi mei, (ſicut ſemper obedíſtis) non ut in præséntia meî tantùm, ſed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu & tremóre veſtram ſalútē operámini. Deus eſt enim qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite ſine murmuratiónibus, & hæſitatiónibus; ut ſitis ſine querélâ, & símplices filii Dei, ſine reprehenſióne in médio natiónis pravæ & pervérſæ : inter quos lucétis ſicut luminária in mundo, verbum vitæ continéntes ad glóriam meā in die Chriſti, quia non in vácuum cucúrri, neque in vácuum laborávi. Sed & ſi ímmolor ſupra ſacrifícium, & obséquium fidei veſtræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. Idípſum autem

& vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℣. Voluntátem. *Ex primo Nocturno Dominicæ quartæ*, pag. 389.

Lectio ij. Cap. 3. v. 1. ad 8.

DE cætero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis ſcríbere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſsárium. Vidéte canes, videte malos operários, vidéte conciſionem. Nos enim ſumus circũciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fidúciam habéntes: quamquam ego hábeam cõfidentiã & in carne. Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magis, circũciſus octávo die, ex genere Iſrael, de tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legẽ Phariſæus, ſecúndum æmulatiónem, pérſequens Eccléſiam Dei; ſecúndum juſtítiã, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detriménta.

℟. Dómine, pag. 390.

Lectio iij. Cap. 4. v. 5. ad 10.

MOdéſtia veſtra nota ſit ómnibus homínibus: Dóminus propè eſt. Nihil ſollíciti ſitis: ſed in omni oratióne & obſecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ exúperat omnem ſenſum, cuſtódiat corda veſtra, & intelligéntias veſtras in Chriſto Jeſu. De cætero, fratres, quæcúmque ſunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque juſta, quæcúmque ſancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didiciſtis, & accepíſtis, & audíſtis, & vidíſtis in me, hæc ágite: & Deus pacis erit vobiſcum.

℟. Exaltabo te, *pag.* 390.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

An. 398. Cap. 9.

OStiárius cum ordinátur, poſtquam ab Archidiácono inſtrúctus fúerit quáliter in domo Dei débeat converſári, ad ſuggeſtiónem Archidiáconi tradat ei Epíſcopus claves Eccléſiæ, de Altário, dicens: Sic age, quaſi redditúrus Deo rationem pro his rebus quæ his clávibus recludúntur.

FERIA TERTIA.

Incipit Epíſtola béati Pauli Apóſtoli ad Coloſſénſes.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 7.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, eis, qui ſunt Colóſſis, ſanctis & fidélibus fratribus in Chriſto Jeſu. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes: audiéntes fidem veſtram in Chriſto Je-

ſu, & dilectiónem quam habéris in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repóſita eſt vobis in cœlis: quam audíſtis in verbo veritátis Evangélii: quod pervénit ad vos, ſicut & in univérſo mundo eſt, & fructíficat, & creſcit, ſicut in vobis, ex ea die quâ audíſtis, & cognovíſtis grátiam Dei in veritáte. ℟. Clamavérunt. *Ex 2. Noct. Dom. pag.* 391.

Lectio ij. v. 9. ad 18.

NOn ceſſámus pro vobis orántes, & poſtulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni ſapiéntia & intelléctu ſpiritáli, ut ambulétis dignè Deo per ómnia placéntes: in omni ópere bono fructificántes, & creſcéntes in ſciéntia Dei: in omni virtúte confortáti ſecúndùm poténtiam claritátis ejus, in omni patiéntia & longanimitáte cum gáudio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine: qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum filii dilectiónis ſuæ; in quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum; qui eſt imágo Dei inviſíbilis, primogénitus omnis creatúræ: quóniam in ipſo cóndita ſunt univérſa in cœlis, & in terra, viſibília & inviſibília, ſive throni, ſive dominatiónes, ſive principátus, ſive poteſtátes: ómnia per ipſum, & in ipſo creáta ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & ómnia in ipſo conſtant. ℟. Jucúndus. *p.* 391.

Lectio iij. v. 18. *ad* 24.

ET ipſe eſt caput córporis Eccléſiæ, qui eſt princípium, primogénitus ex mórtuis; ut ſit in ómnibus ipſe primátum tenens. Quia in ipſo complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre; & per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per ſánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Et vos cùm eſſétis aliquándo alienáti, & inimíci ſenſu in opéribus malis: nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos ſanctos, & immaculátos, & irreprehenſíbiles coram ipſo; ſi tamen permanétis in fide fundáti, & ſtábiles, & immóbiles à ſpe Evangélii, quod audíſtis, quod prædicátum eſt in univérſa creatúra, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus miníſter. ℟. Miſericórdiam. *pag.* 392.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

Ann. 398. *Cap.* 8

LEctor, cùm ordinátur, fáciat de illo verbum Epíſcopus ad plebem, índicans ejus fidem, ac vitam, atque ingénium: poſt hæc, ſpectánte plebe, tradat ei códicem de quo lectúrus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto lector verbi Dei; habitúrus, ſi fidéliter, & utíliter

impléveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei miniſtráverint.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola beati Pauli Apóſtoli ad Coloſſénſes.

Lectio j. Cap. 2. v. 6. ad 13.

SIcut ergo accepíſtis Jeſum Chriſtum Dóminum, in ipſo ambuláte, radicáti, & ſuperædificáti in ipſo, & confirmáti fide, ſicut & didicíſtis, abundántes in illo in gratiárum actióne. Vidéte ne quis vos decípiat per philosóphiam, & inánem falláciam, ſecúndùm traditiónem hóminum, ſecúndùm eleménta mundi, & non ſecúndùm Chriſtum: quia in ipſo inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter; & eſtis in illo repléti, qui eſt caput omnis principátûs, & poteſtátis, in quo & circumcíſi eſtis circumciſióne non manu factâ in expoliatióne córporis carnis, ſed in circumciſióne Chriſti; conſepúlti ei in baptíſmo, in quo & reſurrexíſtis per fidem operatiónis Dei, qui ſuſcitávit illum à mórtuis. ℟. Exúrge. *Ex 3. Noct. Dom. pag. 392.*

Lectio ij. Cap. 3. v. 17. ad fin.

OMne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum. Mulíeres, súbditæ eſtóte viris, ſicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres veſtras, & nolíte amári eſſe ad illas. Filii, obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum eſt in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre filios veſtros, ut non pusíllo ánimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum ſerviéntes, quaſi homínibus placéntes, ſed in ſimplicitáte cordis, timéntes Deum. Quodcumque fácitis, ex ánimo operámini ſicut Dómino, & non homínibus; ſciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Chriſto ſervíte. Qui enim injúriã facit, recípiet id quod iníquè geſſit; & non eſt perſonárũ accéptio apud Deum. ℟. Dormitávit. *pag. 392.*

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 7.

DOmini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtáte; ſciéntes quòd & vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni inſtáte, vigilántes in ea in gratiárum actióne: orántes ſimul & pro nobis, ut Deus apériat nobis óſtium ſermónis ad loquéndum myſtérium Chriſti: (propter quod étiam vinctus ſum) ut maniféſtem illud, ita ut opórtet me loqui. In ſapiéntia ambuláte ad eos qui foris ſunt; tempus rediméntes. Sermo veſter ſemper in grátia ſale ſit condítus, ut ſciátis quómodo opórteat vos unicuíque reſpondére. ℟. Vidérunt. *pag. 393.*

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

Ann. 398. *Cap.* 7.

EXorciſta, cùm ordinátur, accípiat de manu Epíſcopi libéllum in quo ſcripti ſunt exorcíſmi, dicénte ſibi Epíſcopo: Accipe & comménda memóriæ, & habéto poteſtátem imponéndi manus ſuper energúmenum, ſive baptizátum, ſive catechúmenum.

FERIA QUINTA.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Eccléſiæ Theſſalonicénſium, in Deo Patre, & Dómino Jeſu Chriſto: Grátia vobis, & pax. Grátias ágimus Deo ſemper pro ómnibus vobis, memóriam veſtrî faciéntes in oratiónibus noſtris ſine intermiſſióne, mémores óperis fídei veſtræ, & labóris, & charitatis, & ſuſtinéntiæ ſpei Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum: ſciéntes fratres, diléƈti à Deo, eleƈtiónem veſtram; quia Evangélium noſtrum non fuit ad vos in ſermóne tantùm, ſed & in virtúte, & in Spíritu ſanƈto, & in plenitúdine multa; ſicut ſcitis quales fuérimus in vobis propter vos. ℟. Voluntátem. *Ex* 1. *Noƈt. Dom.* *pag.* 389.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 9.

NAm ipſi ſcitis, fratres, introïtum noſtrum ad vos, quia non inánis fuit: ſed antè paſſi, & contuméliis afféƈti (ſicut ſcitis) in Philíppis, fidúciam habúimus in Deo noſtro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa ſollicitúdine. Exhortátio enim noſtra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, ſed ſicut probáti ſumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur non quaſi homínibus placéntes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquándo fúimus in ſermóne adulatiónis, ſicut ſcitis: neque in occaſióne avarítiæ: Deus teſtis eſt: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm poſſémus vobis óneri eſſe, ut Chriſti Apóſtoli: ſed faƈti ſumus párvuli in médio veſtrûm, tamquam ſi nutrix fóveat fílios ſuos. Ita deſiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras; quóniam chariſſimi nobis faƈti eſtis.

℟. Dómine. *pag.* 390.

Lectio iij. v. 10. *ad* 15.

VOs teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanƈtè, & juſtè, & ſine queréla, vobis, qui credidíſtis, fúimus; ſicut ſcitis, quáliter unumquémque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos) deprecántes vos, &

conſolántes, teſtificáti ſumus, ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in ſuū regnum & glóriam. Ideò & nos grátias ágimus Deo ſine intermiſſióne; quóniā cùm accepiſſetis à nobis verbum audítûs Dei, accepíſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidíſtis. Vos enim imitatóres facti eſtis, fratres, Eccleſiárum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia eádem paſſi eſtis & vos à contribúlibus veſtris; ſicut & ipſi à Judæis. ℟. Exaltábo te. *pag.* 390.

CANON.

Ex Concilio Carthaginénſi quarto.

Ann. 398. *Cap.* 6.

ACólytus, cùm ordinátur, ab Epiſcopo quidem doceátur quáliter in officio ſuo ágere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum céreo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccléſiæ luminária mancipari: accípiat & Urcéolum vacuum, ad ſuggeréndum vinum in Euchariſtiam ſánguinis Dómini.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

DE cætero, fratres, rogámus vos, & obſecrámus in Dómino Jeſu, ut quemádmodum accepiſtis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, ſic & ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jeſum. Hæc eſt enim volúntas Dei, ſanctificátio veſtra; ut abſtineátis vos à fornicatióne, ut ſciat unuſquíſque veſtrûm vas ſuum poſſidére in ſanctificatióne & honóre; non in paſſióne deſidérii, ſicut & gentes quæ ignórant Deum. Et ne quis ſupergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem ſuum; quóniam vindex eſt Dóminus de his ómnibus, ſicut prædíximus vobis, & teſtificáti ſumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, ſed in ſanctificatiónem. ℟. Clamavérunt. *Ex.* 2. *Noct. Dom. pag.* 391.

Lectio ij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 7.

DE tempóribus autem & momentis, fratres, non indigétis ut ſcribámus vobis. Ipſi enim diligénter ſcitis, quia dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint, Pax & ſecúritas; tunc repentínus eis ſupervéniet intéritus, ſicut dolor in útero habénti, & non effúgient. Vos autem, fratres, non eſtis in ténebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiá-

mus ſicut & cæteri; ſed vigilémus, & ſóbrii ſimus. ℟. Jucúndus. *pag.* 391.

Lectio iij. v. 12. *ad* 23.

ROgámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, & præſunt vobis in Dómino, & monent vos; ut habeátis illos abundántiùs in charitáte propter opus illórum: pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, conſolámini puſillánimes, ſuſcípite infírmos, patiéntes eſtote ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectámini in ínvicem, & in omnes. Semper gaudéte. Sine intermiſſióne oráte. In omnibus grátias ágite: hæc eſt enim volúntas Dei in Chriſto Jeſu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetias nolíte ſpérnere. Omnia autem probáte: quod bonum eſt, tenéte. Ab omni ſpécie mala abſtinéte vos.

℟. Miſericórdiam. *p.* 392.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *de Reform. Cap.* 17.

UT ſanctórum Ordinũ à Diaconátu ad Oſtiariátũ functiónes... in uſum juxta ſacros Canones revocentur, ſancta Synodus... omnes & ſingulos Prælátos in Dómino hortatur, & illis præcipit, ut, quantum fieri commodè poterit.... hujúſmodi functiones curent reſtituendas.

SABBATO.

Incipit Epiſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicénſes.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 10.

PAulus, & Silvanus, & Timótheus Eccléſiæ Theſſalonicénſium, in Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ágere debémus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quóniam ſupercréſcit fides veſtra, & abúndat cháritas uniuſcujúſque veſtrûm in ínvicem; ita ut & nos ipſi in vobis gloriémur in Eccleſiis Dei, pro patiéntia veſtra, & fide, & in ómnibus perſecutiónibus veſtris, & tribulatiónibus, quas ſuſtinétis in exémplum juſti judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini. Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribúere tribulatiónem iis qui vos tríbulant; & vobis, qui tribulámini, réquiem nobíſcum in revelatióne Dómini Jeſu, de cœlo, cum ángelis virtutis ejus, in flammâ ignis dantis vindíctam iis, qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui pœnas dabunt in intéritu æternas à fácie Dómini, & à gloria virtútis ejus.

Lectio ij Cap. 2. v. 12. ad fin.

NOs autem debémus grátias ágere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elégerit vos Deus primítias in ſalútem, in ſanctificatióne ſpíritûs, & in fide veritátis, in qua & vocávit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitiónem glóriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Itaque, fratres, ſtate: & tenete traditiónes, quas didiciſtis, ſive per ſermónem, ſive per Epíſtolam noſtram. Ipſe autem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolatiónem ætérnam, & ſpẽ bonam in grátia, exhortétur corda veſtra, & confírmet in omni ópere & ſermóne bono.

Lectio iij. Cap. 3. v. 10. ad fin.

NAm & cùm eſsémus apud vos, hoc denuntiabámus vobis; quóniam ſi quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quoſdam ambuláre inquiétè, nihil operántes, ſed curióſè agentes. Iis autem, qui ejúſmodi ſunt, denuntiámus, & obſecrámus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſiléntio operántes, ſuum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefaciéntes. Quòd ſi quis non óbedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notáte, & ne commiſceámini cum illo, ut confundátur: & nolíte quaſi inimícum exiſtimáre; ſed corrípite ut fratrem. Ipſe autem Dóminus pacis, det vobis pacem ſempitérnam in omni loco. Dóminus ſit cum ómnibus vobis. Salutátio, meâ manu Pauli; quod eſt ſignum in omni Epíſtola: ita ſcribo. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ómnibus vobis. Amen.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Seſſ. 23. de reform. Cap. 11.

CUm à minóribus Ordínibus ad altióres gradus, & ſacratíſſima myſtéria ſit ingreſſus; nemo iis initiétur, quem non ſcientiæ ſpes majóribus Ordínibus dignum oſtendat: hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptióne poſtrémi gradûs minórum Ordinum, ad ſacros Ordines promoveántur, niſi neceſſitas, aut Eccléſiæ utilitas, judício Epíſcopi, áliud expoſcat.

AD VESPERAS.

Antiphonæ, Capit. Hymnus & ℣. ut in Pſalterio.

Ad Magnific. *Ant. t.* I. *D.* Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus; quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos fácere. 1. *Tim.* 1. 15.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA

DOMÍNICA QUINTA.
POST EPIPHANIAM.

Omnia ut in Pſalterio, præter ea quæ hìc habentur propria.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 6.

PAulus Apóſtolus Jeſu Chriſti ſecúndum impérium Dei Salvatóris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ: Timotheo dilécto Fílio in fide. Grátia, miſericórdia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Sicut rogávi te, ut remanéres Epheſi, cum irem in Macedóniam, ut denuntiares quibúſdam, ne aliter docérent, neque inténderent fabulis, & genealógiis interminátis; quæ quæſtiónes præſtant magis quàm ædificatiónem Dei, quæ eſt in fide. Finis autem præcépti eſt cháritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ.

℟. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; ſed non ut lex tua: * Omnia mandáta tua véritas. ℣. Finis præcépti eſt cháritas de corde puro, & conſciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Omnia. *Pſ* 118. 85. 86. 1. *Tim.* 1. 5.

Lectio ij. v. 12. ad 17.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério; qui priús blaſphémus fui, & perſecútor, & contumelióſus; ſed miſericórdiam Dei conſecútus ſum, quia ignorans feci in incredulitáte. Superabundávit autẽ grátia Dómini noſtri, cum fide & dilectióne, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus; quòd Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum: ſed ídeò miſericórdiam conſecútus ſum; ut in me primo oſténderet Chriſtus Jeſus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum, qui creditúri ſunt illi, in vitam ætérnam.

℟. Laudabis Deum, & gloriáberis in miſeratiónibus illíus. * Quàm magna miſericordia Dómini, & propitiátio illius converténtibus ad ſe! ℣. Omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónẽ veritátis venire. * Quàm magna. *Eccli.* 17. 27. 28. 1. *Tim.* 2. 4.

Lectio iij. Cap. 2. v. 1. ad 7.

OBſecro ígitur primum ómnium fieri obſecratiónes, oratiónes, poſtulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, & ómnibus qui in ſublimitáte ſunt; ut quiétam & tranquíllam vitam agámus in omni pietáte, & caſtitáte. Hoc enim bonum eſt & accéptum coram Salvatóre noſtro Deo, qui omnes hómines vult ſalvos fieri, & ad agnitiónem

veritátis veníre. Unus enim Deus, unus & Mediátor Dei & hóminum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus, teſtimónium tempóribus ſuis.

℟. Recordátus eſt Dóminus miſericórdiæ ſuæ, & veritátis ſuæ dómui Iſrael: * Vidérunt omnes términi terræ ſalutáre Dei noſtri. ℣. Chriſtus Jeſus dedit redemptiónem ſemetípſum pro ómnibus. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Pſ.* 97. 3. 1. *Tim.* 2. 6.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. Serm. 175. de verbis Apoſtoli, aliàs Serm. 9. C. 1.

FIdélis ſermo, & omni acceptióne dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum. Nulla cauſa fuit veniéndi Chriſto Dómino, niſi peccatóres ſalvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla cauſa eſt medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus. Iſpe ægrotus, genus humánum eſt.

℟. Dómine, nobis confúſio faciéi: * Tibi autem Dómino Deo noſtro miſericórdia, & propitiátio. ℣. Omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei. * Tibi *Dan.* 9. 8. 9. *Rom.* 3. 23.

Lectio v. Serm. 176. Cap. 4.

DIcit Paulus unicuíque ægróto, & de ſe voléntì deſperáre: Qui curávit me, miſit me ad te, & dixit mihi: Illi deſperánti vade, & dic quid habuíſti, quid in te ſanávi, quàm citò ſanávi. De cœlo vocávi, unâ voce percúſſi, & dejéci; áliâ eréxi, & elégi; tértiâ implévi, & miſi; quartâ liberavi, & coronávi. Vade, dic ægrótis, clama deſperátis: Fidélis ſermo, & omni acceptióne dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatóres ſalvos fácere. Quid timétis? Quid trepidátis. Quorum primus ego ſum. Ego, inquit, vobis loquor, ſanus ægrotántibus, ſtans jacéntibus, ſecúrus deſperántibus. Ideò enim miſericórdiam conſecútus ſum, ut in me oſténderet Chriſtus Jeſus omnem longanimitatem.

℟. Obſecro, Dómine, * Scio quia tu Deus clemens, & miséricors es, pátiens, & multæ miſeratiónis, & ignóſcens ſuper malítia. ℣. Superexáltat miſericórdia judícium. * Scio quia. *Jonæ* 4. 2. *Jac.* 2. 13.

Lectio vj. Cap. 5.

NOlíte ergo deſperáre. Ægróti eſtis; accédite ad eum, & ſanámini: cæci eſtis; accédite ad eum, & illuminámini. Et qui ſani eſtis, ei grátias ágite; & qui ægrotatis, ad eum ſanándi

contrité: dícite omnes: Veníte, adorémus, & proſternámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos, & hómines, & ſalvos. Nam ſi ille nos fecit hómines, nos autem ipſi nos fécimus ſalvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior eſt enim ſalvus homo, quàm quílibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te fecíſti bonum hóminem; quod tu fecíſti, mélius eſt. Noli te extóllere ſuper Deum; ſubde te Deo, adóra, proſtérnere, confitére illi qui fecit te; quia nemo récreat, niſi qui creat; nemo réficit, niſi qui fecit.

℟. Magnificáte Dóminum mecum; & exaltémus nomen ejus in idípſum. * Accédite ad eum, & illuminámini: & † Fácies veſtræ non confundéntur. ℣. Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine, qui erípuit nos de poteſtáte tenebrarum. * Accédite. Glória. † Fácies. *Pſ.* 33. 4. 6. *Col.* 1. 12. 13.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. *v.* 24.

IN illo témpore: Dixit Jeſus turbis parábolam hanc. Símile factum eſt regnum cœlórum hómini, qui ſeminávit bonum ſemen in agro ſuo. Et réliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epíſcopi.

De verbis Evangélii Serm. 88. *Cap.* 18.

HOc in myſtério lectiónis hujus cognóvimus, fratres, eſſe intus in Eccléſia & bonos & malos, quòd ſæpè dícimus fruméntum & páleam. Nemo ante tempus déſerat áream, tóleret páleam in tritúra, tóleret in área. Quod enim tóleret, in hórreo non habébit. Véniet ventilátor, qui dívidet malos à bonis. Erit étiam corporális ſeparátio, quam modo ſpirituális præcédit. A malis corde ſemper disjungímini, ad tempus cautè córpore copulámini. Nec tamen negligéntes ſitis in corrigéndis veſtris, ad curam ſcílicet veſtram quoquo modo pertinéntibus, monéndo, docéndo, hortándo, terréndo.

℟. Pervérſæ cogitatiónes ſéparant à Deo: * Probáta autem virtus córripit inſipiéntes. ℣. Servum Dómini opórtet manſuétum eſſe ad omnes, cum modéſtia corripiéntem eos qui reſiſtunt veritáti. * Probáta. *Sap.* 1. 3. 2. *Tim.* 2. 24. 25.

Lectio viij.

DUóbus modis non te máculat malus; ſi non conſéntias, & ſi redárguas: hoc eſt, non communicáre, non conſentíre. Communicátur quippe, quando facto ejus conſórtium voluntatis

vel approbatiónis adjúngitur. Hoc ergo nos ád monens Apóſtolus, ait: Nolite communicáre opéribus infructuóſis tenebrárum. Et quia parum erat non conſentíre, ſi ſequerétur negligéntia diſciplinæ: Magis autem, inquit, & redargúite. Quid eſt, Magis autem & redargúite? Reprehéndite, corrípite, coercéte. Deinde in ipſa correctióné, vel coercitióne alienórum peccatórum, cavéndum eſt, ne ſe extóllat, qui alterum córripit. . Neque ergo conſentiéntes ſitis malis, ut approbétis; neque negligéntes, ut non arguátis; neque ſuperbiéntes, ut inſultánter arguátis.

℟. Nonne qui odérunt te, Dómine, oderam, & ſuper inimícos tuos tabeſcébam? * Perfécto ódio óderam illos; & inimíci facti ſunt mihi. ℣. Hi reſiſtunt veritáti, hómines corrúpti mente, reprobi circa fidem. * Perfecto. *Pſ.* 138. 21. 22. 2. *Tim.* 3. 8.

Lectio ix.

QUi deſerúerit unitátem, víolat charitátem; & quiſquis víolat charitatem, quódlibet magnum hábeat, ipſe nihil eſt. Si linguis hóminum loquátur & Angelórum, ſi ſciat ómnia ſacraménta, ſi hábeat omnem fidem, ut montes transferat, ſi diſtribuat ómnia ſua paupéribus, ſi corpus ſuum tradat ut árdeat; charitátem autem non habeat, nihil eſt, nihil ei prodeſt. Univérſa inutiliter habet, qui unum illud, quo univérſis utátur, non habet. Amplectámur itaque charitátem, ſtudéntes ſerváre unitátem ſpíritûs in vinculo pacis. Non vos ſedúcant qui carnáliter intélligunt, & corporáliter ſeparatiónem faciéntes, ab Eccleſiæ fruméntis toto orbe diffúſis ſpiritáli ſacrilégio ſeparántur. Per totum enim mundũ ſeminárũ eſt bonũ ſemen.

℟. Habitávi cum habitántibus Cedar: multùm íncola fuit ánima mea. * Cum his qui óderant pacem, eram pacíficus: cùm loquebar illis, impugnábant me gratis. ℣. Idem ſapite, pacem habéte; & Deus pacis & dilectiónis erit vobíſcum * Cum his. Glória. * Cum his. *Pſ.* 119. 5. 6. 7. 2. *Cor.* 13. 11.

Ad Bened. *Ant.* 1. 3. 4. In conſummatióne ſæculi mittet Filius hominis Angelos ſuos, & cólligent de regno ejus ómnia ſcandala, & eos qui fáciunt iniquitatẽ. *Matt.* 13. 40. 41.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæſumus, Dómine, contínuâ protectióne cuſtódi: ut quæ in ſola ſpe grátiæ cœleſtis innítitur, tuâ ſemper protectióne muniátur. Per, &c.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *Ann.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 6.

SUbdiáconi oblatiónes in templo Dómini ſuſcípiunt à pópulis. Iſti obédiunt officiis Levitárum: iſti quoque vaſa córporis & sánguinis Chriſti Diacónibus ad altária Dómini ófferunt. De quibus quidem plácuit Pátribus, ut quia ſacra myſtéria contréctant, caſti & continéntes ſint ab uxóribus, & ab omni carnáli immundítiâ líberi, juxta quod illis, Prophéta dicénte, jubétur, Mundámini, qui fertis vaſa Dómini.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eórum. *Matth.* 13. 43.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

FIdélis ſermo: Si quis Epiſcopátum desíderat, bonum opus désiderat. Opórtet ergo Epíſcopum irreprehensíbilem eſſe, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hoſpitálem, doctórem; non vinoléntum, non percuſſórem, ſed modéſtum; non litigióſum, non cúpidum, ſed ſuæ dómui bene præpóſitum, filios habéntem súbditos cum omni caſtitáte. Si quis autem dómui ſuæ præéſſe neſcit, quómodo Eccléſiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum; ne in ſupérbiam elátus, in judícium íncidat diaboli.

℟. Narravérunt, *ex j. Noct. Dom. pag.* 401.

Lectio ij. Cap. 4. *v.* 12. *ad finem.*

NEmo adoleſcéntiam tuam contémnat: ſed exémplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide, in caſtitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre; in his eſto, ut profectus tuus maniféſtus ſit ómnibus. Atténde tibi, & doctrínæ: inſta in illis. Hoc enim fáciens, & teipſum ſalvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Laudábis, *pag.* 401.

Lectio iij. Cap. 6. *v.* 6. *ad* 13.

EST autem quæſtus magnus, píetas cum ſufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auférre quid póſſumus. Habéntes autem aliménta, & quibus tegámur, his conténti ſimus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diaboli, & deſidéria multa inutília, & nociva, quæ mergunt hómines in intéritum & per-

ditiónem. Radix enim ómnium malórum eſt cupíditas; quam quidam appeténtes, erravérunt à fide, & inſeruérunt ſe dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: ſectáre verò juſtítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiam, manſuetúdinem. Certa bonum certámen fídei: apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, & confeſſus bonam confeſſiónem coram multis teſtibus. ℟. Recordátus eſt. pag. 402.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. Ann. 816. Lib. 17. Cap. 7.

Diaconórum Ordo à tribu Levi accépit exórdium... In Evangélio autem primórdia eórum, & in Actibus Apoſtolórum legúntur... Ipſi evangelízant. Sine ipſis Sacérdos nomen habet, officium non habet. Nam ſicut in Sacerdóte conſecrátio, ita & in miníſtro diſpenſátio ſacraménti eſt... ille obláta ſanctíficat; hic ſanctificáta diſpénſat.

FERIA TERTIA.

Incipit Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 7.

Paulus Apóſtolus Jeſu Chriſti, per voluntátem Dei, ſecúndùm promiſſiónem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu: Timótheo chariſſimo fílio; Grátia, miſericórdia, pax à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Dómino noſtro. Grátias ago Deo, cui ſérvio à progenitóribus in conſciéntia pura, quòd ſine intermiſſióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die, deſíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónē accípiens ejus fídei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitávit primùm in ávia tua Loïde, & matre tua Eúnice, certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admóneo te, ut reſúſcites grátiam Dei, quæ eſt in te per impoſitiónem mánuum meárum.

℟. Dómine. *ex 2. Noct. Dom. pag.* 402.

Lectio ij. Cap. 2. v. 1. ad 8.

Tu ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ eſt in Chriſto Jeſu; & quæ audíſti à me per multos teſtes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo mílitans Deo, ímplicat ſe negótiis ſæculáribus; ut ei pláceat, cui ſe probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur, niſi legítimè certáverit. Laborántem agrícolā opórtet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico; dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

℟. Obſecro. pag. 402.

Lectio iij. v. 22. ad finem.

JUvenília autem deſidéria fuge; ſectáre verò juſtítiam, fidem, charitátem, & pacem cum iis qui invocant Dóminum de corde puro. Stultas autem & ſine diſciplína quæſtiónes devíta; ſciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre: ſed manſuétum eſſe ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéſtia corripiéntem eos qui reſíſtunt veritáti; nequándo Deus det illis pœniténtiam ad cognſcéndam veritátem, & reſipíſcant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem.

℟. Magnificate. *pag.* 403.

CANON

Ex Concílio Tridentíno *Seſs. 23. de Reform. Cap.* 12.

NUllus ad Subdiconátûs Ordinem ante vigéſimum ſecúndum, ad Diaconátûs ante vigéſimum tértium, ad Presbyterátûs ante vigéſimum quintum ætátis ſuæ annum promoveátur.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola ſecúnda beáti Pauli Apóſtoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 8.

HOc autem ſcito, quòd in noviſſimis diébus inſtábunt témpora periculóſa: erunt hómines ſeipſos amántes, cúpidi, eláti, ſupérbi, blaſphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, ſceléſti, ſine affectióne, ſine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, ſine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, & voluptátum amatóres magis quàm Dei; habéntes ſpéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta: ex his enim ſunt qui pénetrant domos, & captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis deſidériis; ſemper diſcéntes, & numquam ad ſciéntiam veritátis perveniéntes.

℟. Pervérſæ. *ex 3. Noct. Dom. pag.* 403.

Lectio ij. v. 10. ad finem.

TU autem aſſecútus es meam doctrínam, inſtitutiónem, propóſitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, perſecutiónes, paſſiónes: quália mihi facta ſunt Antiochíæ, Icónii, & Lyſtris: quales perſecutiónes ſuſtínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui piè volunt vívere in Chriſto Jeſu, perſecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, & seductóres profícient in pejus; errántes, & in errórem mitténtes. Tu verò pérmane in iis quæ didiciſti, & crédita ſunt tibi, ſciens à quo didíceris, & quia ab infántia ſacras lítteras noſti, quæ te poſſunt inſtrúere ad ſalútem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis ſcriptúra divínitùs inſpiráta, útilis eſt ad docéndum, àd ar-

guéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in juſtítia : ut perféctus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtrúctus.

℟. Nonne. *pag.* 404.

Lectio. iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 6.

TEſtíficor coram Deo & Jeſu Chriſto, qui judicatúrus eſt vivos & mórtuos, per advéntum ipsius, & regnum ejus : prædica verbum, inſta opportunè, importúnè : árgue, óbſecra, íncrepa in omni patiéntia & doctrina. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrínam non ſuſtinébunt, ſed ad ſua deſidéria coacervábunt ſibi magíſtros, pruriéntes áuribus : & à veritáte quidem audítum avértent ; ad fábulas autem converténtur. Tu verò vígila, in omnibus labóra, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sóbrius eſto.

℟. Habitávi. *pag.* 404.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſs. 23. *de Ordine. Cap.* 1.

NOvum, visíbile, & extérnum Sacerdótium in quod vetus translátum eſt, à Dómino Salvatóre noſtro inſtitútum eſſe ; atque Apóſtolis eorúmque ſucceſſóribus in ſacerdótio, poteſtátem tráditam, conſecrándi, offeréndi, & miniſtrándi corpus & sánguinem ejus ; nec non & peccáta dimittendi, & retinéndi, ſacræ Litteræ oſténdunt, & cathólicæ Eccléſiæ tradítio ſemper dócuit.

FERIA QUINTA.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 1 *v.* 1. *ad* 5.

PAulus ſervus Dei, Apóſtolus autem Jeſu Chriſti ſecúndùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis, quæ ſecúndùm pietátem eſt, in ſpem vitæ ætérnæ, quam promíſit, qui non mentítur, Deus, ante témpora ſæculária : manifeſtávit autem tempóribus ſuis verbum ſuum in prædicatióne, quæ crédita eſt mihi ſecúndùm præcéptum Salvatóris noſtri Dei : Tito dilécto fílio ſecúndùm commúnem fidem ; Grátia & pax à Deo Patre, & Chriſto Jéſu Salvatóre noſtro.

℟. Narravérunt. *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 401.

Lectio ij. v. 5. *ad* 10.

HUjus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt córrigas, & conſtítuas per civitátes Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Si quis ſine crímine eſt, unius uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accuſatióne luxúriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epíſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem ; non ſupérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percuſſórem, non turpis lucri cúpidum ; ſed hoſpitalem, benignum, sobrium juſtum,

ſanctum, continéntem, amplectĕntem eum, qui ſecúndùm doctrínam eſt, fidélem ſermónem; ut potens ſit exhortári in doctrína ſana, & eos qui cōtradícunt, argúere.

℟. Laudábis *pag.* 401.

Lectio 3. v. ad finem.

SUnt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, & seductóres: máximè qui de circumciſióne ſunt; quos opórtet redárgui: qui univérſas domos ſubvértunt, docéntes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis, próprius ipsórum Prophéta: Creténſes ſemper mendáces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimónium hoc verum eſt. Quam ob cauſam íncrepa illos durè, ut ſani ſint in fide, non intendéntes judaïcis fabulis, & mandátis hominum avverſántium ſe à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem & infidélibus nihil eſt mundum, ſed inquinátæ ſunt eórum & mens & conſciéntia. Confiténtur ſe noſſe Deum; factis autem negant; cùm ſint abomináti, & incredíbiles, & ad omne opus bonum réprobi.

℟. Recordátus. *pag.* 402.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. de Ord. Can. 4.

SI quis díxerit, per ſacram Ordinatiónem non dari Spíritum ſanctum, ac proínde fruſtrà Epíſcopos dicere: Accipe Spíritum ſanctum; aut per eam non ímprimi caractérem, vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fíeri poſſe; anathéma ſit.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 9.

TU autem lóquere quæ decent ſanam doctrínam; ſenes ut sóbrii ſint, pudíci, prudéntes, ſani in fide, in dilectióne, in patiéntia: anus ſimíliter in hábitu ſancto, non criminatríces, non multo vino ſerviéntes, benè docéntes; ut prudéntiam dóceant adoleſcéntulas, ut viros ſuos ament, fílios ſuos díligant, prudéntes, caſtas, sóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, ſúbditas viris ſuis, ut non blaſphémetur verbum Dei. Júvenes ſimíliter hortáre, ut sóbrii ſint. In ómnibus teípſum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum, irreprehenſíbile; ut is, qui ex advérſo eſt, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Dómine. *ex 2. Noct. Dom. pag.* 402.

Lectio ij. Cap. 3. v. 1. ad 8.

ADmone illos princípibus, & poteſtátibus ſúbditos eſſe, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos eſſe; néminem blaſphemare, non litigióſos eſſe; ſed modeſtos, omnem

oſtendéntes manſuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquándo & nos inſipiéntes, incréduli, errántes, ſerviéntes deſidériis & voluptátibus váriis, in malítia & invídia agéntes, odíbiles, odiéntes ínvicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris noſtri Dei, non ex opéribus juſtítiæ, quæ fécimus nos, ſed ſecúndùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritûs ſáncti, quem effúdit in nos abúndè per Jeſum Chriſtum Salvatórem noſtrum; ut juſtificáti grátiâ ipsíus, hærédes ſimus ſecúndùm ſpem vitæ ætérnæ.

℟. Obſecro *pag.* 402.

Lectio iij. v. 8. ad finem.

Fidélis ſermo eſt; & de his volo te confirmáre: ut curent bonis opéribus præéſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utília hominibus. Stultas autem quæſtiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta; ſunt enim inútiles & vanæ. Hæréticum hóminem, poſt unam & ſecúndam correptiónem devíta: ſciens quia ſubverſus eſt qui ejúſmodi eſt, & delínquit, cum ſit próprio judício condemnátus. Cùm míſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtína ad me veníre Nicópolim; ibi enim ſtátui hiemáre. Zenam legiſperítum, & Apollo ſollícitè præmítte, ut nihil illis deſit. Diſcant autem & noſtri bonis opéribus præéſſe ad uſus neceſſários, ut non ſint infructuóſi. Salútant te qui mecum ſunt omnes. Salúta eos, qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Magnificáte *pag.* 403.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *Ann.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 15.

Qui régimen Sacerdótii conténdit appétere, ante in ſe diſcútiat, ſi vita honóri ſit cóngrua. Quòd ſi non díſcrepat, humíliter ad id ad quod vocátur, accédat.

SABBATO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Philemónem.

Lectio j. v. 1. ad 7.

Paulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timótheus frater; Philemóni dilécto & adjutóri noſtro, & Appiæ ſorórí chariſſimæ, & Archíppo commilitóni noſtro, & Eccléſiæ, quæ in domo tua eſt. Grátia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Dómino Jeſu Chriſto. Grátias ago Deo meo, ſemper memóriam tui fáciens in oratiónibus meis: áudiens charitátem tuam, & fidem, quam habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctos; ut communicátio fidei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.

Lectio ij. v. 7. ad 15.

GAudium enim magnũ hábui, & conſolatiónem in charitáte tua; quia víſcera ſanctórum requievérunt per te, frater. Propter quòd multam fidúciam habens in Chriſto Jeſu imperándi tibi quod ad rem pértinet, propter charitátem magis óbſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti: óbſecro te pro meo filio, quem génui in vínculis, Onéſimo, qui tibi aliquándo inútilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi útilis, quem remíſi tibi. Tu autem illum, ut mea víſcera súſcipe: quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi miniſtráret in vínculis Evangélii; ſine consílio autem tuo nihil vólui fácere, utine velut ex neceſſitáte bonum tuũ eſſet, ſed voluntárium.

Lectio iij. v. 15. ad finem.

FOrſitan enim ídeò diſcéſſit ad horam à te, ut ætérnùm illum recíperes; jam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, máximè mihi; quantò autem magis tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me ſócium, súſcipe illum ſicut me; ſi autem áliquid nócuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teípſum mihi debes. Ita frater, ego te fruar in Dómino: réfice víſcera mea in Dómino. Confidens in obediéntia tua ſcripſi tibi: ſciens quóniam & ſuper id quod dico, fácies. Simul autem & para mihi hoſpítium; nam ſpero per oratiónes veſtras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Chriſto Jeſu, Marcus, Ariſtárchus, Demas, & Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpíritu veſtro. Amen.

CANON

Ex Concílio Tridentino.

Seſſ. 23. de Ord. Can. 7.

SI quis díxerit, Epíſcopos non eſſe Presbyteris ſuperióres; vel non habére poteſtátem confirmándi, & ordinándi; vel eam quam habent illis eſſe cum Preſbyteris commúnem; anathéma ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi; virga æquitátis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 5.

MUltifáriam multíſque modis olim Deus loquens pátribus in Prophétis: noviſſimè, diébus iſtis locútus eſt nobis in Fílio, quem conſtítuit hærédem univer-

ſórum; per quem fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplendor glóriæ, & figúra ſubſtantiæ ejus, portánſque ómnia verbo virtútis ſuæ, purgatiónem peccatórum fáciens, ſedet ad déxteram majeſtátis in excélſis; tanto mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Benedíctum nomen glóriæ tuæ * Sanctum, & laudábile, & ſuperexaltátum in ómnibus ſæculis. ℣. Supra omne nomen quod nominátur non ſolum in hoc ſæculo, ſed étiam in futúro.* Sanctum. *Dan.* 3. 52. *Epheſ.* 1. 21.

Lectió ij. v. 5. *ad* 10.

CUi enim dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Fílium? Et cum íterum introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos, ſpíritus; & miníſtros ſuos, flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátē; proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ partícipibus tuis.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium ſæculórum; * Et dominátio tua in omni generatióne & generatiónem. ℣. Dómine Deus omnípotens, accepíſti virtútem tuam magnam, & regnáſti. * Et dominátio. *Pſ.* 144. 13. *Apoc.* 11. 17.

Lectio iij. v. 10. *ad finem.*

ET: Tu in princípio, Dómine, terram fundáſti, & ópera manuum tuárum ſunt cœli. Ipſi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut veſtiméntum veteráſcent: & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúſque ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórū? Nonne omnes ſunt adminiſtratórii ſpíritus, in miniſtérium miſſi propter eos, qui hæreditátem cápient ſalútis.

℟. Tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram: * Nimis exaltatus es ſuper omnes deos. ℣. Dignus es, Dómine Deus noſter, accípere glóriā, & honórem, & virtútē; quia tu creáſti ómnia. * Nimis. Glória. * Nimis. *Pſ.* 96. 9. *Apoc.* 4. 11.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Athanáſii Epíſcopi.

Lect. iv. Orat. 1. *contra Arianos Cap.* 55. *aliàs Orat.* 2.

SI perſónam, rem, & tempus verbórum Apóſtoli cognoviſſent hæréticí, non eo

quæ ad humánam pértinent natúram tranſtuliſſent in divinitátem, nec eò impietatis insáni deveniſſent. Id autem is facilè perſpíciet, qui inítiũ hujus loci rectè intelléxerit. En enim Apóſtoli verba: Multifáriam multísque modis olim Deus locútus pátribus per Prophétas, hiſce últimis diébus locútus eſt nobis in Fílio. Deínde paulò poſt ait: Per ſeipſum purgatione peccatórum noſtrórum factâ, ſedet ad déxteram majeſtátis in excelſis, tantò præſtántior factus Angelis, quantò excelléntius præ illis nomen hæreditáte accépit. Itaque Apóſtoli dictum témporis méminit, quo nobis Deus in Fílio locútus eſt, & peccatórum facta eſt purgátio.

℟. Domináre in médio inimicórum tuórum: * Tecum princípium in die virtútis tuæ in ſplendóribus ſanctórum: ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquándo: Sede à dextris meis quoadúſque ponam inimícos tuos ſcabéllum pedum tuórum? * Tecum. *Pſ.* 109. 2. 3. *Hebr.* 1. 13.

Lectio v. post pauca.

DEínde cùm ſermo fit de diſpenſatióne, quæ noſtrî cauſa ſuſcépta eſt; de últimis tempóribus verba fáciens, conveniénter ádmonet neque prióribus tempóribus Deum tacuíſſe: ſiquidem per Prophétas locútus eſt. Quóniam ígitur Prophétæ miniſtravére, & lex promulgáta eſt per Angelos, deindéque advénit Fílius ut ipſe miniſtráret, neceſſáriò hæc verba íntulit: Tantò præſtántior factus Angelis: ut ſcílicet oſténderet quantùm ſervo præſtet Fílius, tantò étiam Fílii adminiſtratiónem, ſervórũ adminiſtratióne præſtantiórem fuíſſe.

℟. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, * Ad audiéndam vocem ſermónum ejus. ℣. Vidébitis Angelos Dei aſcendéntes, & deſcendéntes ſupra Fílium hóminis. * Ad audiéndam. *Pſ.* 102. 20. *Joan.* 1. 51.

Lectio vj.

VEterem ítaque & novam adminiſtratiónem diſtínguens Apóſtolus, fidénter hæc ad Judæos ſcribit: Tantò præſtantior factus Angelis. Quaprópter nullâ hîc uſus eſt comparatióne, nec dixit: Major, vel honorátior; ne quis illum ejúſdem ac illos eſſe géneris ſuſpicarétur; ſed præſtántior dixit; ut natúræ Fílii & rerum creatárum differéntiam demonſtráret.

℟. Quis ſímilis erit Deo in fíliis Dei? Deus, qui glorificátur in consílio ſanctórum; * Magnus & terríbilis † Super omnes qui in circúitu ejus ſunt. ℣. Qui eſt de terra, terra eſt. Qui de

cœlo venit, ſuper omnes eſt. * Magnus. Glória. † Super. *Pſ. 88. 7. 8. Joan. 3. 31.*

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. ℣. 31.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis parábolam hanc: Simile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Libro 2. in Matthæum.

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii eſt: & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejùs. Símile eſt ergo hujúſmodi regnum grano ſinápis, quod accípiens homo ſeminávit in agro ſuo. Homo qui séminat in agro ſuo, à pleríſque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium sémineт: ab áliis, ipſe homo séminans in agro ſuo, hoc eſt, in ſemetipſo, & in corde ſuo.

℟. Vobis datum eſt noſſe myſtéria regni cœlórum: * Veſtri beáti óculi; quia vident; & aures veſtræ; quia áudiunt. ℣. Beátus qui in iſtis versátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ſápiens erit ſemper. * Veſtri. *Matth. 13. 11. 16. Eccli. 50. 30.*

Lectio viij.

QUis eſt iſte qui séminat, niſi ſenſus noſter, & ánimus; qui ſuſcípiens granum prædicatiónis, & fovens ſeméntem humóre fídei, facit in agro ſui péctoris pulluláre? Prædicátio Evangélii mínima eſt ómnibus diſciplínis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deũ, Deum mórtuum, & ſcándalum crucis prædicans. Confer hujuſcémodi doctrínam dogmátibus philoſophórum, & libris eórum, & ſplendóri eloquéntiæ, & compoſitióni ſermónum; & vidébis quantò minor ſit cæteris ſemínibus ſeméntis Evangélii.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ; quia * Abſcondíſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus, & revelásti ea párvulis: ita, Pater, quóniam ſic fuit plácitum ante te. ℣. Declarátio ſermónum tuórum illúminat; & intelléctum dat párvulis. * Abſcondíſti. *Matth. 11. 25. 26. Pſ. 118. 130.*

Lectio ix.

SEd illa, cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demonſtrat; ſed totum flàccidum, marcidúmque, & mollítum ebúllit in ólera, & in herbas, quæ citò aréſcunt, & córruunt. Hæc autem prædicátio quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis, vel in toto

mũdo ſata fúerit, non exúrgit in ólera; ſed creſcit in árborẽ: ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines Dei ſervítio mãcipátas ſentíre debémus) véniant, & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano ſinápis créverit, dógmatum eſſe diverſitátes, in quibus ſupradictárum vólucrum unaquæque requiéſcit.

℟. Quæ ſemináverit homo, hæc & metet; quóniam qui séminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem; * Qui autem séminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam. ℣. Qui séminat iniquitátem, metet mala. * Qui autem. Glória. * Qui autem. *Galat.* 6. 8. *Proverb.* 22. 8.

Ad Benedict. *Ant. t.* 3. *a.* Símile eſt regnum cœlórum grano ſinápis, quod mínimum quidem eſt ómnibus ſemínibus; cùm autem créverit, majus eſt ómnibus oléribus. *Matth.* 13. 31. 32.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut ſemper rationabília meditántes, quæ tibi ſunt plácita, & dictis exequámur, & factis; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Toletáno un décimo.

Ann. 675. *Cap.* 1.

QUantùm quis præcélſi cúlminis obtinet locũ, tantó necéſſe eſt, præcédat cæteros grátiâ meritórum; ut in eo quòd præſidet síngulis, singuláriter ornétur eminéntiâ ſanctitátis.

Ad Magníficat *Ant. t.* 8. *G.* Jeſus ſine parábolis non loquebátur turbis; ut impleréτur quod dictũ erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum; eructábo abſcóndita à conſtitutióne mũdi. *Matth.* 13. 34. 35.

FERIA SECUNDA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 5.

PRoptérea abundántiùs opórtet obſerváre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricátio, & inobediéntia accépit juſtam mercédis retributiónem; quómodo nos effugiémus, ſi tantam neglexérimus ſalútem? Quæ cùm inítium accepíſſet enarrári per Dóminum ab eis, qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs ſancti diſtributiónibus secúndũ ſuam voluntátem.

℟. Benedíctum. *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 412.

Lectio ij. v. 9. *ad* 14.

EUm autem, qui módicò quàm Angeli, minorátus eſt, vidémus Jeſum propter paſſiónem mortis glóriâ & honóre coronátũ;

ut grátiâ Dei, pro ómnibus guſtáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctorem ſalútis eórum per paſſionem conſummáre. Qui enim ſanctíficat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio Eccléſiæ laudabo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, & púeri mei, quos dedit mihi Deus.

℟. Regnum. *pag.* 412.

Lectio iij. v. 14. *ad finem.*

QUia ergo púeri communicavérunt carni, & sánguini, & ipſe ſimiliter participávit eíſdem; ut per mortem deſtrúeret eum qui habébat mortis impérium, id eſt, diábolum; & liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant ſervitúti. Nuſquam enim Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus ſimilári, ut miséricors fieret, & fidélis Pontifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentátus, potens eſt & eis, qui tentántur, auxiliári.

℟. Tu Dóminus. *pag.* 412.

CANON

Ex Concílio Burdigalénſi. *Ann.* 1583. *Tit.* 21. *de vita & moribus Clericor.*

CLérici qui in ſortem Dómini vocáti ſunt, omni virtútum génere ornati eſſe debent: ſpectáculum facti, ut ait Apóſtolus, mundo, Angelis, & homínibus, némini dantes ullam offenſiónem. ne vituperétur ipsórum miniſtérium, ſed in ómnibus exhibéntes ſemetípſos, ſicut Dei miníſtros.

FERIA TERTIA.

De Epíſtola beáti Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

UNde, fratres ſancti, vocationis cœléſtis partícipes, conſideráte Apóſtolum & Pontíficem confeſſiónis noſtræ Jeſum: qui fidélis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Móyſes in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iſte præ Móyſe dignus eſt hábitus, quantò ampliórem honórem habet domus, qui fabricávit illam. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo; qui autem ómnia creávit, Deus eſt. Et Móyſes quidem fidélis erat in tota domo ejus tamquam fámulus, in teſtimónium eórum quæ dicénda erant. Chriſtus verò tamquam fílius in domo ſua; quæ domus ſumus nos, ſi fidúciam & glóriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus.

℟. Dé-

℟. Domináre. *ex 2. Noct. Dom. pag.* 413.

Lectio ij. v. 12. *ad* 17.

VIdéte, fratres, ne fortè ſit in áliquo veſtrûm cor malum incredulitátis, diſcedéndi à Deo vivo; ſed adhortámini vosmetipſos per ſíngulos dies, donec hódie cognominátur; ut non obdurétur quis ex vobis falláciâ peccáti. Partícipes enim Chriſti effécti ſumus; ſi tamen inítium ſubſtántiæ ejus uſque ad finem, firmum retineámus. Dum dícitur: Hódie ſi vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda veſtra, quemádmodum in illa exacerbatióne. Quidam enim audiéntes exacerbavérunt; ſed non univérſi, qui profécti ſunt ex Ægypto per Móyſen.

℟. Benedícite, *pag* 413.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 12. *ad finem.*

VIvus eſt enim ſermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertíngens uſque ad diviſiónem ánimæ, ác ſpíritûs, compágum quoque, ac medullarum, & diſcrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non eſt ulla creatúra invisíbilis in conſpéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta ſunt óculis ejus, ad quem nobis ſermo. Habéntes ergo Pontíficem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Quis, *pag.* 413.

C A N O N

Ex Concílio Toletáno quarto.

Ann. 633. *Can.* 22.

QUamvis conſciéntiam puram apud Deum nos habére opórteat, tamen apud hómines famam óptimam cuſtodíre cónvenit: ut juxta præcéptum apoſtólicum, non tantùm coram Deo, ſed étiã coram homínibus, vitæ ſanctæ teſtimónium habeámus.

FERIA QUARTA.

De Epíſtola beati Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 7.

QUaprópter intermittẽtes inchoatiónis Chriſti ſermónem, ad perfectióra ferámur, non rursùm jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fídei ad Deum; baptíſmatum doctrínæ, impoſitiónis quoque mánuum, ac reſurrectiónis mortuórum, & judícii ætérni. Et hoc faciémus; síquidem permíſerit Deus. Impoſsíbile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtavérunt étiam donum cœléſte, & partícipes facti

ſunt Spíritûs ſancti, guſtavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutéſque ſæculi ventúri, & prolápſi ſunt; rurſus renovári ad pœniténtiam, rurſum crucifigéntes ſibimetípſis Fílium Dei, & oſténtui habéntes.

℟. Vobis. *Ex* 3. *Nocturno Dominicæ, pag.* 414.

Lectio ij. v. 7. ad 13.

Terra enim ſæpè veniéntem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportúnam illis, à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo. Próferens autem ſpinas ac tribulos, réproba eſt, & maledícto próxima; cujus conſummátio in combuſtiónem. Confídimus autem de vobis, dilectiſſimi, melióra, & viciniora ſaláti; tamétſi ita lóquimur. Non enim injúſtus Deus, ut oblivíſcatur óperis veſtri, & dilectiónis quam oſtendíſtis in nómine ipsíus, qui miniſtráſtis ſanctis, & miniſtrátis. Cúpimus autem unumquémque veſtrûm eámdem oſtentáre ſollicitúdinem ad expletiónem ſpei uſque in finem; ut non ſegnes efficiámini, verùm imitatóres eórum, qui fide & patiéntiâ hæreditabunt promiſſiónes.

℟. Confiteor, *pag.* 414.

Lectio iij. C. 10. *v.* 19. *ad* 26.

Habẽtes itaque, fratres, fidúciã in introitu ſanctórum in ſanguine Chriſti, quam initiávit nobis viã novam, & vivéntẽ per velámen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdótem magnum ſuper domum Dei: accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aſpérſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; (fidélis enim eſt qui repromíſit,) & conſiderémus ínvicem in provocatiónem charitátis, & bonórum óperum: non deſeréntes collectiónẽ noſtram, ſicut conſuetúdinis eſt quibúſdam, ſed conſolántes, & tantò magis, quantò vidéritis appropinquántem diem.

℟. Quæ, *pag.* 415.

CANON

Ex Concilio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 34.

Nullũ omnipoténti Deo tale eſt ſacrifícium, quale eſt zelus animárum, ſicut Pſalmíſta ait: Zelus domûs tuæ comédit me.

FERIA QUINTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 26. *ad* 32.

Voluntáriè enim peccántibus nobis poſt accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóſtia, terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ conſumptúra eſt adverſários. Irritam quis fáciens legem Móyſi, ſine ulla miſeratióne duóbus vel tribus téſtibus móritur: quantò magis putátis deterióra meréri-

ſupplícia, qui Filium Dei conculcáverit, & sánguinem teſtaménti pollútum dúxerit, in quo ſanctificátus eſt, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Et íterùm: Quia judicábit Dóminus pópulum ſuum. Horréndum eſt incídere in manus Dei viventis.

℟. Benedíctum, *ex primo Nocturno Dominicæ, pag.* 412.

Lectio ij. v. 32. *ad finem.*

REmemorámini autem priſtinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónũ: & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatiónibus ſpectáculum facti: in áltero autem, sócii táliter converſántium effécti. Nam & vinctis compáſſi eſtis, & rapínam bonórum veſtrórum cum gáudio ſuſcepíſtis, cognoſcéntes vos habére melióre m & manéntem ſubſtántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis neceſſária eſt: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promiſſiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum qui ventúrus eſt, véniet, & non tardábit. Juſtus autem meus ex fide vivit: quòd ſi ſubtráxerit ſe, non placebit ánimæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractiónis filii in perditiónem, ſed fídei in acquiſitiónẽ ánimæ.

℟. Regnum, *pag.* 412.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 7.

EST autem fides ſperandárum ſubſtántia rerũ, arguméntum non apparéntium. In hac enim teſtimóniũ conſecúti ſunt ſenes. Fide intellígimus aptáta eſſe ſæcula verbo Dei; ut ex inviſibílibus viſibília fíerent. Fide plúrimam hóſtiam Abel, quàm Cain óbtulit Deo, per quam teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perhibénte munéribus ejus Deo; & per illam defúnctus adhuc lóquitur. Fide Henoch tranſlátus eſt, ne vidéret mortem; & non inveniebátur, quia tránſtulit illum Deus: ante translatiónem enim teſtimónium hábuit placuíſſe Deo. Sine fide autem impoſſíbile eſt placére Deo. Crédere enim opórtet accedéntem ad Deum, quia eſt, & inquiréntibus ſe remunerátor ſit.

℟. Tu Dóminus, *pag.* 412.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi.

An. 816. *Lib.* 1. *Cap.* 34.

QUi zelo rectitúdinis movétur, ſic culpas delinquéntium córrigat, ut antè ipſe, qui córrigit, per patiéntiam creſcat; ut fervórem ſuum tranſcendéndo dijúdicet; ne intemperánter excitátus ipſo zelo rectitúdinis, longè à rectitúdine abérret.

FERIA SEXTA.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 12. v. 1. ad 7.

DEponéntes omne pondus, & circúmſtans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propóſitum nobis certámen: aſpiciéntes in auctórem fídei, & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gáudio ſuſtínuit crucem, confuſióne contémptâ, atque in déxtera ſedis Dei ſedet. Recogitáte enim eum, qui talem ſuſtínuit à peccatóribus advérsùm ſemetípſum contradictiónem: ut ne fatigémini, ánimis veſtris deficiéntes. Nondum enim uſque ad ſánguinem reſtitíſtis, advérsùs peccátū repugnántes: & obliti eſtis conſolatiónis, quæ vobis tamquam fíliis lóquitur, dicens; Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quē enim díligit Dóminus, caſtígat; flagéllat autem omnem fílium quem récipit.

℟. Domináre, *ex ſecundo Nocturno Dominicæ, pag. 413.*

Lectio ij. v. 7. ad 12.

IN diſciplína perſeveráte. Tamquam fíliis vobis offert ſe Deus: quis enim fílius, quem non córripit pater? Quòd ſi extra diſciplínam eſtis, cujus partícipes facti ſunt omnes: ergo adúlteri, & non fílii eſtis. Deínde patres quidem carnis noſtræ, eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri ſpirítuum, & vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum, ſecúndū voluntátem ſuam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile eſt, in recipiéndo ſanctificatiónem ejus. Omnis autem diſciplína in præſénti quidem vidétur non eſſe gáudii, ſed mœróris: poſtea autem fructum pacatíſſimū exercitátis per eam, reddet juſtítiæ.

℟. Benedícite, *pag.* 413.

Lectio iij. v. 12. ad 18.

PRopter quod remíſſas manus, & ſolúta génua erígite, & greſſus rectos fácite pédibus veſtris; ut non cláudicans quis erret, magis autem ſanétur. Pacem ſequímini cum ómnibus, & ſanctimóniam, ſine qua nemo vidébit Deum: contemplántes ne quis deſit grátiæ Dei: ne qua radix amaritúdinis ſurſum gérminans impédiat, & per illam inquinéntur multi. Ne quis fornicátor aut profánus, ut Eſaü, qui propter unā eſcam véndidit primitíva ſua. Scitóte enim, quóniam & póſtea cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus eſt; non enim invénit pœniténtiæ locum, quamquam cum lácrymis inquiſíſſet eam.

℟. Quis, *pag.* 413.

C A N O N

Ex Concilio Tridentino.

Seſſ. 13. *de Reform. Cap.* 1.

ARguant paſtóres, óbſecrent, íncrepent in omni bonitáte & patiéntia: cùm ſæpe plus erga corrigéndos agat benevoléntia, quàm auſtéritas; plus exhortátio, quàm comminátio; plus cháritas, quàm potéſtas.

S A B B A T O.

De Epíſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

CHáritas fraternitátis máneat in vobis. Et hoſpitalitátem nolíte oblivíſci; per hanc enim latuérunt quidã, Angelis hoſpítio recéptis. Mementóte vinctórum, tamquam ſimul vincti; & laborántium, tamquam & ipſi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Fornicatóres enim, & adúlteros judicábit Deus. Sint mores ſine avarítia, conténti præséntibus; ipſe enim dixit: Non te déſeram, neque derelínquam. Ita ut confidénter dicámus: Dóminus mihi adjútor: non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbũ Dei: quorum intuéntes éxitum converſatiónis, imitámini fidem.

Lectio ij. v. 8. *ad* 15.

JEſus Chriſtus heri, & hódie; ipſe & in ſæcula. Doctrinis variis, & peregrínis nolíte abdúci. Optimum eſt enim grátiâ ſtabilíre cor, non eſcis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent poteſtátem, qui tabernáculo deſérviũt. Quorũ enim animáliũ infértur ſanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra caſtra. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificáret per ſuum ſánguinem pópulum, extra portam paſſus eſt. Exeámus ígitur ad eum extra caſtra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem; ſed futúram inquírimus.

Lectio iij. v. 15. *ad* 21.

PEr ipſum ergo offerámus hóſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, & communiónis nolíte oblivíſci; tálibus enim hóſtiis promerétur Deus. Obedíte præpóſitis veſtris, & ſubjacéte eis. Ipſi enim pervígilant, quaſi ratiónem pro animábus veſtris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis; confídimus enim, quia bonam conſciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quo celériùs reſtítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Paſtórem

magnum óvium, in ſánguine teſtaménti ætérni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem; fáciens in vobis quod pláceat coram ſe per Jeſum Chriſtum; cui eſt glória in ſǽcula ſæculorum. Amen. Tu autem.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

Ann. 1576. *Part.* 3. *Tit. monitiones.*

PAupertátem diléxit, & dócuit cœléſtis magiſter Chriſtus: qui naſcēs in præsépio pónitur, & nudus in cruce móritur. Scitóte paupertáti sócias adjúngi, ſobrietátem, abſtinéntiam, & relíquas virtútes, quibus prælucére opórtet miniſtrū Dei.

SABBATO

ANTE SEPTUAGESIMAM AD VESPERAS.

Omnia ut in Pſalterio, præter ea quæ ſequuntur.

Capitulum. Iſ. 44. 24.

HÆc dicit Dominus Redémptor tuus, & formátor tuus ex útero: Ego ſum Dóminus fáciens ómnia, exténdens cœlos ſolus, ſtabíliens terram; & nullus mecum.

℟. Inítio tu, Dómine, terram fundáſti; * Opera mánuum tuárum ſunt cœli: ipſi períbunt; tu autem permanes. ℣. Velut amíctum mutabis eos, & mutabúntur; tu autem idem ipſe es. * Opera. Glória * Opera. *Pſ.* 101. 26. 27. *Hebr.* 1. 12.

Hymnus & ℣. *ut in Pſalterio.*

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *a.* Dóminus Deus noſter fecit terram in fortitúdine ſua; præparávit orbem in ſapiéntia ſua, & prudéntiâ ſuâ exténdit cœlos. *Jerem.* 51. 15.

Oratio ut infrà ad Laudes.

℣. Dóminus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia.

℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

Deinceps non dicitur, Allelúia, *uſque ad Sabbatum ſanctum: ſed poſt* ℣. Deus, in adjutórium, &c. *dicitur,* Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Si in his Veſp. fiat aliqua Com. additur tantùm duplex Allel. *ad ultimum* Benedicámus, *& non ad primum.*

DOMINICA

SEPTUAGESIMÆ

Quæ eſt ij. Claſ.

AD OFFIC. NOCT.

Omnia ut in Pſalterio, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Géneſis.

Lectio j. Cap. 1. *ad* 14.

IN princípio creávit Deus cœlum & terram. Terra autem erát inánis & vácua, & ténebræ erant ſuper fáciem abyſſi: & Spíritus Dei ferebátur ſuper aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: &

divíſit lucem à ténebris. Appellavítque lucem, Diem, & ténebras, Noctem: factúmque eſt véſperè & manè, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmaméntum in in médio aquárum: & dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, diviſítque aquas quæ erant ſub firmaménto, ab his quæ erant ſuper firmaméntum. Et factum eſt ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Cœlum: & factum eſt véſperè & manè, dies ſecúndus. Dixit verò Deus: Congregéntur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum: & appáreat árida. Et factum eſt ita. Et vocávit Deus áridam, Terrã, congregationéſque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et ait: Gérminet terra herbam viréntem & faciéntem ſemen, & lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetípſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et prótulit terra herbam viréntem, & faciéntem ſemen juxta genus ſuum; lignúmque fáciens fructum, & habens unumquódque ſeméntem ſecúndum ſpéciem ſuam. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et factum eſt véſperè & manè, dies tértius.

℟. Dómine Rex omnípotens, in ditióne tuâ cuncta ſunt pósita: * Tu fecíſti cœlum, & terram, & quidquid cœli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es. ℣. Fide intellígimus aptáta eſſe ſæcula; ut ex inviſibílibus viſibília fíerent. * Tu fecíſti. *Eſth.* 13. 9. 10. 11. *Heb.* 11. 3.

Lectio ij. v. 14. *ad* 24.

DIxit autem Deus: Fiant luminária in firmaménto cœli, & dívidant diem ac noctē, & ſint in ſigna & témpora, & dies & annos: ut lúceant in firmaménto cœli, & illúminent terram. Et factum eſt ita. Fecítque Deus duo luminária magna: lumináre majus, ut præéſſet diéi: & lumináre minus, ut præéſſet nocti: & ſtellas. Et póſuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent ſuper terram, & præéſſent diei, ac nocti, & divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt véſperè & manè, dies quartus. Dixit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, & volátile ſuper terram ſub firmaménto cœli. Creavítque Deus Cete grándia, & omnem ánimam vivéntem, atque motábilem, quam produxérant aquæ in ſpécies ſuas, & omne volátile ſecúndum genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixítque eis, dicens: Créſcite, & multiplicámini, & repléte aquas maris: avéſque multiplicéntur ſuper terram. Et factum eſt véſperè & manè, dies quintus.

℟. Verbo Dómini cœli

firmáti ſunt; & ſpíritu oris ejus omnis virtus eórum; cóngregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſáuris abyſſos. * Tímeat Dóminum omnis terra. ℣. Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. * Tímeat. *Pſ. 32. 6. 7. 8. Joan. 1. 3.*

Lectio ij. v. 24. ad finem & Cap. 2. v. 1. ad 4.

DIxit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere ſuo, juménta, & reptília, & béſtias terræ ſecúndum ſpécies ſuas. Factúmque eſt ita. Et fecit Deus béſtias terræ juxta ſpécies ſuas, & juménta, & omne réptile terræ in génere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et ait: Faciámus hóminem ad imáginem, & ſimilitúdinem noſtram: & præſit píſcibus maris, & volatílibus cœli, & béſtiis, univerſǽque terræ, omníque réptili quod movétur in terra. Et creavit Deus hóminem ad imáginem ſuam, ad imáginem Dei creávit illum: maſculum & fœminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, & ait: Créſcite, & multiplicámini, & repléte terram, & ſubjícite eam, & dominámini píſcibus maris, & volatílibus cœli, & univérſis animántibus, quæ movéntur ſuper terram. Dixítque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem ſemen ſuper terram, & univérſa ligna quæ habent in ſemetípſis ſeméntem géneris ſui, ut ſint vobis in eſcam: & cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cœli, & univérſis quæ movéntur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut hábeant ad veſcéndum. Et factum eſt ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: & erant valde bona. Et factum eſt véſperè & manè, dies ſextus. Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus ſuum quod fécerat: & requiévit die séptimo ab univérſo ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo; & ſanctificávit illum: quia in ipſo ceſſáverat ab omni ópere ſuo quod creávit Deus ut faceret.

℟. Ait Deus: Faciámus hóminem ad imáginem noſtram, & præſit univérſæ terræ: & * Creávit hóminem ad imáginem ſuam. ℣. Vir imágo & glória Dei eſt. * Creavit. Glória. * Creávit. *Gen. 1. 26. 27. 1. Corint. 11. 7.*

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtini Epiſcopi, de Civitáte Dei.

Lectio iv. Lib. 4. Cap. 15.

QUia cōtémptus eſt Deus jubens, qui creáverat, qui ad ſuam imáginem fécerat, qui cæteris animalibus præpoſúerat, qui in para-

diſo conſtitúerat, qui rerum ómnium cópiam ſalutíſque præſtíterat, qui præcéptis nec plúribus, nec grándibus, nec difficílibus oneráverat; ſed uno brevíſſimo atque levíſſimo ad obediéntiæ ſalubritátem adminiculáverat, quo eam creatúram, cui líbera sérvitus expedíret, ſe eſſe Dóminum commonébat; juſta damnátio ſubſecúta eſt, talíſque damnátio, ut homo qui cuſtodiéndo mandátum futúrus fúerat étiam carne ſpirituális, fíeret étiam mente carnális; ut qui ſuâ ſupérbiâ ſibi placúerat, Dei juſtítiâ ſibi donarétur; nec ſic ut in ſuâ eſſet omnímodâ poteſtáte, ſed à ſeípſo quoque diſséntiens, ſub illo qui peccáto consénſit, pro libertáte quam concupívit, duram miſerámque ágeret ſervitútem; mórtuus ſpíritu volens, & córpore moritúrus invítus: desértor ætérnæ vitæ; étiam ætérnâ, niſi grátia liberáret, morte damnátus.

℟. Inítium ſupérbiæ hóminis, apoſtatáre à Deo. * Quóniam ab eo, qui fecit illum, recéſſit cor ejus; quóniam inítium omnis peccáti eſt ſupérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & ſubvértet eum in finem. ℣. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, & per peccátum mors. * Quóniam. *Eccli.* 10. 14. 15. *Rom.* 5. 12.

Lectio v.

QUiſquis hujúſmodi dãnatiónem, vel nímiam, vel injúſtam putat, metíri profécto neſcit, quanta fúerit iníquitas in peccándo, ubi tanta erat non peccándi facílitas. Sicut enim Abrahæ non immérito magna obediéntia prædicátur, quia ut occíderet fílium, res diffĭcíllima eſt imperáta; ita in paradíſo tantò major inobediéntia fuit, quantò id quod præcéptum eſt, nullíus difficultátis fuit. Et ſicut obediéntia ſecúndi hóminis eò prædicabílior, quò factus eſt obédiens uſque ad mortem; ita inobediéntia primi hóminis eò deteſtabílior; quò factus eſt inobédiens uſque ad mortem. Ubi enim magna eſt inobediéntiæ pœna propóſita, & res à Creatóre fácilis imperáta; quiſnam ſatis éxplicet, quantum malum ſit non obedíre in re fácili, & tantæ poteſtátis império, & tanto terrénti ſupplício?

℟. Cùm ſis juſtus, juſtè ómnia diſpónis, Dómine: ipſum quoque, qui non debet puníri, condemnáre, éxterum æſtimas à tua virtúte. * Virtus enim tua juſtítiæ inítium eſt. ℣. Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculórum * Virtus. *Sap.* 12. 15. 16. *Apoc.* 15. 3.

Lectio vj.

DEnique, ut bréviter dicatur, in illius peccáti

pœna, quid inobediéntiæ, niſi inobediéntia retribúta eſt? Nam quæ hóminis eſt ália miséria, niſi advérsùs eum ipſum inobediéntia ejus ipsíus; ut quóniam nóluit quod pótuit, quod non poteſt velit? In paradíſo enim, etiámſi non ómnia póterat ante peccátum, quidquid tamen non póterat non volébat; & ídeò póterat ómnia quæ volébat. Nunc verò ſicut in ejus ſtirpe cognóſcimus, & divína Scriptúra teſtátur: Homo vanitáti símilis factus eſt. Quis enim enúmeret, quàm multa quæ non poteſt, velit, dum ſibi ipſi, id eſt, voluntáti ejus, ipſe ánimus ejus, eoque inférior caro ejus non obtémperat? Ipſo namque invíto, & ánimus plerúmque turbátur, & caro dolet, & veteráſcit, & móritur.

℞. Vídeo áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, & captivántem me in lege peccáti, quæ eſt in membris meis: * Infélix ego homo, † Quis me liberábit de córpore mortis hujus? ℣. Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ? volabo, & requiéſcam. * Infélix. Glória. † Quis me. *Rom. 7. 23. 24. Pſ. 54. 7.*

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20. 1.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis parábolam hanc. Símile eſt regnum cœlórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo manè condúcere operários in víneam ſuam. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 19. in Evang. n. 1.

REgnum cœlórum hómini patriſamílias ſímile dícitur, qui ad excoléndam víneam ſuam operários condúcit. Quis verò patriſfamílias ſimilitúdinem réctiùs tenet, quàm Cónditor noſter, qui regit quos cóndidit, & eléctos ſuos ſic in hoc mundo póſſidet quaſi ſubjéctos dóminus in domo? Qui habet víneam, universálem ſcilicet Eccléſiã, quæ ab Abel juſto uſque ad últimum eléctum, qui in fine mundi naſcitúrus eſt, quot ſánctos prótulit, quaſi tot pálmites miſit. Hic ítaque paterfamílias ad excoléndam víneam ſuam manè, horâ tértiâ, ſextâ, nonâ, & undécimâ operários condúcit; quia à mundi hujus inítio uſque in finem, ad erudiéndam plebem fidélium prædicatóres cógregáre non déſtitit.

℞. Cantábo dilécto meo cánticum patruélis mei víneæ ſuæ. * Vínea facta eſt dilécto meo in cornu fílio ólei: & ſepívit eam, & plantávit eam eléctam. ℣. Paterfamílias plantávit víneam, & ſepem circúmdedit ei, & locávit eam agrícolis. * Vi-

nea. *Iſ.* 5. 1. 2. *Matth.* 21. 33.

Lectio viij. n. 2.

POſſumus verò & eáſdem diverſitátes horárum, étiam ad unumquémque hóminem per ætátum moménta diſtínguere. Manè quippe intellectûs noſtri puerítia eſt. Hora autem tértia adoleſcéntia intélligi poteſt, quia quaſi jam ſol in altum próficit, dum calor ætátis creſcit. Sexta verò, juvéntus eſt; quia velut in centro ſol figitur, dum in ea plenitúdo róboris ſolidátur. Nona autem, ſenéctus intellígitur, in qua ſol velut ab alto axe deſcéndit; quia ea ætas à calóre juventútis déficit. Undécima verò hora ea eſt ætas, quæ decrépita, vel veterána dicitur. Quia ergo ad vitam bonam, álius in puerítia, álius in adoleſcéntia, álius in juventúte, álius in ſenectúte, álius in decrépita ætáte perdúcitur, quaſi divérſis horis operárii ad víneam vocántur.

℟. Deus, docuíſti me à juventúte mea; & uſque nunc pronuntiábo mirabília tua; & uſque in ſenéctam & ſénium: *Deus, ne derelínquas me. ℣. Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis ſedent. * Deus. *Pſ.* 70. 17 18. *Luc.* 1. 79.

Lectio ix.

MOres ergo veſtros, fratres, aſpícite; &, ſi jam operárii Dei eſtis, vidéte. Penſet unuſquíſque quid agat, & conſíderet ſi in Dómini vínea labóret. Qui enim in hac vita, ea quæ ſua ſunt, quærit, adhuc ad Domínicam víneam non venit. Illi namque Dómino labórant, qui non ſua, ſed lucra Domínica cógitant, qui zelo charitátis, ſtúdio pietátis inſérviunt, animábus lucrándis invígilant, perdúcere & álios ſecum ad vitam feſtínant. Nam qui ſibi vivit, qui carnis ſuæ voluptátibus páſcitur, rectè otióſus redargúitur; quia fructum divíni óperis non ſectátur.

℟. Bonum faciéntes non deficiámus; témpore enim ſuo metémus, non deficiéntes. * Ergo dum tempus habémus, operémur bonum. ℣. Bonórum labórum glorióſus eſt fructus. * Ergo. Glória. * Ergo. *Gal.* 6. 9. 10. *Sap.* 3. 15.

Non dicitur, Te Deum, *in Dominicis uſque ad Paſcha.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Bonum eſt psállere nómini tuo, Altíſſime, ℟. Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam. *Pſ.* 91. 1. 2.

Ant. 1. SImile eſt regnum *1. d.* cœlórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo manè condúcere operários in víneã ſuã. *Matt.* 20. 1.

Ant. 2. *D.* Conventióne factâ cum operáriis ex denário diúrno, miſit eos in víneam ſuam. *Matth.* 20. 2.

Ant. 3. 4. Egréſſus circa

horam tértiam, vidit álios ſtantes in foro otióſos; & dixit illis: Ite & vos in vineam meam; & quod juſtum fúerit dabo vobis. *Matth.* 20. 3. 4.

Ant. t. 4. *a.* Iterùm autem éxiit circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. *Matth.* 20. 5.

Ant. t. 7. *a.* Cùm ſerò factum eſſet, dicit Dóminus víneæ procuratori ſuo: Voca operários, & redde illis mercédem, incípiens à noviſſimis uſque ad primos. *Matth.* 20. 8.

Capitulum. Rom 9. 23. 24.

DEus, ut oſténderet divítias glóriæ ſuæ in vaſa miſericórdiæ, quæ præparávit in glóriam, vocávit nos non ſolùm ex Judæis, ſed étiam ex géntibus.

℣. Elégit nobis hæreditátem ſuam, ℟. Spéciem Jacob, quam diléxit. *Pſ.* 46. 5.

Ad Benedict. *Ant. t.* 8. *g.* Veniéntes primi, arbitráti ſunt quòd plus eſſent acceptúri: accepérunt autem & ipſi ſíngulos denários. *Matt.* 20. 10.

Oratio.

DEus, qui per grátiam tuam, cœléſtis vocatiónis partícipes nos effeciſti; da, ut per bona ópera certam electiónem noſtram faciéntes, inter eléctos à te récipi mereámur; Per Dóminum.

Ad Horas breves, Antiphonæ de Laudibus.

AD PRIMAM.

Ut in Pſalterio.

CANON

Ex Concílio Toletáno.

An. 461. *Can.* 1.

SI univérſis fidélibus, ſecúndùm Apoſtólicam doctrínam, cáſtitas cuſtodiénda indícitur; ut qui habent uxóres, ita ſint quaſi non habéntes: quantò magis Sacerdótes Dei, ac Levítæ divino mancipáti altário, cuſtodíre debent, ut non ſolùm cordis, verùm étiã córporis puritátem ſervántes, pro plebe ſupplicatúri, ad divínum introíre mereántur audítum.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. *Tim.* 1. 9.

DEus nos vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, non ſecúndùm ópera noſtra, ſed ſecúndum propóſitum ſuum, & grátiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Non fecit táliter * Omni natióni. Non fecit. ℣. Et judícia ſua non manifeſtávit eis. * Omni. Glória. Non fecit. *Pſ.* 147. 20.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſ.* 32. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 58.

FRatres mei dilécti, ſtábiles eſtóte & immóbiles; abundátes in ópere Dñi ſemper, ſciéntes quòd labor veſter non eſt inánis in Dómino.

℟. *br.* Beáti * Qui cuſtódiunt judíciũ. Beáti. ℣. Et fáciũt juſtítiã in omni témpore. * Qui. Glo. Beáti. *Pſ.* 105. 3.

℣. Quis eſt homo qui vult vitam? ℟. Divérte à malo, & fac bonum. *Pſ.* 33. 13. 15.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 51. 37. 38.

LÆtétur ánima veſtra in miſericórdia Dómini; & non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus veſtrum ante tempus; & dabit vobis mercédem veſtram in témpore ſuo.

℟. *br.* Spera in Dómino, * Et fac bonitátem. Spera. ℣. Et paſcéris in divítiis ejus. * Et fac. Glória. Spera. *Pſalm.* 36. 3.

℣. Judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetipſa. ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſ.* 18. 10. 12.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. *f.* DEi ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus, ut in illis ambulémus. *Eph* 2. 10.

Ant. t. 2. *D.* Voluntáriè génuit nos verbo veritátis, ut ſimus inítium áliquod creatúræ ejus. *Jacob.* 1. 18.

Ant. t. 3. *a.* Elégit nos ante mundi conſtitutiónem, ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in charitate. *Eph.* 1. 4.

Ant. t. 4. *E.* Vos genus eléctum; ut virtútes annuntiétis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. 1. *Petr.* 2. 9.

Ant. t. 5. *a.* Probántes quid ſit beneplácitum Deo, nolite communicáre opéribus infructuóſis tenebrárum. *Eph.* 5. 10. 11.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris, ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei.

Hymnus & ℣. ut in Pſalterio.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi; multi enim ſunt vocáti; pauci verò elécti. *Matth.* 20. 16.

Completorium ut in Pſalterio.

FERIA SECUNDA.

Omnia ut in Pſalterio, tum ad Officium Nocturnum, tum ad alias Horas, exceptis quæ ſequuntur; & ſimiliter in Feriis ſequentibus.

De Libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 4. *ad* 11.

IStæ ſunt generatiónes cœli & terræ, quando creáta ſunt in die quo fecit Dóminus Deus cœlum & terram; & omne virgúltum agri ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis priúſquam germináret: non enim plúerat Dóminus Deus ſuper terram; & homo non erat qui operarétur terram: ſed fons aſcendébat è terra, írrigans univérſam ſuperfíciem terræ. Formavit igitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, & inſpiravit in fáciem ejus ſpiráculum vitæ, & factus eſt homo in ánimâ viventem. Plantáverat autem

Dñus Deus Paradíſum vóluptátis à princípio; in quo póſuit hóminem quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcéndum ſuáve: lignum étiam vitæ in médio Paradíſi, lignúmque ſciéntiæ boni & mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigándũ Paradíſũ, qui inde divíditur in quátuor cápita.

℟. Dómine, *pag.* 423.

Lectio ij. v. 15. *ad* 21.

Tulit ergo Dñus Deus hóminem, & póſuit eum in Paradíſo voluptátis, ut operarétur, & cuſtodíret illum: præcepítque ei, dicens: Ex omni ligno Paradíſi cómede: de ligno autem ſciéntiæ boni & mali ne cómedas: In quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus: Non eſt bonum eſſe hóminem ſolum: faciámus ei adjutórium ſímile ſibi. Formátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ, & univérſis volatílibus cœli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea: omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavítque Adam nomínibus ſuis cuncta animántia, & univérſa volatília cœli, & omnes béſtias terræ: Adæ verò non inveniebátur adjútor ſímilis ejus.

℟. Verbo, *paginâ* 423.

Lectio iij. v. 21. *ad finem.*

Immíſit ergo Dñus Deus ſopórem in Adam: cùmque obdormíſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus coſtam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, & addúxit eam ad Adã. Dixítque Adam: Hoc nunc, os ex óſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocábitur Virágo, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamóbrem relínquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærébit uxóri ſuæ; & erunt duo in carne una. Erat autem utérque nudus, Adam ſcílicet, & uxor ejus: & non erubeſcébant.

℟. Ait Deus, *pag.* 424.

Ad Benedict. *Ant. t.* 2. *D.* Dignus es, Dómine, Deus noſter, accípere glóriam, & honórem, & virtútem; quia tu creáſti ómnia; & propter voluntátẽ tuã erant, & creáta ſunt. *Apoc.* 4. 11.

CANON

Ex Concílio Tridentíno. *Seſs.* 25. *de Reform. Cap.* 14.

Prohibet ſancta Synodus quibuſcúmque Cléricis, ne mulíeres, de quibus poſſit habéri ſuſpício, in domo vel extrà detinére, aut cum eis ullam conſuetúdinem habére áudeant; alióquin pœnis à ſacris Canónibus, vel ſtatútis Eccleſiárum impóſitis puniántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Vidéte quómodo cautè ambulétis; non quaſi inſipién-

tes, ſed ut ſapiéntes; rediméntes tempus; quóniam dies mali ſunt. *Eph.* 5. 15. 16.

FERIA TERTIA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 9.

SEd, & ſerpens erat callídior cunctis animántibus terræ quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerẽ: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno Paradíſi? Cui reſpóndit múlier: De fructu lignórum, quæ ſunt in Paradíſo, véſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in médio Paradíſi, præcépit nobis Deus, ne comederémus, & ne tangerémus illud, ne fortè moriámur. Dixit autem ſerpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus, quòd in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi veſtri: & éritis ſicut dii, ſciéntes bonum & malum. Vidit ígitur múlier quòd bonum eſſet lignum ad veſcéndum, & púlchrum óculis, aſpectúque delectábile: & tulit de fructu illíus, & comédit: dedítque viro ſuo, qui cómedit. Et apérti ſunt óculi ambórum: cùmque cognovíſſent ſe eſſe nudos, conſuérunt fólia ficûs, & fecérunt ſibi perizómata. Et cùm audíſſent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíſo ad auram poſt merídiem, abſcóndit ſe Adam, & uxor ejus à fácie Dómini Dei in médio ligni Paradíſi.

℟. Inítium, *paginâ* 425.

Lectio ij. v. 9. ad 17.

VOcavítque Dóminus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíſo: & tímui, eò quòd nudus eſſem, & abſcóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedíſti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedíſti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, & comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc feciſti? Quæ reſpóndit: Serpens decépit me, & comédi. Et ait Dóminus Deus ad ſerpéntem: Quia fecíſti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia, & béſtias terræ: ſuper pectus tuum gradiéris; & terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te, & mulíerem; & ſemen tuum, & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuum, & tu inſidiáberis calcáneo ejus. Mulíeri quoque dixit: Multiplicábo ærúmnas tuas, & concéptus tuos: in dolóre páries fílios, & ſub viri poteſtáte eris, & ipſe dominábitur tui.

℟. Cùm ſis. *pag.* 425.

Lectio iij. v. 17. ad finem.

ADæ verò dixit: Quia audíſti vocem uxoris tuæ, & comedíſti de ligno, ex quo præcéperam tibi, ne coméderes, maledícta terra

in ópere tuo : in laboribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas, & tríbulos germinábit tibi, & cómedes herbam terræ. In ſudóre vultûs tui veſcéris pane, donec revertáris in terram, de qua ſumptus es : quia pulvis es, & in púlverem revertéris. Et vocávit Adam nomen uxóris ſuæ, Heva, eò quòd mater eſſet cunctórum vivéntium. Fecit quoque Dóminus Deus Adæ, & uxóri ejus túnicas pellíceas, & índuit eos : & ait : Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum : nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat étiam de ligno vitæ, & cómedat, & vivat in ætérnum. Et emíſit eum Dóminus Deus de paradíſo voluptátis, ut operarétur terram, de qua ſumptus eſt. Ejecítque Adam : & collocávit ante paradíſum voluptátis Chérubim, & flámmeum gládium atque vers tilem, ad cuſtodiéndam viam ligni vitæ. ℟. Vídeo. *pag.* 426.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *g.* Nihil odíſti eórum quæ feciſti; parcis autem ómnibus; quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sap.* 11. 25. 27.

CANON

Ex Concílio Aurelianénſi tértio.

Ann. 538. *Can.* 4.

SPecialiter inhibétur, ut ſi quis Clericórum ſuſpiciónem, advérſam, aut oblocutióne̅ pópuli de muliéribus quácúmque fortáſſis incúrrerit, eam ſtatim, ſi intra domum ſuam habet, abjíciat.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *a.* Ne ſicut ſerpens Hevam ſedúxit aſtútiâ ſuâ, ita corrumpántur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitáte, quæ eſt in Chriſto. 2. *Cor.* 11. 3.

FERIA QUARTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

ADam verò cognóvit uxórem ſuam Hevam : quæ concépit, & péperit Cain, dicens : Poſsédi hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel paſtor óviu̅ : & Cain agrícola. Factum eſt autem poſt multos dies, ut offérret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis ſui, & de adípibus eórum : & reſpéxit Dóminus ad Abel, & ad múnera ejus; ad Cain verò, & ad múnera illíus non reſpéxit : iratúſque eſt Cain veheménter, & cóncidit vultus ejus. Dixítque Dóminus ad eum : Quare irátus es? Et cur cóncidit fácies tua? Nonne ſi bene égeris, recípies; ſin autem malè, ſtatim in fóribus peccatum áderit? Sed ſub te erit appetítus ejus, & tu dominaberis illíus.

℟. Cantábo, *pag.* 426.

Lectio

Lectio ij. v. 8. ad 17.

DIxítque Cain ad Abel fratrem ſuum : Egrediámur foràs. Cùmque eſſent in agro, conſurréxit Cain advérsùs fratrem ſuum Abel, & interfécit eum. Et ait Dóminus ad Cain : Ubi eſt Abel frater tuus? Qui reſpóndit : Néſcio : Num cuſtos fratris mei ſum ego? Dixítque ad eum : Quid feciſti? Vox ſánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledíctus eris ſuper terram, quæ apéruit os ſuum, & ſuſcépit ſánguinem fratris tui de manu tua. Cûm operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus ſuos : vagus & prófugus eris ſuper terram. Dixítque Cain ad Dóminum: Major eſt iníquitas mea, quàm ut véniam mérear. Ecce éjicis me hódie à fácie terræ, & à fácie tua abſcóndar, & ero vagus, & prófugus in terra : omnis ígitur qui invénerit me, occídet me. Dixítque ei Dóminus : Nequáquam ita fiet : ſed omnis qui occíderit Cain, ſéptuplum puniétur. Poſuítque Dominus Cain ſignum, ut non interfíceret eum omnis qui inveníſſet eum. Egreſsúsque Cain à fácie Dómini, habitávit prófugus in terra ad orientálem plagam Eden.

℟. Deus, *pag.* 427.

Lectio iij. v. 17. ad finem.

COgnóvit autem Cain uxórem ſuam quæ concépit, & péperit Henoch : & ædificávit civitátem, vocavítque nomen ejus ex nómine fílii ſui Henoch. Porrò Henoch génuit Irad, & Irad génuit Mavíael, & Mavíael génuit Mathúſael, & Mathúſael génuit Lamech. Qui accépit duas uxóres, nomen uni, Ada, & nomen álteri, Sella. Genuítque Ada Jabel, qui fuit pater habitántium in tentóriis, atque paſtórum. Et nomen fratris ejus Jubal : ipſe fuit pater canéntium cítharâ & órgano. Sella quoque génuit Tubálcain, qui fuit malleátor, & faber in cuncta ópera æris & ferri. Soror verò Tubálcain, Noéma. Dixítque Lamech uxóribus ſuis Adæ & Sellæ : Audíte vocem meam, uxóres Lamech, auſcultáte ſermónē meum; quóniam occídi virum in vulnus meum, & adoleſcéntulum in livórem meum; Séptuplum últio dábitur de Cain : de Lamech verò ſeptuágies ſépties. Cognóvit quoque adhuc Adam uxórem ſuam, & péperit fílium, vocavítque nomen ejus Seth, dicens : Póſuit mihi Deus ſemen áliud pro Abel, quem occídit Cain. Sed & Seth natus eſt fílius, quem vocávit Enos : iſte cœpit invocáre nomen Dómini.

℟. Bonum, *pag.* 427.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *f.* Invídiâ diáboli, mors introívit in orbem terrárum : imitántur autem illum, qui ſunt

ex parte illius. *Sap.* 2. 24. 25.

CANON

Ex Concílio Aquénſi.

Ann. 1585. *Tit. de vita & honeſtate Cleric.*

FOeminas ancillas Presbyteris habére non licet, niſi quæ quinquagéſimum ætátis annum exégerint, & vitâ non ſuſpéctâ dúxerint.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *D.* Satágite, ut per bona ópera, certam veſtram vocatiónem, & electiónem faciátis. 2. *Pet.* 1. 10.

FERIA QUINTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 9.

HIc eſt liber generatiónis Adam. In die qua creávit Deus hóminem, ad ſimilitúdinem Dei fecit illũ. Máſculum & fœminam creávit eos, & benedíxit illis: & vocávit nomen eórum Adã in die quo creáti ſunt. Vixit autem Adam centum trigínta annis: & génuit fílium ad imáginem & ſimilitúdinem ſuam, vocavítque nomen ejus Seth. Et facti ſunt dies Adam, poſtquam génuit Seth, octingénti anni: genuítque fílios & fílias. Et factum eſt omne tẽpus quod vixit Adam, anni nongénti trigínta, & mórtuus eſt. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & génuit Enos. Vixítque Seth poſtquam génuit Enos, octingéntis ſeptem annis, genuítque fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Seth nongentórum duódecim annórum, & mórtuus eſt.

℟. Dómine, *pag.* 423.

Lectio ij. v. 9. *ad* 18.

VIxit verò Enos nonagínta annis, & génuit Cainan. Poſt cujus ortum vixit octingéntis quíndecim annis, & génuit fílios & fílias: factíque ſunt omnes dies Enos nongénti quinque anni, & mórtuus eſt. Vixit quoque Cainan ſeptuagínta annis, & génuit Malaleel. Et vixit Cainan, poſtquam génuit Maláleel, octingéntis quadragínta annis, genuítque fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Cainan nongénti decem anni, & mórtuus eſt. Vixit autem Maláleel ſexagínta quinque annis, & génuit Jared. Et vixit Maláleel, poſtquam génuit Jared, octingéntis trigínta annis: & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Maláleel, octingénti nonagínta quinque anni, & mórtuus eſt.

℟. Verbo. *pag.* 423.

Lectio iij. v. 18. *ad* 25.

VIxítque Jared centum ſexagínta duóbus annis, & génuit Henoch. Et vixit Jared poſtquam génuit Henoch, octingéntis annis, & génuit fílios & fílias. Et facti ſunt omnes dies Jared, nongénti ſexagínta duo anni, & mórtuus eſt. Porrò Henoch vixit ſexagínta quinque annis, & génuit Mathúſalam. Et ambulávit Henoch

cum Deo : & vixit poſtquam génuit Mathúſalam , trecéntis annis , & génuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecénti ſexagínta quinque anni, ambulavítque cum Deo, & non appáruit : quia tulit eum Deus.

℟. Ait Deus, *pag.* 424.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *f.* Dómine Deus ómniũ Creátor, qui feciſti patres eléctos & ſanctificaſti eos, cuſtódi partem tuam, & ſanctífica. 2. *Mach.* 1. 24. 25. 26.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Treviréni.

Ann. 1423. *cui per Procuratorem interfuit Dominus Henricus Epiſcopus Tullenſis.*

CUm Sacerdótes dicántur templum Domini, & débeant eſſe ſacrárium Spíritûs ſancti, indígnum eſt eos quibúſlibet immundítiis ſervire. . . Summo ergo ópere cavére debent Clérici, & máximè Sacerdótes à cohabitatióne mulíerum, præsértim ſuſpectárum ; ne antíqui hoſtis fraude decipiántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Dignè ambulétis vocatione, quâ vocáti eſtis, cum omni humilitate, & manſuetúd ine. *Eph.* 4. 1. 2.

FERIA SEXTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 25. *ad finem.*

VIxit quoque Mathúſala centum octogínta ſeptem annis, & génuit Lamech. Et vixit Mathuſala, poſtquam génuit Lamech, ſeptingéntis octogínta duobus annis, & génuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Mathúſalæ nongénti ſexagínta novem anni, & mórtuus eſt. Vixit autem Lamech centum octogínta duóbus annis, & génuit filium ; vocavítque nomen ejus Noë, dicens : Iſte conſolabitur nos ab opéribus & labóribus mánuum noſtrárum in terra cui maledíxit Dóminus. Vixítque Lamech, poſtquam génuit Noë, quingéntis nonagínta quinque annis, & génuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingénti ſeptuagínta ſeptem anni, & mórtuus eſt. Noë verò cùm quingentórum eſſet annórum, génuit Sem, Cham, & Japheth.

℟. Inítium. *pag.* 425.

Lectio ij. Cap 6. *v.* 1. *ad* 9.

CUmque cœpíſſent hómines multiplicári ſuper terram, & filias procreáſſent, vidéntes filii Dei filias hóminum quòd eſſent pulchræ, accepérunt ſibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixítque Deus : Non permanebit ſpíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro eſt : erúntque dies illíus centum vigínti annórum. Gigántes autem erant ſuper terram in diébus illis. Poſtquam enim ingréſſi ſunt fílii Dei ad filias hóminum,

illæque genuérunt, iſti ſunt poténtes à ſæculo viri famóſi. Videns autem Deus quòd multa malítia hóminum eſſet in terra, & cuncta cogitátio cordis inténta eſſet ad malum omni témpore; pœnítuit eum quòd hominem fecíſſet in terra. Et tactus dolóre cordis intrínſecùs: Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, à fácie terræ, ab hómine uſque ad animántia, à réptili uſque ad vólucres cœli: pœnitet enim me feciſſe eos. Noë verò invénit grátiam coram Dómino.

℟. Cùm ſis, *pag.* 425.

Lectio iij v. 13. *ad* 19.

DIxit (Deus) ad Noë: Finis univérſæ carnis venit coram me: repléta eſt terra iniquitáte à fácie eórum, & ego diſpérdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigátis: manſiúnculas in arca facies, & bitúmine línies intrínſecus & extrínſecùs. Et ſic facies eam: Trecentórum cubitorum erit longitúdo arcæ, quinquaginta cubitorũ latitudo, & trigínta cubitorũ altitudo illius. Fenéſtram in arca fácies, & in cúbito conſummabis ſummitatem ejus: oſtium autem arcæ pones ex latere: deorſùm, cœnácula, & triſtega facies in ea. Ecce ego addúcam aquas diluvii ſuper terram, ut interfíciam omnem carnem, in qua ſpíritus vitæ eſt ſubter cœlum: univerſa quæ in terra ſunt, conſumentur. Ponámque fœdus meũ tecùm: & ingrediétis arcam tu, & fílii tui, uxor tua, & uxóres filiórum tuórum tecum.

℟. Vídeo, *pag.* 426.

Ad Benedict. Ant. t. 3. *a.* Non exoravérunt pro peccátis ſuis antíqui gigántes, qui deſtrúcti ſunt, confidéntes ſuæ virtúti. *Eccli.* 16. 8.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Treviréníi.

Ann. 1423. *cui per Procuratorem interfuit Dominus Henricus Epiſcopus Tullenſis.*

QUamquam contra Cléricos in ſacris conſtitútos ſecum tenéntes ſuſpéctas mulíeres multa ſint édita jura nova, ſintque plures pœnæ appóſitæ: multi tamen hujus témporis Clérici dictas pœnas non veréntur: unde plura ſcándala oriúntur. Cupiéntes ígitur huic morbo ſalúbriter providére, ſtatúimus, & ordinámus, ut nullus Présbyter, vel Cléricus mulíerem ſuſpéctam ſecum in domo teneat.... Quòd ſi nec à prædíctis deſtíterit, per ſuperiorem ſuum à divínis ſuſpendatur, & per álias pœnas, & censúras, uſque ad beneficiórum ſuórum privatiónem procedátur.

Ad Magnif. Ant. t. 7. *a.* Fide Noë, reſponſo accépto de iis quæ adhuc non videbantur, aptavit arcam in ſalútem domûs ſuæ, per quam

damnávit mundum. *Hebr.* 11. 7.

SABBATO.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 6. v. 22. & Cap. 7. v. 1. ad 6.

FEcit Noë ómnia quæ præcéperat illi Deus. Dixítque Dóminus ad eum: Ingrédere tu, & omnis domus tua, in arcam: te enim vidi juſtum coram me in generatióne hac. Ex ómnibus animántibus mundis tolle ſepténa & ſepténa, máſculum & fœminam; de animántibus verò immúndis, duo & duo, máſculum & fœminam. Sed & de volatílibus cœli ſepténa & ſepténa, máſculum & fœminam: ut ſalvétur ſemen ſuper fáciem univérſæ terræ. Adhùc enim, & poſt dies ſeptem, ego pluam ſuper terram quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus; & delébo omnem ſubſtántiam, quam feci, de ſuperfície terræ. Fecit ergo Noë ómnia, quæ mandáverat ei Dóminus.

Lectio ij. v. 10. ad 17.

CUmque tranſiíſſent ſeptem dies, aquæ dilúvii inundavérunt ſuper terram. Anno ſexcentéſimo vitæ Noë, menſe ſecúndo, ſéptimo décimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataráctæ cœli apértæ ſũt: & facta eſt plúvia ſuper terram quadragínta diébus, & quadragínta nóctibus. In artículo diéi illíus ingréſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Japheth, filii ejus, uxor illíus, & tres uxóres filiórum ejus cum eis, in arcam: ipſi & omne ánimal ſecúndum genus ſuum, univérſaque juménta in génere ſuo, & omne quod movétur ſuper terram in génere ſuo, cunctúmque volátile ſecúndùm genus ſuum, univérſæ aves, omnéſque vólucres, ingréſſæ ſunt ad Noë in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat ſpíritus vitæ. Et quæ ingréſſa ſũt, máſculus & fœmina ex omni carne introiérũt, ſicut præcéperat ei Deus; & incluſit eum Dóminus de foris.

Lectio iij. v. 17. ad finem.

FActúmque eſt dilúvium quadragínta diébus ſuper terram; & multiplicátæ ſunt aquæ, & elevavérunt arcam in ſublíme à terra: veheménter enim inundavérũt, & ómnia replevérunt in ſuperfície terræ: porrò arca ferebátur ſuper aquas. Et aquæ prævaluérunt nimis ſuper terram: opertíque ſunt omnes montes excélſi ſub univérſo cœlo. Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua ſuper montes quos operúerat. Consúmptaque eſt omnis caro quæ movebátur ſuper terram: vólucrum, animántium, beſtiárum, omniúmque reptílium quæ reptant ſuper terram; univérſi hómines, & cuncta in quibus ſpiráculum vitæ eſt in

terra, mórtua ſunt. Et delévit omnem ſubſtántiam, quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam réptile, quam vólucres cœli; & deleta ſunt de terra. Remánſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca; obtinuérũtque aquæ terrã centum quinquaginta diébus.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *d.* Miſericórdiæ Dómini, quia non ſumus consúmpti; quia non defecérunt miſeratiónes ejus. *Thren.* 3. 22.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *Ann.* 816. *Lib.* 1. *C.* 49.

OFficii tui ſit, chariſſime, non ſolum óculos caſtos ſerváre, ſed & linguam. Numquam de mulíerum formis díſputes, nec quid in cujúſquam domo agatur, ália domus per te nóverit.

AD VESPERAS.

Pſalmi & Antiphonæ ut in Pſalterio.

Capitulum. Sap. 14. 6.

AB inítio cum perirent ſupérbi gigántes, ſpes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remiſit ſæculo ſemen nativitatis, quæ manu tuâ, Pater, erat gubernata.

Hymnus & Verſus ut in Pſalterio.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Noë invéntus eſt perféctus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Quæ eſt ſecundæ Claſſis.

AD OFFIC. NOCT.

Omnia ut in Pſalterio, exceptis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 6.

REcordátus autem Deus Noë, cunctorúmque animántium, & ómnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, addúxit ſpíritum ſuper terram, & imminútæ ſunt aquæ. Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataráctæ cœli: & prohíbitæ ſunt plúviæ de cœlo. Reverſæque ſunt aquæ de terra eúntes & redeúntes; & cœpérunt mínui poſt centum quinquagínta dies. Requievítque arca menſe ſéptimo, vigeſimo ſéptimo die menſis, ſuper montes Arméniæ. At vero aquæ ibant, & decreſcébant uſque ad décimum menſem: decimo enim menſe, primâ die menſis, apparuérunt cacúmina móntium.

℟. Sunt quorum non eſt memória: periérunt quaſi non fúerint: & nati ſunt quaſi non nati, & filii ipsórum cum ipſis; ſed paréntes noſtri, * Illi viri miſericórdiæ ſunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eorum pérmanent bona, hæréditas ſancta nepótes eórũ, & in teſtaméntis ſtetit ſemen eórum. ℣. Non confúnditur Deus vocári Deus eórum;

parávit enim illis civitatē.* Illi viri. *Eccli.* 44. 9. 10. 11. 12. *Hebr.* 11. 16.

Lectio ij. v. 6. ad 13.

CUmque transíſſent quadragínta dies, apériens Noë fenéſtram arcæ, quam fécerat, dimíſit corvum, qui egrediebátur, & non revertebátur, donec ſiccaréntur aquæ ſuper terram. Emíſit quoque colúmbam poſt eum, ut videret ſi jam ceſsáſſent aquæ ſuper fáciem terræ. Quæ cùm non inveníſſet ubi requiéſceret pes ejus, revérſa eſt ad eum in arcam: aquæ enim erant ſuper univérſam terram: extendítque manū, & apprehénſam íntulit in arcam. Expectátis autem ultrà ſeptem diébus áliis, rurſum dimíſit colúmbam ex arca. At illa venit ad eum ad véſperam, portans ramum olívæ, viréntibus fóliis, in ore ſuo: intelléxit ergo Noë quòd ceſsáſſent aquæ ſuper terrā. Expectavítque nihilóminus ſeptem álios dies; & emíſit colúmbam, quæ non eſt revérſa ultrà ad eum.

℟. Adónaï, Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua; non eſt qui reſíſtat voci tuæ. Montes à fundaméntis movebúntur cum aquis: petræ, ſicut cera liquéſcent ante fáciem tuam. * Qui autem timent te, magni erunt apud te per ómnia. ℣. Erant in diébus ante dilúviū comedētes, & bibéntes uſque ad eum diē, quo intrávit Noë in arcam; & non cognovérunt, donec venit dilúvium, & tulit omnes. * Qui autem. *Judith* 16. 16. 17. 18. 19. *Matth.* 24. 38. 39.

Lectio iij. v. 15. ad 22.

LOcútus eſt autem Deus ad Noë, dicens: Egrédere de arca, tu, & uxor tua, fílii tui, & uxóres filiórum tuórum tecum. Cuncta animántia quæ ſunt apud te ex omni carne, tam in volatílibus, quàm in béſtiis, & univérſis reptílibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredímini ſuper terrā: créſcite, & multiplicámini ſuper eam. Egréſſus eſt ergo Noë, & filii ejus, uxor illíus, & uxóres filiórum ejus cum eo. Sed & ómnia animántia, juménta & reptília quæ reptant ſuper terram ſecúndùm genus ſuum, egréſſa ſunt de arca. Ædificávit autem Noë altáre Dómino: & tollens de cunctis pecóribus & volúcribus mundis, óbtulit holocáuſta ſuper altáre. Odoratúſque eſt Dóminus odórem ſuavitátis, & ait: Nequáquam ultrà maledícam terræ propter hómines; ſenſus enim, & cogitátio humáni cordis in malum prona ſunt ab adoleſcéntia ſua: non ígitur ultra percútiam omnem ánimam viventem, ſicut feci.

℟. Quis, Dómine, in conſpéctu tuo véniet vindex iniquórum hóminum? Aut quis tibi imputabit, ſi períerint

nationes, quas tu fecíſti? Non enim eſt álius Deus, quàm tu, cui cura eſt de ómnibus, * Ut oſténdas quóniam non injúſtè júdicas judícium. ℣. In diébus Noë, cùm fabricarétur arca, pauci, id eſt, octo ánimæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, * Ut oſténdas. Glória. Ut. *Sap.* 12. 12. 13. 1. *Petr.* 3. 20.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi de Noë & Arca.

Lectio iv. Cap. 4. n. 9.

HAbes, quia irátus Dóminus eſt: quóniam quamvis cogitáret, hoc eſt, ſciret, quia homo póſitus in terræ regione, carnem portans, ſine peccáto eſſe non poſſit; (terra enim velut quidam tentatiónum locus eſt, caróque corruptélæ illécebra:) tamen cùm habérent mentem ratiónis capácem, virtutémque ánimæ infúſam córpori, ſine conſideratióne áliqua in lapſum ruérunt, ex quo revocáre ſe nollent. Neque enim Deus cógitat ſicut hómines, ut áliqua ei nova ſuccédat ſenténtia: neque iráſcitur quaſi mutábilis: ſed ídeò hæc legúntur, ut exprimátur peccatórum noſtrórũ acérbitas, quæ divínam merúerit offénſam: tamquam eò uſque incréverit culpa, ut étiam Deus, qui naturáliter non movétur aut irâ, aut ódio, aut paſſióne ullâ, provocatus videátur ad iracúndiam.

℟. Gigántes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, viam diſciplínæ non invenérunt: proptérea periérunt: * Et quóniam non habuérunt ſapiéntiam, interiérunt propter ſuam inſipiéntiam. ℣. Sicut factum eſt in diébus Noë, venit dilúvium, & pérdidit omnes. * Et quóniam. *Bar.* 3. 26. 27. 28. *Luc* 17. 26. 27.

Lectio v. n. 10.

MInitátus eſt prætérea, quòd deléret hóminẽ. Ab hómine, inquit, uſque ad pecus, & à reptílibus uſque ad volatília delébo. Quid læſerant irrationabília? Sed quia propter hóminem illa facta erant, eo útique delécto propter quem facta ſunt, cónſequens erat, ut étiam illa deleréntur; quia non erat qui his uterétur. Senſu autem altióre illud manifeſtátur: quia homo mens eſt, quæ eſt ratiónis capax. Homo enim definítur, ánimal vivum, mortále, rationále. Principáli ígitur extíncto, étiam ſenſus omnis extínguitur: eò quòd nihil réliqui ad ſalútem ſupérſit, cùm ſalútis fundaméntum virtus defécerit.

℟. Injúſti diſperíbunt ſimul: relíquiæ impiórum interíbunt: * Salus autem juſtórum à Dómino; & protéctor eórum in témpore tribulatiónis. ℣. Ille tunc mundus aquâ inundátus périit. *

Salus autem. *Pſ.* 36. 38. 39. 2. *Petr.* 3. 6.

Lectio vj.

AD condemnatiónem autem cæterórum, & ad expreſſiónem pietátis divínæ, dícitur Nöë apud Deum grátiam inveníſſe. Simul oſténditur, quòd hóminem juſtum non obúmbret aliórum offénſio, quando ipſe ad totíus géneris reſervátur ſeminárium, qui non generatiónis nobilitáte, ſed juſtítiæ & perfectiónis mérito laudátur. Probáti enim viri genus, virtútis proſápia eſt: quia ſicut hóminum genus hómines, ita animárum genus virtútes ſunt. Etenim famíliæ hóminum ſplendóre géneris nobilitántur, animárum autem clarificátur grátia ſplendóre virtútis.

℟. Dixit Deus; Arcum meum ponam in núbibus: & * Erit ſignum fœderis inter me & inter terram; † Et non erunt ultrà aquæ dilúvii ad deléndam univérſam carnem. ℣. Deus mundum reconcílians ſibi, póſuit in nobis verbum reconciliatiónis: * Erit ſignum. Glória. † Et non erunt. *Gen.* 9. 12. 13. 15. 2. *Corinth.* 5. 19.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 8. 4.

IN illo témpore; Cùm turba plúrima convenírent, & de civitátibus properárent ad Jeſum, dixit per ſimilitúdinem: Exiit qui séminat, ſemináre ſemen ſuũ. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Hom. 15. *in Evang. n.* 1.

LEctio ſancti Evangélii, quam modò, fratres charíſſimi, audíſtis, expoſitióne non índiget, ſed admonitióne. Quam enim per ſemetípſam véritas expóſuit, hanc diſcútere humána fragílitas non præſúmat. Sed eſt quòd ſollícitè in hac ipſa expoſitióne Domínicâ peſáre debeámus: quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, ſpinas divítias ſignificáre dicerémus; ad credéndum nobis mens fórſitan veſtra dubitáret. Unde & idem Dóminus per ſemetípſum dignátus eſt expónere quod dicébat; ut ſciátis rerum ſignificatiónes quærere in iis étiam, quæ per ſemetípſum nóluit explanáre.

℟. Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis inveſtigávit? Fons ſapiéntiæ verbum Dei in excélſis, & ingréſſus illíus mandáta ætérna. * Diſciplína ſapiéntiæ cui reveláta eſt & manifeſtáta? ℣. Qui habet aures audiéndi, áudiat. * Diſciplína. *Eccli.* 1. 3. 5. 7. *Luc.* 8. 8.

Lectio viij.

EXponéndo ergo quod dixit, figurátè ſe loqui

innótuit : quátenus certos vos rédderet, cum vobis noſtra fragílitas verbórum illíus figúras aperíret. Quis enim mihi umquam crédere, ſi ſpinas divítias interpretári voluíſſem; máximè cùm illæ pungant, iſtæ deléctent? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitatiónum ſuárum punctiónibus mentem lácerant; & cùm uſque ad peccátum pértrahunt; quaſi inflícto vúlnere cruéntāt. Quas bene hoc in loco, álio Evangeliſtâ teſtánte, nequáquam Dóminus divítias, ſed falláces divítias appéllat.

℟. Qui annúntiat verbum ſuum Jacob; juſtítias & judícia ſua Iſraël; * Non fecit táliter omni natióni; & judícia ſua non manifeſtávit eis. ℣. Vobis datum eſt noſſe myſtéria regni cœlórum: illis autem non eſt datum.* Non fecit. *Pſ.* 147. 19. 20. *Matth.* 13. 11.

Lectio ix. n. 1. & 2.

FAllaces enim ſunt, quæ nobíſcum diu permanére non poſſunt: falláces ſunt, quæ mentis noſtræ inópiam non expéllunt. Solæ autem divítiæ veræ ſunt, quæ nos dívites virtútibus faciunt. Si ergo, fratres chariſſimi, dívites eſſe cúpitis, veras divítias amáte. Si culmen veri honóris quæritis, ad cœléſte regnum téndite. Si glóriam dignitátum diligitis, in illa ſupérna Angelórum cúria adſcríbi feſtináte. Verba Domini, quæ aure percipitis, mente retinéte. Cibus enim mentis eſt ſermo Dei: & quaſi accéptus cibus, ſtómacho languente, rejícitur, quando audítus ſermo, in ventre memóriæ non tenétur. Sed quiſquis aliménta non rétinet; hujus profectò vita deſperátur.

℟. Sicut exaltántur cœli à terra, ſic exaltátæ ſunt viæ meæ à viis veſtris. * Et quómodo deſcéndit imber, & inebriat terram, & dat ſemen ſerénti, & panem comedenti; ſic erit verbum meum. ℣. Sic eſt regnum Dei, quemádmodum ſi homo jaciat seméntem in terram, & ſemen gérminet & increſcat. * Et quómodo. Glória. * Et quómodo. *Iſ.* 55. 9. 10. 11. *Marc.* 4. 26. 27.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdotalis.* Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ant. 1. *D.* EXiit qui séminat, ſemináre ſemen ſuum; & dum séminat, áliud cécidit ſecus viam, & conculcátum eſt. *Luc.* 8. 5.

Ant. 1. 2. *D.* Aliud cécidit ſupra petram: & natum áruit, quia non habébat humórem. *Luc.* 8. 6.

Ant. 1. 4. *a.* Et áliud cécidit inter ſpinas, & ſimul exórtæ ſpinæ ſuffocavérunt illud. *Luc.* 8. 7.

Ant. t. 6. f. Alia autem cecidérunt in terram bonam; & dabant fructum. *Matth.* 13. 8.

Ant. t. 7. D. Veſtri beáti óculi, quia vident, & aures veſtræ, quia áudiunt. *Matth.* 13. 16.

Capitulum. Prov. 4. 20. 21. 22.

FIli mi, auſcúlta ſermónes meos, & ad elóquia mea inclína aurē tuam: ne recédant ab óculis tuis: cuſtódi ea in médio cordis tui: vita enim ſunt inveniéntibus ea.

℣. Revéla óculos meos; ℟. Et conſiderábo mirabília de lege tua. *Pſ.* 118. 18.

Ad Bened. Ant. t. 8. *g.* Semen eſt verbum Dei: quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono & óptimo audiéntes verbum rétinent, & fructum ásferunt in patiéntia. *Luc.* 8. 11. 15.

Oratio.

DEus, qui cónſpicis, quia ex nulla noſtra actióne confídimus; concéde propítius; ut inter advérſa ómnia per verbum tuum patiéntiam & conſolatiónem habeamus; Per &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Agathénſi.

Ann. 506. *Can* 41.

CLéricum, quem ébrium fuíſſe conſtíterit, aut trigínta diérum ſpátio à cōmunióne ſtatúimus ſubmovéndum, aut corporáli ſubdéndum ſupplício.

AD TERTIAM.

Capitulum. Ezech. 33. 32. 33.

AUdiunt verba tua, & non fáciunt ea; & cùm vénerit quod prædíctum eſt, tunc ſciént quòd prophétes fúerit inter eos.

℟. *br.* Mandáſti juſtítiam * Teſtimónia tua. Mandáſti. ℣. Oblíti ſunt verba tua inimíci mei. * Teſtimónia. Glória. Mandáſti. *Pſ.* 118. 138. 139.

℣. Da mihi intelléctum & ſcrutábor legem tuam: ℟. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. *Pſ.* 118. 34.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Timot.* 6. 17. 18.

DIvítibus hujus ſæculi præcipe non ſublíme ſápere, neque ſperáre in incérto divitiárum, ſed in Deo vivo; bene ágere, divites fíeri in bonis opéribus.

℟. *br.* Rapínas * Nolíte concupíſcere. Rapínas. ℣. Divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere. * Nolíte. Glória. Rapínas. *Pſ.* 61. 11.

℣. Inclína cor meum in teſtimónia tua, ℟. Et non in avarítiam. *Pſ.* 118. 36.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2. 5.

QUi ſervat verbum ejus, verè in hoc cháritas Dei perfécta eſt: & in hoc ſcimus quóniam in ipſo ſumus.

℟. *br.* Beáti qui ſcrután-

tur * Teſtimónia ejus. Beáti : ℣. In toto corde exquírunt eum. * Teſtimónia. Glória. Beáti. *Pſ.* 118. 2.

℣. In corde meo abſcóndi elóquia tua ; ℟. Ut non peccem tibi. *Pſ.* 118. 11.

AD VESPERAS.

Ant. QUi non áccipit *t.* 1. *f.* verba mea, habet qui júdicet eum : ſermo, quem locútus ſum, ille judicábit eum in noviſſimo die. *Joan.* 12. 48.

Ant. t. 3. *a.* Abjiciéntes omnem immundítiam, in manſuetúdine ſuſcípite ínſitum verbum quod poteſt ſalváre ánimas veſtras. *Jacob.* 1. 21.

Ant. t. 4. *a.* Eſtóte factóres verbi, & non auditóres tantùm, fallentes voſmetipſos. *Jacob.* 1. 22.

Ant. t. 5. *a.* Qui perſpéxerit in legem perféctam libertátis, & permánſerit in ea, non audítor obliviósus factus, ſed factor óperis ; hic beátus. *Jacob.* 1. 25.

Ant. t. 8. *c.* Ambulétis dignè Deo per ómnia placéntes : in omni ópere bono fructificántes & creſcéntes in ſciéntia Dei. *Coloſſ.* 1. 10.

Capitulum. Rom. 10. 16. 17.

NOn omnes obédiunt Evangélio : Iſaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui noſtro ? Ergo fides ex audítu : audítus autem per verbum Chriſti.

Hymnus & ℣. ut in Pſalterio.

Ad Magnif. Ant. t. 1. *a.* Beáti qui áudiunt verbum Dei, & cuſtódiunt illud. *Luc.* 11. 28.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 1. *ad* 7.

BEnedíxit Deus Noë, & filiis ejus. Et dixit ad eos : Créſcite, & multiplicámini, & repléte terram. Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animália terræ, & ſuper omnes vólucres cœli, cum univérſis quæ movéntur ſuper terram. Omnes piſces maris mánui veſtræ tráditi ſunt ; & omne quod movétur & vivit, erit vobis in cibum : quaſi ólera viréntia trádidi vobis ómnia ; excépto quòd carnem cum ſánguine non comedétis. Sánguinem enim animárum veſtrárum requíram de manu cunctárum beſtiárum : & de manu hóminis, & de manu viri & fratris ejus, requíram ánimam hóminis. Quicúmque effúderit humánum ſánguinem, fundétur ſanguis illíus : ad imáginem quippe Dei factus eſt homo.

℟. Sunt, *pag.* 438.

Lectio ij. v. 8. *ad* 14.

HÆc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios ejus cum eo : Ecce ego ſtátuam pactum meum vobíſcum, & cum sémine veſtro poſt vos : & ad omnem ánimam vivéntem, quæ eſt vobíſcum, tam in volúcribus

quàm in juméntis, & pecúdibus terræ cunctis, quæ egréſſa ſunt de arca, & univérſis béſtiis terræ. Státuam pactum meum vobíſcum, & nequáquam ultra interficiétur omnis caro aquis dilúvii, neque erit deínceps dilúvium díſſipans terram. Dixítque Deus: Hoc eſt ſignum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem ánimam vivéntem, quæ eſt vobíſcum in generatiónes ſempitérnas: Arcum meum ponam in núbibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.

℟. Adónai, *pag.* 439.

Lectio iij. v. 14. *ad* 20.

CUmque obdúxero núbibus cœlum, apparébit Arcus meus in núbibus: & recordábor fœderis mei vobíſcum, & cum omni ánima vivénte quæ carnem végetat; & non erunt ultrà aquæ dilúvii ad deléndum univérſã carnem. Erítque Arcus in núbibus, & vidébo illum, & recordábor fœderis ſempitérni quod pactum eſt inter Deum & omnem ánimam vivéntem univérſæ carnis, quæ eſt ſuper terram. Dixítque Deus ad Noë: Hoc erit ſignum fœderis, quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram. Erant ergo filii Noë, qui egréſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Japheth: porrò Cham ipſe eſt pater Chánaan. Tres iſti filii ſunt Noë: & ab his diſſeminátum eſt omne genus hóminum ſuper univérſam terram.

℟. Quis, *pag.* 439.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *a.* In miſericórdia ſempitérna miſértus ſum tui, dixit redémptor tuus Dóminus; ſicut in diébus Noë, cui jurávi ne indúcerem aquas Noë ultrà ſupra terram. *Iſ.* 54. 8. 9.

CANON

Ex Concílio Venético.

Ann. 465. *Can.* 13.

ANte ómnia à Cléricis vitétur ebríetas, quæ ómnium vitiórum fomes ac nutrix eſt, nec quis poteſt líberum córporis ſui, ac mentis habére judícium, cùm captus vino à ſenſu probétur aliénus, & proclívis ad vítium mente labefáctâ ducátur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Gáleam ſalútis aſſúmite, & gládium ſpíritûs, quod eſt verbum Dei. *Epheſ.* 6. 17.

FERIA TERTIA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 9. *v.* 20. *ad finem.*

COepítque Noë vir agrícola exercére terram, & plantávit víneam. Bibénſque vinum inebriátus eſt, & nudátus in tabernáculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verénda ſcílicet patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus frátribus ſuis foràs. At verò Sem & Japheth pálliũ impoſuerunt

húmeris ſuis, & incedéntes retrórſum, operuérunt verénda patris ſui: faciéſque eórum averſæ erant, & patris virília non vidérunt. Evígilans autem Noë ex vino, cùm didicíſſet quæ fécerat ei filius ſuus minor, ait: Maledíctus Chánaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. Dixítque: Benedíctus Dóminus Deus Sem, ſit Chánaan ſervus ejus. Dilátet Deus Japheth, & hábitet in tabernáculis Sem, ſitque Chánaan ſervus ejus. Vixit autem Noë poſt dilúvium trecéntis quinquagínta annis. Et impleti ſunt omnes dies ejus nongentórum quinquagínta annórum: & mórtuus eſt.

℟. Gigántes, *pag.* 440.

Lectio ij. Cap. II. *v.* I. *ad* IO.

ERat autē terra lábii unius, & ſermonū eorúmdē. Cùmque proficiſceréntur de oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar, & habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum ſuum: Veníte, faciámus láteres, & coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro ſaxis, & bitúmen pro cæménto: & dixerunt: Veníte, faciámus nobis civitátem & turrim, cujus culmen pertíngat ad cœlum: & celebrémus nomen noſtrū ántequam dividámur in univérſas terras. Deſcéndit autem Dóminus, ut vidéret civitátem, & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce, unus eſt populus, & unum lábium ómnibus: cœperuntque hoc fácere, nec desiſtent à cogitatiónibus ſuis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, deſcendámus, & confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unuſquíſque vocem proximi ſui. Atque ita divíſit eos Dóminus ex illo loco in univérſas terras, & ceſſavérunt ædificáre civitátem. Et idcírco vocátum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confúſum eſt lábium univérſæ terræ: & inde diſpérſit eos Dóminus ſuper fáciem cunctárum regiónum.

℟. Injúſti, *pag.* 440.

Lectio iij. v. 27. *ad finem.*

HÆ ſunt generatiónes Thare: Thare génuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran génuit Lot. Mortuúſque eſt Aran ante Thare patrem ſuum, in terra nativitátis ſuæ in Ur Chaldæórum. Duxérūt autem Abram & Nachor uxóres: nomen uxóris Abram, Sáraï: & nomen uxóris Nachor, Melcha, fília Aran, patris Melchæ & patris Jeſchæ. Erat autem Sáraï ſterilis, nec habébat líberos. Tulit ítaque Thare Abrā filium ſuum, & Lot filium Aran, fílium filii ſui, & Sáraï nurum ſuam, uxórem Abram filii ſui, & edúxit eos de Ur Chaldæórum, ut irent in terram Chánaan; venerúntque uſque Haran, & habitavérunt ibi, & facti ſunt dies Thare ducentorū quin-

que annórum; & mórtuus eſt in Haran.

℟. Dixit, *pag.* 441.

Ad Benedict. *Ant. t.* I. *D.* Benedíctio patris firmat domos filiórum: glória hóminis ex honóre patris ſui. *Eccli.* 3. 11. 13.

CANON

Ex Concílio Cloveshoviénſi ſecúndo.

Ann. 747. *Can.* 21.

Eccleſiáſtici álios non cogant intemperánter bíbere, ſed pura ac ſobria ſint eórum convívia, non luxurióſa, neque delíciis, neque ſcurrilitátibus mixta.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Verbum Chriſti hábitet in vobis abundánter, in grátia cantántes in córdibus veſtris Deo. *Coloſſ.* 3. 16.

FERIA QUARTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 5.

Dixit Dóminus ad Abrā: Egrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, & benedícam tibi, & magnificábo nomen tuū, eríſque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi, & maledícam maledicéntibus tibi; atque in te benedicéntur univérſæ cognatiónes terræ. Egréſſus eſt ítaque Abram, ſicut præcéperat ei Dóminus, & ivit cum eo Lot: ſeptuagínta quinque annórum erat Abram cùm egrederétur de Haran. Tulítque Sáraï uxórem ſuam, & Lot fílium fratris ſui, univerſámque ſubſtántiam quam poſſéderant, & ánimas quas fécerant in Haran: & egréſſi ſunt ut irent in terram Chánaan.

℟. Sapiéntiam, *pag.* 441.

Lectio ij. v. 5. *ad* 10.

Cumque veniſſet in eam, pertransívit Abram terram uſque ad locum Sichem, uſque ad convállem illúſtrē: Chananæus autem tunc erat in terra. Appáruit autem Dóminus Abram, & dixit ei: Sémini tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei. Et inde tranſgrédiens ad montem, qui erat contra oriéntem Bethel, teténdit ibi tabernaculum ſuum, ab occidénte habens Bethel, & ab oriénte Haï: ædificávit quoque ibi altáre Dómino, & invocávit nomē ejus. Perrexítque Abram vadens, & ultrà progrédiens ad merídiem.

℟. Qui, *pag.* 442.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 7. *ad* 12.

Facta eſt rixa inter paſtóres gregum Abram & Lot. Eo autem témpore Chananæus, & Phereſæus habitábant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæſo, ſit júrgium inter me & te; & inter paſtóres meos & paſtóres tuos: fratres enim ſumus. Ecce univérſa terra coram te eſt: recéde à me,

obſecro : ſi ad ſiníſtram íeris, ego déxteram tenébo : ſi tu déxteram elégeris, ego ad ſiníſtram pergam. Elevátis ítaque Lot óculis, vidit omnem circa regiónem Jordánis, quæ univérſa irrigabátur, ántequam ſubvérteret Dóminus Sódomam & Gomórrham, ſicut paradíſus Dómini, & ſicut Ægyptus veniéntibus in Segor. Elegítque ſibi Lot regiónem circa Jordánem, & recéſſit ab Oriénte : diviſíque ſunt alterútrum à fratre ſuo.

℟. Sicut, *pag.* 442.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* In conſénſu nequítiæ cùm ſe natiónes contuliſſent, ſapiētia ſcivit juſtum, & conſervávit ſine queréla Deo. *Sap.* 10. 5.

CANON

Ex Canónibus qui Apoſtólici dicúntur.

Can. 53.

SI quis Cléricus in caupóna cómedens deprehénſus fúerit, ſegregétur; prætérquam ſi in público diverſório in via propter diverſitátem divérterit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Cùm accepiſsétis verbum audítûs Dei, accepíſtis illud, non ut verbum hóminum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidíſtis. 1. *Theſ.* 2. 13.

FERIA QUINTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 12. *ad finem.*

ABram habitávit in terra Chánaan : Lot verò morátus eſt in óppidis quæ erant circa Jordánem, & habitávit in Sódomis. Hómines autem Sodomítæ péſſimi erant, & peccatóres coram Dómino nimis. Dixítque Dóminus ad Abram, poſtquam divíſus eſt ab eo Lot : Leva óculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilónem & Merídiem; ad Oriéntem & Occidéntem. Omnem terram, quam cónſpicis, tibi dabo, & sémini tuo uſque in ſempitérnum. Faciámque ſemen tuum ſicut púlverem terræ. Si quis poteſt hóminum numeráre púlverem terræ, ſemèn quoque tuum numeráre póterit. Surge, & perámbula terram in longitúdine, & in latitúdine ſua : quia tibi datúrus ſum eam. Movens ígitur tabernáculum ſuum Abram, venit & habitávit juxta convállem Mambre, quæ eſt in Hebron : ædificavítque ibi altáre Dómino.

℟. Sunt, *pag.* 438.

Lectio ij. Cap. 14. *v.* 8. *ad* 13.

EGréſſi ſunt rex Sodomórum, & rex Gomórrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboím, necnon & rex Balæ, quæ eſt Segor : & direxérunt áciem contra eos in

valle Silvéſtri: ſcílicet advérſùs Chodorláhomor regem Elamitárum, & Thadal regẽ géntium, & Amraphel regem Sénnaar, & Arioch regem Ponti: quátuor reges ádvérsùs quinque. Vallis autem Silveſtris habébat púteos multos bitúminis. Itaque rex Sodomórum, & Gomórrhæ, terga vertérunt, ceciderúntque ibi: & qui remánſerant fugérunt ad montem. Tulérunt autem omnẽ ſubſtántiam Sodomórum & Gomórrhæ, & univérſa quæ ad cibum pértinent, & abiérunt: necnon & Lot & ſubſtántiam ejus, fílium fratris Abram, qui habitábat in Sódomis.

℟. Adónai, *pag.* 439.

Lectio iij. v. 14. *ad* 21.

QUod cùm audíſſet Abrã, captum vidélicet Lot fratrem ſuum, numerávit expéditos vernáculos ſuos trecéntos decem & octo; & perſecútus eſt uſque Dan. Et divíſis sóciis, írruit ſuper eos nocte: percuſsítque eos, & perſecútus eſt eos uſque Hoba, quæ eſt ad lævam Damáſci: reduxítque omnem ſubſtántiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtántia illíus, mulíeres quoque & pópulũ. Egréſſus eſt autem rex Sodomórum in occúrſum ejus, poſtquàm revérſus eſt à cæde Chodorláhomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ eſt vallis regis. At verò Melchíſedech rex Salem, próferens panem & vinum, erat enim ſacérdos Dei altíſſimi, benedíxit ei, & ait: Benedíctus Abram Deo excélſo qui creávit cœlum & terram: & benedíctus Deus excélſus, quo protegénte, hoſtes in mánibus tuis ſunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

℟. Quis, *pag.* 439.

Ad Benedict. *Ant. t.* 4. *a.* Intuémini quantus ſit hic, qui décimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habébat repromiſſiónes, benedíxit. *Hebr.* 7. 4. 6.

CANON

Ex Concílio Provinciáli Trevirénſi.

Anno 1238. *cui interfuit Rogerus Tullenſis Epiſcopus.*

OMnem negotiatiónem Clérici inhibémus beneficiátis, vel in ſacris Ordínibus conſtitútis. Tabérnas omníno Cléricis inhibémus, niſi in peregrinatióne, vel neceſſitátis causâ id fiat.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Voluntáriè génuit nos verbo veritátis, ut ſimus inítiũ áliquod creatúræ ejus. *Jac.* 1. 18.

FERIA SEXTA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 17. *v.* 1. *ad* 7.

POſtquã verò nonagínta & novem annórum eſſe cœperat (Abram) appáruit ei Dóminus; dixítque ad eum: Ego Deus omnípotẽs: ámbula coram me, & eſto perféctus. Ponámque fœdus meum inter me & te, & mul-

tiplicábo te veheménter nimis. Cécidit Abram pronus in fáciem. Dixítque ei Deus: Ego ſum, & pactum meum tecum, eríſque pater multárum géntium: nec ultrà vocábitur nomē tuū Abram: ſed appellâberis Abraham: quia patrem multárum géntium conſtítui te. Faciámque te créſcere vehementíſſimè, & ponam te in géntibus, regéſque ex te egrediéntur.

℟. Gigántes, *pag.* 440.

Lectio ij. v. 9. ad 15.

Dixit íterùm Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtódies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generatiónibus ſuis. Hoc eſt pactum meū quod obſervábitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidétur ex vobis omne maſculínum: & circumcidétis carnem præpútii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne maſculínum in generatiónibus veſtris, tam vernáculus quā emptítius circumcidétur, & quicúmque non fúerit de ſtirpe veſtra: erítque pactum meum in carne veſtra in fœdus ætérnum. Máſculus, cujus præpútii caro circumciſa non fuerit, delébitur ánima illa de pópulo ſuo; quia pactum meum írritum fecit.

℟. Injúſti, *pag.* 440.

Lectio iij. v. 15. ad 22.

Dixit quoque Deus ad Abraham; Saraï uxórem tuam non vocábis Sáraï, ſed Saram. Et benedícam ei, & ex illa dabo tibi fílium cui benedictúrus ſum, erítque in natiónes, & reges populórum oriéntur ex eo. Cécidit Abraham in fáciem ſuā, & riſit, dicens in corde ſuo: Putáſne centenário naſcétur fílius? & Sara nonagenária páriet? Dixítque ad Deum: Utinam Iſmael vivat coram te! Et ait Deus ad Abraham; Sara uxor tua páriet tibi fílium, vocabíſque nomen ejus Iſaac, & conſtítuam pactū meū illi in fœdus ſempitérnum, & sémini ejus poſt eum. Super Iſmael quoque exaudívi te: ecce, benedícam ei, & augébo, & multiplicábo eum valdè: duódecim duces generábit, & fáciam illum créſcere in gentem magnam. Pactum verò meum ſtátuam ad Iſaac, quem páriet tibi Sara témpore iſto in anno áltero.

℟. Dixit, *pag.* 441.

Ad Benedict. *Ant. t. 3. a.* Abraham pater eſt ómnium noſtrûm (ſicut ſcriptum eſt; Quia patrem multarum géntium póſui te) ante Deum cui crédidit. *Rom.* 4. 16. 17.

CANON.

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *Anno* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 22.

Hæc eſt in Dei Sacerdótibus vera diſcrétio, quâ nec per libertátē ſupérbi, nec per humilitátem remiſſi.

Ad Magnif. Ant. t. 8. g. Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc cháritas Dei perfécta eſt: & in hoc ſcimus quóniam in ipſo ſumus. 1. *Joan. 2. 5.*

SABBATO.

De Libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 19. v. 1. ad 6.

VEnérunt duo Angeli Sódomam véſperè, & ſedénte Lot in fóribus civitátis. Qui cùm vidiſſet eos, ſurréxit, & ivit óbviàm eis: adoravítque pronus in terram. Et dixit: Obſecro, dómini, declináte in domum púeri veſtri, & manéte ibi: laváte pedes veſtros, & manè proficiſcémini in viam veſtram. Qui dixérunt: Mínimè, ſed in platéa manébimus. Compulit illos óppidò ut diverterent ad eum: ingreſsíſque domum illíus fecit convívium, & coxit ázyma, & comedérunt. Priùs autem quàm irent cubitũ, viri civitátis vallavérunt domum illíus à púero uſque ad ſenem, omnis pópulus ſimul. Vocaverúntque Lot, & dixérunt ei: Ubi ſunt viri qui introiérunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoſcámus eos.

Lectio ij. v. 9. ad 17.

VImque faciébant Lot vehementiſſimè: jamque propè erat ut effringerent fores. Et ecce miſérunt manum viri, & introduxérunt ad ſe Lot, clauſerúntque óſtium. Et eos qui foris erãt, percuſsérunt cæcitáte à minimo uſque ad máximum, ita ut óſtium inveníre non poſſent. Dixérunt autem ad Lot: Habes hic quémpiam tuórum? génerum, aut filios, aut filias; omnes, qui tui ſunt, educ de urbe hac: delébimus enim locum iſtum, eò quòd increverit clamor eórum coram Dómino, qui miſit nos, ut perdámus illos. Egréſſus ítaque Lot, locútus eſt ad géneros ſuos, qui acceptúri erãt filias ejus, & dixit: Súrgite, & egredímini de loco iſto: quia delébit Dóminus civitátem hanc. Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui. Cùmque eſſet manè, cogébant eum Angeli, dicéntes: Surge, tolle uxórem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu páriter péreas in ſcélere civitátis. Diſſimulánte illo, apprehendérunt manum ejus, & manum uxóris, ac duárum filiárum ejus, eò quòd parceret Dóminus illi.

Lectio iij. v. 24. ad 30.

IGitur Dóminus pluit ſuper Sódomam, & Gomórrham ſulphur, & ignem à Dómino de cœlo: & ſubvértit civitátes has, & omnem circa regionem, univérſos habitatóres úrbium, & cuncta terræ viréntia. Reſpiciénſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtátuam ſalis. Abraham autem conſúrgens manè, ubi ſtéterat priùs cum Dómino, intúitus eſt Sódomam, & Gomórrham, &

univérſam terram regiónis illíus, vidítque aſcendéntem favíllam de terra quaſi fornácis fumum: cùm enim ſubvérteret Deus civitátes regiónis illíus, recordátus Abrahæ, liberávit Lot de ſubverſióne úrbium in quibus habitáverat.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *a.* Juſtum Lot à nefandórum luxurióſa converſatióne erípuit Deus: aſpéctu enim, & audítu juſtus erat. 2. *Petr.* 2. 7. 8.

CANON

Ex Concílio Aquiſgranénſi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 21.

SIt Rector diſcrétus in ſiléntio, útilis in verbo, ne aut tacénda próferat, aut proferénda reticéſcat.

AD VESPERAS.

Pſalmi & Antiphonæ ut in Pſalterio.

Capitulum. Eccli. 44. 20.

NOn eſt invéntus símilis Abraham in glória: qui conſervávit legem Excélſi, & fuit in teſtaménto cum illo.

Hymnus & Verſus, ut in Pſalterio.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Abraham in tentatióne invéntus eſt fidélis; & reputátum eſt ei ad juſtítiam. 1. *Mach.* 2. 52.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ, *Quæ eſt* 2. *Claß.*

AD OFFICIUM NOCT.

Omnia ut in Pſalterio, excepto quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 21. *v.* 1. *ad* 8.

VIſitávit autem Dóminus Saram ſicut promíſerat: & implévit quæ locútus eſt. Concepítque & péperit fílium in ſenectúte ſua, témpore quo prædíxerat ei Deus. Vocavítque Abraham nomen fílii ſui, quē génuit ei Sara, Iſaac: & circumcídit eum octávo die, ſicut præcéperat ei Deus, cùm centum eſſet annórum: hâc quippe ætáte patris, natus eſt Iſaac. Dixítque Sara: Riſum fecit mihi Deus: quicúmque audíerit, corridébit mihi. Rursúmque ait: Quis auditúrum créderet Abraham, quòd Sara lactáret fílium quem péperit ei jam ſeni?

℞. Elegíſti Abram, Dómine Deus, & eduxíſti eum de igne Chaldæórum, & poſuíſti nomen ejus Abraham: * Invenísti cor ejus fidéle coram te, & percuſsíſti cum eo fœdus. ℣. Crédidit Abraham: & reputátum eſt illi ad juſtítiam. * Invenísti. 2. *Eſdr.* 9. 7. 8. *Rom.* 4. 3.

Lectio ij. Cap. 22. *v.* 1. *ad* 6.

TEntávit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpóndit: Adſum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Iſaac, & vade in terram viſiónis: atque ibi ófferes eum in holocauſtum ſuper unum móntium

quem monſtrávero tibi. Igitur Abraham de nocte conſúrgens, ſtravit áſinum ſuum, ducens ſecum duos júvenes, & Iſaac fílium ſuum: cùmque concidíſſet ligna in holocáuſtum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul: dixítque ad púeros ſuos: Expectáte hîc cum áſino: ego & puer illuc uſque properántes, poſtquam adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocáuſti, & impóſuit ſuper Iſaac fílium ſuum: ipſe verò portábat in mánibus ignem & gládium.

℟. Abraham magnus pater multitúdinis géntium, & non eſt invéntus símilis illi in glória: in tentatióne invéntus eſt fidélis: * Ideò jurejurándo dedit illi glóriam in gente ſua, créſcere illum quaſi terræ cúmulum. ℣. In repromiſſióne Dei non hæſitávit diffidéntiâ, ſed confortátus eſt fide, dans glóriam Deo. * Ideò jurejurándo. *Eccli.* 44. 20. 21. 22. *Rom.* 4. 20.

Lectio iij. v. 8. ad 14.

PErgébant ergo páriter: & venérunt ad locum quem oſténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, & déſuper ligna compóſuit: cùmque alligáſſet Iſaac fílium ſuum, póſuit eum in altáre ſuper ſtruem lignórum. Extendítque manum, & arrípuit gládium, ut immoláret fílium ſuum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpōdit: Adſum. Dixítque ei: Non exténdas manum tuam ſuper púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi quòd times Deum, & non pepercíſti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos ſuos, vidítque poſt tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus, quem aſſúmens óbtulit holocáuſtum pro fílio.

℟. Mémores ſint, quia tentáti ſunt patres noſtri, ut probaréntur, ſi verè cólerent Deum ſuum, quómodo pater noſter Abraham tentátus eſt. * Et per multas tribulatiónes probátus, Dei amícus effectus eſt. ℣. Fide Abraham, cùm tentarétur, unigénitum offerébat, qui ſuſcéperat repromiſſiones. * Et per multas. Glória. * Et per multas. *Judith.* 8. 21. 22. *Hebr.* 11. 17.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro ſancti Auguſtíni Epíſcopi, de Civitáte Dei.

Lib. 16. *Cap.* 31. *&* 32.

Lectio iv.

NAtus eſt Abrahæ ſecúndùm promiſſiónem Dei de Sara fílius. Tētátur Abraham de immolándo dilectíſſimo fílio ipſo Iſaac, ut pia ejus obediéntia probarétur, ſæculis in notítiam perferén-

da, non Deo. Numquã ſanè créderet Abrahã, quod víctimis Deus delectarétur humánis; quamvis divíno intonánte præcépto obediéndum ſit, non diſputándum. Verúmtamen Abraham confeſtim filium, cum fuiſſet immolatus, reſurrectúrum credidiſſe laudándus eſt. . . Poſtrémò quia Iſaac occídi non oportébat, póſteaquam eſt pater ferire prohíbitus, quis erat ille áries quo immoláto implétum eſt ſignificatívo ſanguine ſacrifíciũ? Nempe quando vidit eum Abraham, córnibus in frútice tenebátur. Quis ergo illo figurabátur, niſi Jeſus; ántequam immolarétur, ſpinis Judaïcis coronátus? Sed divína per Angelum verba pótiùs audiámus. Per memetípſum jurávi, propter quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti fílio tuo dilécto propter me, niſi benedícens benedícam te: & benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ. Hoc modo eſt illa de vocatióne géntium in sémine Abrahæ, poſt holocauſtum, quo ſignificátus eſt Chriſtus, étiam juratióne Dei firmáta promiſſio.

℟. Ne díſſipes, Dómine, teſtaméntum tuum, neque áuferas miſericórdiam tuam à nobis, * Propter Abraham diléctum tuum. ℣. Adjuva nos, Dómine, miſértus noſtri. * Propter. . *Dan.* 3. 34. 35. *Marc.* 9. 21.

Lectio v. Cap. 36.

Accépit étiam Iſaac oráculum tale, quale pater ejus; quo oráculo ſic ſcriptum eſt: Státuam juraméntum meum, quod jurávi Abrahæ patri tuo; & multiplicábo ſemen tuum tamquam ſtellas cœli, & dabo sémini tuo omnem terram hanc, & benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ; pro eo quòd obaudívit Abraham pater tuus vocem meam. Iſte Patriarcha nec uxórem habuit áliam, nec áliquam concubínam; ſed poſteritáte duorum geminórum ex uno concúbitu procreatórum contentus fuit. Nec ideò tamen iſtum patri præférre debémus, quia iſte nullam fœminá præter cónjugem noverat. Erant enim procul dubio patérnæ fídei & obediéntiæ mérita potióra, in tantum ut propter illum dicat Deus, huic ſe fácere bona quæ facit, ut novérimus, non ex bonis ſíngulis inter ſe hómines comparare; ſed in unoquóque conſiderémus univérſa. Fíeri enim poteſt, ut hábeat áliquid in vita & in móribus quiſpiam, quo ſúperat álium, idque ſit longè præſtabilius, quàm eſt illud, unde ab álio ſuperátur.

℟. Ipſe Dóminus Deus noſter: in univérſa terra judícia ejus. * Memor fuit in ſæculum teſtaménti ſui, quod mandávit in mille genera-

tiónes ; quod diſpóſuit ad Abraham : & juraménti ſui ad Iſaac. ℣. Promiſſiónis enim verbum hoc eſt : Secúndùm hoc tempus véniam, & erit Saræ filius. * Memor. *Pſ.* 104. 7. 8. 9. *Rom.* 9. 9.

Lectio vj. Cap. 37. *&* 38.

DUo Iſaac filii, Eſaü & Jacob, páriter creſcunt. Primátus majóris transfúnditur in minórem ex pacto & plácito inter illos... Seneſcit Iſaac, ejúſque óculis per ſenéctam viſus aufértur : vult benedícere filium majórem, & pro illo néſciens benedícit minórem. Mittitur Jacob à paréntibus in Meſopotámiam, ut ibi ducat uxórem. Patris mitténtis verba hæc ſunt : Deus meus benedícat te, & áugeat te, & multíplicet te ; & eris in congregatiónes géntium ; &, Det tibi benedictiónem Abrahæ patris tui, tibi, & sémini tuo poſt te. Hîc jam intellígimus ſegregátum ſemen Jacob ab illo sémine Iſaac, quod factum eſt per Eſaü. Quando enim dictum eſt : In Iſaac vocábitur tibi ſemen, pértinens útique ad Civitátem Dei ; ſeparátum eſt inde áliud ſemen Abrahæ, quod erat in ancillæ filio. Sed adhuc erat ambíguum de duóbus filiis Iſaac, an ad utrúmque, an ad unum eórum illa benedíctio pertinéret. Quod nunc declarátum eſt, cùm prophéticè à patre benedícitur Jacob, & dícitur ei : Et eris in congregatiónes géntium, &, Det tibi benedictiónē Abrahæ patris tui.

℟. Benedictiónem ómniũ géntium dedit Iſaac Dóminus, * Et teſtaméntum confirmávit ſuper caput Jacob : agnóvit eum in benedictiónibus ſuis, & dedit illi hæreditátem, & divíſit illi partem in tríbubus duódecim. ℣. Ex vocánte dictum eſt : Jacob diléxi. * Et teſtaméntum. Glória. Et teſtaméntum. *Eccli.* 44. 25. 26. *Rom.* 9. 12. 13.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 18. 31.

IN illo témpore ; Aſſúmpſit Jeſus duódecim, & ait illis : Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & conſummabúntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Fílio hóminis. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 2. *in Evang. hab. Dominic. Quinquageſimæ. n.* 1.

REdémptor noſter, prævidens ex paſſióne ſua diſcipulórum ánimos perturbándos, eis longè ante & ejúſdem paſſiónis pœnam, & reſurrectiónis ſuæ glóriam prædíxit : ut, cùm eum moriéntem, ſicut prædictum eſt, cérnerent, étiam reſurrectúrum non dubitárent. Sed quia carnáles adhuc diſcípuli nullo modo valébant

℟. br. Revela oculos meos, & conſiderábo * Mirabília de lege tua. Revéla. ℣. Incola ego ſum in terra : non abſcóndas à me mandáta tua. * Mirabília. Glória. Revéla. Pſ. 118. 18. 19.

℣. Fáciem tuam illúmina ſuper ſervum tuum. ℟. Et doce me juſtificatiónes tuas. Pſ. 118. 135.

AD NONAM.

Capitulum. Iſa. 29. 18. 19.

De ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt ; & addent mites in Dómino lætítiam, & páuperes hómines in ſancto Iſrael exultábunt.

℟. br. Benedíctus Deus, * Qui non amóvit oratiónem meam. Benedíctus. ℣. Et miſericórdiam ſuam à me;* Qui non. Glória. Benedíctus. Pſ. 65. 20.

℣. Dóminus illuminátio mea, ℟. Et ſalus mea. Pſ. 26. 1.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. a. Miniſtrate in fide veſtra virtútem, abſtinéntiam, pietátem : cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans. 2. Pet. 1. 5. 6. 9.

Ant. t. 2. D. Non ambulétis ſicut & gentes ámbulant in vanitate ſenſûs ſui, ténebris obſcurátum habéntes intelléctum. Eph. 4. 17. 18.

Ant. t. 3. a. Deus det vobis illuminátos óculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocatiónis ejus. Eph. 1. 17. 18.

Ant. t. 5. a. Ténebræ tranſiérunt, & verum lumen jam lucet, quóniam cognovíſtis eum, qui ab inítio eſt. 1. Joan. 2. 8. 13.

Ant. t. 8. c. Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, ipſe illúxit in córdibus noſtris. 2. Cor. 4. 6.

Capitulum. Coloſſ. 1. 12. 13.

Dignos nos fecit in partem ſortis ſanctórum in lúmine ; qui erípuit nos de poteſtáte tenebrárum, & tránſtulit in regnum filii dilectiónis ſuæ.

Hymnus & Verſus, ut in Pſalterio.

Ad Magnif. Ant. t. 1. a. Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & conſummabúntur ómnia quæ ſcripta ſunt per Prophétas de Filio hóminis. Luc. 18. 31.

Oratio ut ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 25. v. 19. ad 26.

Hæ ſunt generationes Iſaac filii Abraham : Abraham genuit Iſaac : qui cùm quadragínta eſſet annórum, duxit uxórem Rebéccam filiam Bathuélis Syri de Meſopotámia, ſorórem Laban. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis : qui exaudívit eum, & dedit concéptum Rebéccæ. Sed collidebántur in útero ejus párvuli, quæ ait : Si ſic mihi futúrum erat, quid necéſſe fuit con-

eſpere? Perrexítque ut conſúleret Dóminum. Qui reſpóndens, ait: Duæ gentes ſunt in útero tuo, & duo pópuli ex ventre tuo dividéntur, populúſque pópulum ſuperabit, & major sérviet minóri. Jam tempus pariéndi advénerat, & ecce gémini in útero ejus repérti ſunt. Qui prior egréſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus; vocatúmque eſt nomen ejus Eſaü. Prótinus alter egrédiens, plantam fratris tenébat manu: & idcirco appellávit eum Jacob.

℟. Elegiſti, *pag.* 452.

Lectio ij. v. 26. *ad finem.*

SExagenárius erat Iſaac quando nati ſunt ei párvuli. Quibus adúltis, factus eſt Eſaü vir gnarus venandi, & homo agrícola: Jacob autem vir ſimplex habitábat in tabernáculis. Iſaac amabat Eſaü, eò quòd de venatiónibus illius veſcerétur: & Rebécca diligébat Jacob. Coxit autem Jacob pulméntum: ad quem cùm veniſſet Eſaü de agro laſſus, ait: Da mihi de coctióne hac rufa, quia óppidò laſſus ſum. Quam ob cauſam vocátum eſt nomen ejus Edom. Cui dixit Jacob: Vende mihi primogénita tua. Ille reſpóndit: En mórior, quid mihi próderunt primogénita? Ait Jacob: Jura ergo mihi. Jurávit ei Eſaü, & véndidit primogénita. Et ſic accépto pane & lentis edúlio, comédit, & bibit, & ábiit; parvipéndens quòd primogénita vendidiſſet.

℟. Abraham, *pag.* 453.

Lectio iij. Cap. 26. *v.* 1. *ad* 6.

ORtâ autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitátem quæ acciderat in diébus Abraham, ábiit Iſaac ad Abímelech regem Palæſtinórum in Geraræ. Apparuítque ei Dóminus, & ait: Ne deſcéndas in Ægyptum, ſed quiéſce in terra, quam díxero tibi. Et peregrináre in ea, eróque tecum, & benedícam tibi: tibi enim & sémini tuo dabo univérſas regiónes has, cómplens juraméntum quod ſpopóndi Abraham patri tuo. Et multiplicábo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, dabóque póſteris tuis univérſas regiónes has: & Benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedíerit Abrahã voci meæ, & cuſtodíerit præcépta, & mandata mea, & cæremónias legéſque ſervàverit.

℟. Mémores, *pag.* 453.

Ad Benedict. Ant. r. 2. 5.

In Iſaac eódem modo fecit propter Abraham patrem ejus: benedictionem ómniũ géntium dedit illi Dóminus. *Eccli.* 44. 24. 25.

C A N O N

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1579. *Part.* 3. *de vita & honeſtate Clericorum.*

ILlud unuſquiſque Clericus ſæpè répetat, ſe non ad inértiam, atque ignaviã

ſed ad ſpirituális, & eccleſiáſticæ milítiæ labóres vocátum eſſe.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. à.* Surge, qui dormis, & exúrge à mórtuis, & illuminábit te Chriſtus. *Eph. 5. 14.*

FERIA TERTIA.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 27. v. 6. ad 19.

DIxit (Rebécca) filio ſuo Jacob; Audívi patrem tuum loquéntem cum Eſaü fratre tuo, & dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, & fac cibos ut cómedam, & benedícam tibi coram Dómino ántequã móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiéſce consíliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos óptimos, ut fáciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libénter veſcitur: quas cùm intúleris, & coméderit, benedícat tibi priúſquam moriátur. Cui ille reſpóndit: Noſti quòd Eſaü frater meus homo pilóſus ſit, & ego lenis: ſi attrectáverit me pater meus, & ſénſerit, tímeo ne putet me ſibi voluíſſe illúdere, & indúcam ſuper me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater: In me ſit, ait, iſta maledíctio, fili mi: tantùm audi vocem meã; & pergens affer quæ dixi. Abiit, & áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, ſicut velle nóverat patrem illíus. Et véſtibus Eſaü valdè bonis, quas apud ſe habébat domi, índuit eum: pelliculáſque hœdórum circúmdedit mánibus; & colli nuda protéxit. Dedítque pulméntum, & panes quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit: Pater mi? At ille reſpóndit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Jacob: Ego ſum primogénitus tuus Eſaü.

℟. Ne diſſipes, *pag. 454.*

Lectio ij. v. 21. ad 30.

DIxítque Iſaac: Accéde huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu ſis filius meus Eſaü, an non. Accéſſit ille ad patrem, & palpáto eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſaü. Et non cognóvit eum, quia pilóſæ manus ſimilitúdinem majóris expréſſerant. Benedícens ergo illi, ait: Tu es fílius meus Eſaü? Reſpóndit: Ego ſum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedícat tibi ánima mea. Quos cùm oblátos comedíſſet, óbtulit ei étiam vinum. Quo hauſto, dixit ad eum: Accéde ad me, & da mihi óſculum, fili mi. Accéſſit, & oſculátus eſt eum. Statímque ut ſenſit veſtimẽtórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedíxit Dñus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguédine terræ abundántiam fruménti & vini. Et sérviant tibi pópuli, & adórent te tribus: eſto dóminus fratrum tuórum, & in-

curvéntur ante te filii matris tuæ: qui maledíxerit tibi, ſit ille maledíctus; & qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur.

℟. Ipſe. *pag.* 454.

Lectio iij. Cap. 28. *v.* 10. *ad* 16.

Egréſſus Jacob de Berſábee, pergébat Haran. Cúmque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requiéſcere poſt Solis occúbitum, tulit de lapídibus qui jacébant, & ſuppónens cápiti ſuo, dormívit in eódem loco. Vidítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacúmen illíus tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendéntes & deſcendéntes per eam, & Dóminum innixum ſcalæ, dicéntem ſibi: Ego ſum Dóminus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: terram, in qua dormis, tibi dabo & sémini tuo. Erítque ſemen tuum quaſi pulvis terræ: dilatáberis ad Occidéntem, & Oriéntem, & Septentriónem, & Merídiem: & Benedicéntur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quòcúmque perréxeris, & reducam te in terram hanc; nec dimíttam niſi compléverò univérſa quæ dixi.

℟. Benedictiónem, *pag.* 455.

Ad Bened. *Ant.* 1. *D.* Jacob ſupplantávit fratrem ſuum: in Bethel invénit Deum; & ibi Dóminus locútus eſt nobíſcum. *Oſee.* 12. 3. 4.

CANON

Ex Concílio Carthaginénſi quarto.

Ann. 398. *Cap.* 60. *&* 62.

Cenſet ſancta Synodus Cléricum ſcúrrilem & verbis túrpibus joculárem ab officio retrahéndum. Cléricum inter épulas cantántem, excommunicándum.

Ad Magnif. *Ant.* 8. *g.* Probántes quid ſit beneplácitum Deo, nolíte communicáre opéribus infructuóſis tenebrárum. *Eph.* 5. 10. 11.

FERIA QUARTA.

CINERUM,

In capite jejunii.

Quodcumque Feſtum Duplex, vel Semiduplex occurrat hâc die transfertur: de Simplici fit tantùm commemoratio, quia ultima Lectio eſt ſemper de Evangelio: in hac & ſequentibus Feriis, uſque ad Veſperas Sabbati, Hymni, Capitula, ℣. & alia dicentur ut in Pſalterio per annum, exceptis iis quæ propria aſſignantur in qualibet Feria: Preces flexis genibus.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 37. *v.* 2. *ad* 9.

Joſeph cùm sédecim eſſet annórum, paſcébat gregem cum frátribus ſuis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxórum patris ſui: accuſavítque fratres ſuos apud patrem crímine péſſimo. Iſraël autem diligébat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in

ſenectúte genuíſſet eū: fecítque ei túnicā polymítā. Vidéntes autem fratres ejus quòd à patre plus cunctis fíliis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacíficè loqui. Accidit quoque ut viſum ſómnium reférret frátribus ſuis: quæ cauſa majóris ódii ſeminárium fuit. Dixítque ad eos: Audíte ſómnium meum quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro: & quaſi conſurgere manípulum meū, & ſtare, veſtróſque manípulos circumſtantes adoráre manípulum meum. Reſpondérunt fratres ejus: Numquid rex noſter eris? aut ſubjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniórum atque ſermónum, invídiæ & odii fómitem miniſtrávit.

℟. Omnes mórimur, & quaſi aquæ dilábimur in terram, quæ non revertúntur: * Nec vult Deus períre ánimam. ℣. Dóminus patiénter agit, nolens áliquos períre, ſed omnes ad pœniténtiam revérti. * Nec vult. 2. *Reg.* 14. 14. 2. *Petr.* 3. 9.

Lectio iij. v. 12. *ad* 21.

CUmque fratres illíus in paſcéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Iſrael: Fratres tui paſcunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondénte, Præſto ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cuncta próſpera ſint erga fratres tuos, & pécora: & renúntia mihi quid agátur. Miſſus de valle Hebron, venit in Sichem: invenítque eum vir errántem in agro, & interrogávit quid quæreret. At ille reſpondit: Fratres meos quæro, índica mihi ubi paſcant greges. Dixítque ei vir: Receſſérunt de loco iſto: audívi autem eos dicéntes: Eámus in Dothain. Perréxit ergo Joſeph poſt fratres ſuos, & invénit eos in Dóthain. Qui cum vidíſſent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere: & mútuo loquebántur: Ecce ſomniátor venit: veníte, occidámus eum, & mittámus in ciſtérnam véterem: dicemúſque, Fera péſſima devorávit eum: & tunc apparébit quid illi proſint ſómnia ſua.

℟. Cánite tubâ in Sion, * Sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, ſanctificáte eccléſiam. ℣. Emundáte manus, peccatores; & purificáte corda, & lugéte, & ploráte: * Sanctificáte *Joel.* 2. 15. 16. *Jacob.* 4. 8. 9.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 6. 16.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Cum jejunátis, nolíte fieri ſicut hypócritæ triſtes. Et reliqua.

Homília ſancti Máximi Epíſcopi.

In die Cinerum.

DOminus noſter virtútum ſpiritualium retributor, ſanctam nobis perfectámque dedit régulam jejunándi, dicens: Cum jejunátis, non éritis ſicut hypócritæ triſtes. Non enim Deo jejúnat, ſed homínibus, quicúmque oſtentatióne jejunii ſui glóriam requírit humánam. Non vult enim diſciplínæ cœléſtis magíſter irreligiósè agi, quod fíeri pro religióne præcipitur. Si enim verè mœſtus & triſtis es quia jejúnas, nullam tibi, ut ingrátus, grátiam reſervábis, quia quamvis opus fácias bonum, pravitátem tamen degéneris animi, invítus operáris. Si autem pro quadam ſanctitatis imágine triſtítiam símulas, omnem fructum promiſſiónis divínæ, obſéquii tui oſtentátor, amíttes. Ináne eſt quod cum ſæculo prætereúnte déficiens, ad vitam non tranſit ætérnā; nec póſſumus, dilectiſſimi, pro uno eodemque ópere & laudem mundi adulantis expétere, & præmium vitæ cœléſtis acquírere... Et ideò, fratres, inoffénſam & Deo placéntem in ómnibus tenére mensúram: ſit apud vos purum jejúnium, ſimplex miſericórdia, omníſque ſincéra devótio, ut ſanctam vitam veſtram, evangélicâ inſtitutióne perféctâ, plena Dei noſtri retribútio proſequátur.

℟. Convertímini ad me, dicit Dominus, in toto corde veſtro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu. Et * Scíndite corda veſtra, & non veſtiménta veſtra. ℣. Nolite fíeri ſicut hypócritæ triſtes: extérminant enim facies ſuas, ut appáreant homínibus jejunántes * Scindite. Glória. Scindite. *Joel.* 2. 12. 13. *Matth.* 6. 16.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Numquid tale eſt jejúnium, quod elegi, ſaccum & cinerem ſternere? Nonne hoc eſt magis jejúnium, quod elégi? Diſſolve colligationes impietátis. *Iſ.* 58. 5. 6.

Oratio.

PRæſta, Dómine, fidélibus tuis, ut jejuniórum veneránda ſolémnia, & cóngruâ pietáte ſuſcípiant, & ſecúrâ devotióne percúrrant; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Narbonénſi. *An.* 1609. *Cap.* 10. *de obſerv. jejunii.*

CUm Quadrageſimále jejúnium à traditione Apoſtolórum habeat Eccléſia, illud ſanctè à fidélibus obſervándum eſt: nam jejúniis ſiccátur vitiórum ſentína, marcet petulántia, languet concupiſcéntia, & fugitivæ ábeunt voluptátes.

Ad Magnif. *Ant t.* 3. *a.* Theſaurizate vobis theſáuros in cœlo; ubi neque æ-

rúgo, neque tínea demolítur. *Matth.* 6. 20.

Oratio.

INclinántes ſe, Dómine, majeſtáti tuæ, propítius intuére: ut qui ſancta jejúnia contríti ſuſcípiunt, ad feſta ventúra cœléſtibus læti pervéniant auxíliis; Per, &c.

FERIA QUINTA.
POST CINERES.

De libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 37. v. 26. ad 35.

DIxit Judas frátribus ſuis: Quid nobis prodeſt ſi occidérimus fratrem noſtrum, & celavérimus ſánguinem ipsíus? Mélius eſt ut venumdétur Iſmaelítis, & manus noſtræ non polluántur: frater enim & caro noſtra eſt. Acquievérunt fratres ſermónibus illíus. Et prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahéntes eum de ciſtérna, vendidérūt eum Iſmaelítis, vigínti argénteis: qui duxérunt eum in Ægyptum. Reverſúſque Ruben ad ciſtérnam non invénit púerum: & ſciſſis véſtibus pergens ad fratres ſuos, ait: Puer non compáret, & ego quò ibo? Tulérunt autem túnicam ejus, & in ſánguine hædi quem occíderant tinxérunt: mitténtes qui ferrent ad patrem, & dícerent: Hanc invénimus; vide utrùm túnica fílii tui ſit, an non. Quam cùm agnovíſſet pater, ait: Túnica fílii mei eſt, fera péſſima comédit eum, béſtia devorávit Joſeph. Sciſſíſque véſtibus, indútus eſt cilício lugens fílium ſuum multo témpore.

℟. Operiántur ſaccis hómines, & clament ad Dóminum in fortitúdine, * Et convertátur vir à via ſua mala. ℣. In ſapiéntia ambuláte, tempus rediméntes. * Et convertátur. *Jonæ.* 3. 8. *Coloſſ.* 4. 5.

Lectio ij. Cap. 39. v. 1. ad 10.

IGitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitûs, vir Ægyptius, de manu Iſmaelitárum, à quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis próſpere agens: habitavítque in domo dómini ſui, qui óptimè nóverat Dóminum eſſe cum eo, & ómnia quæ géreret, ab eo dírigi in manus illíus. Invenítque Joſeph grátiam coram dómino ſuo, & miniſtrábat ei, à quo præpóſitus ómnibus, gubernábat créditam ſibi domum, & univérſa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægyptii propter Joſeph, & multiplicávit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus ſubſtántiam: nec quidquam áliud nóverat, niſi panem quo veſcebátur. Erat autem Joſeph pulchrâ fácie, & decórus aſpéctu. Poſt multos ítaque dies injécit dómina ſua óculos ſuos in Joſeph, & ait: Dormi mecum. Qui nequáquam

quam acquiéſcens óperi nefário, dixit ad eam: Ecce dóminus meus, omnibus mihi tráditis, ignórat quid hábeat in domo ſua: nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtáte, vel non tradíderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quómodo ergo poſſum hoc malum fácere, & peccáre in Deum meum?

℟. Quiéſcite ágere pervérſe, diſcite benefácere, & * Veníte, argúite me, dicit Dóminus: ſi fúerint peccáta veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabúntur. ℣. Edocti dépónere véterem hóminem, qui corrúmpitur ſecúndum deſidéria erróris, renovámini ſpíritu mentis veſtræ. * Veníte. *Iſ.* 1. 16. 17. 18. *Eph.* 4. 21. 22. 23.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio iij. Cap. 8. 5.

IN illo tempore: Cum introíſſet Jeſus Caphárnaum, accéſſit ad eum Centúrio rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, & male torquétur. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

Serm. 62 de verb. Evang.

AUdívimus, cum Evangélium legerétur, fidem noſtram in humilitáte laudári. Ad domum quippe Centuriónis cum ſe promítteret Dóminus Jeſus itúrum, ut púerum ejus ſanáret, ille reſpóndit: Non ſum dignus ut ſub tectum meum intres; ſed tantùm dic verbum, & ſanabitur. Dicéndo ſe indígnum, præſtitit dignum, non in cujus paríetes, ſed in cujus cor Chriſtus intráret. Neque hoc díceret cum tanta fide & humilitáte, niſi illum quem timébat intráre in domum ſuam, corde geſtáret; nam non erat magna felícitas, ſi Dóminus Jeſus intráret in paríetes ejus, & non eſſet in péctore ejus.

℟. Reſpóndens Centúrio dixit: Dómine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed * Tantùm dic verbo, & † Sanábitur puer meus. ℣. Dómine Deus, tu feciſti cœlum & terram: non erit tibi difficile omne verbum. * Tantum. Glória. † Sanábitur. *Matth.* 8. 8. *Jerem.* 32. 17.

Ad Benedict. Ant. t. 1. *D.* Audiens Jeſus mirátus eſt, & ſequéntibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël. *Matth.* 8. 10.

Oratio.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicántis propítius réſpice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, avérte; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Toletáno octávo.

An. 658. *Can.* 9.

QUiſquis abſque inevitábili neceſſitáte, abſque fragilitátis evidénti languóre, ſeu étiam ætatis impoſſibilitáte, diébus Quadragéſimæ eſum cárnium præſúmpſerit attentáre, non ſolùm reus erit reſurrectiónis Domínicæ, verùm étiam aliénus ab ipsíus diéi ſancta communióne.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *D.* Multi ab Oriénte & Occidénte vénient, & recúmbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlórum. *Matth.* 8. 11.

Oratio.

PArce, Dñe, parce pópulo tuo; ut dignis flagellatiónibus caſtigátus, in tuâ miſeratióne reſpíret; Per Dóminum, &c.

FERIA SEXTA.

POST CINERES.

De Libro Géneſis.

Lectio j. Cap. 42. *v.* 1. *ad* 12.

AUdiens autem Jacob quòd aliménta venderéntur in Ægypto, dixit fíliis ſuis: Quare neglígitis? audívi quod tríticum venumdétur in Ægypto: deſcéndite, & émite nobis neceſſária, ut poſſímus vívere, & non conſumámur inópiâ. Deſcendéntes ígitur fratres Joſeph decem, ut émerent fruménta in Ægypto, Bénjamin domi retento à Jacob, qui dixerat frátribus ejus: Ne fortè in itínere quidquam patiátur mali: ingréſſi ſunt terram Ægypti cum áliis qui pergébant ad emendum. Erat autem fames in terra Chánaan. Et Joſeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum fruménta pópulis vendebántur. Cùmque adoráſſent eum fratres ſui, & agnovíſſet eos, quaſi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde veníſtis? Qui reſpondérunt: De terra Chánaan, ut emámus víctui neceſſária. Et tamen fratres ipſe cognóſcens, non eſt cógnitus ab eis. Recordatúſque ſomniórum, quæ aliquándo víderat, ait ad eos: Exploratóres eſtis: ut videátis infirmióra terræ veníſtis. Qui dixérunt: Non eſt ita, dómine, ſed ſervi tui venérunt ut émerent cibos. Omnes fílii uníus viri ſumus: pacífici vénimus, nec quidquam fámuli tui machinántur mali.

℟. Si pœniténtiam non egérimus, * Incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. ℣. Scimus qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis. * Incidémus. *Eccli.* 2. 22. *Hebr.* 10. 30. 31.

Lectio ij. Cap. 45. *v.* 1. *ad* 12.

NOn ſe póterat ultrà cohibére Joſeph multis coram aſtántibus: unde præcépit ut egrederéntur cuncti foràs, & nullus intereſſet

altiénus agnitióni mútuæ. Elevavítque vocem cum fletu: quam audiérunt Ægyptii, omníſque domus Pharaónis. Et dixit frátribus ſuis: Ego ſum Joſeph: adhuc pater meus vivit? Non póterant reſpondére fratres nímio terróre perterríti. Ad quos ille cleménter: Accédite, inquit, ad me. Et cùm acceſſíſſent propè, Ego ſum, ait, Joſeph, frater veſter, quem vendidíſtis in Ægyptum. Nolíte pavére, neque vobis dúrum eſſe videátur quòd vendidíſtis me in his regiónibus: pro ſalúte enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Biénnium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arári póterit, nec meti. Præmiſítque me Deus ut reſervémini ſuper terram, & eſcas ad vivéndum habére poſſitis. Non veſtro consílio, ſed Dei voluntáte huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaónis, & dóminum univérſæ domûs ejus, ac príncipem in omni terra Ægypti. Feſtináte, & aſcéndite ad patrem meum, & dicétis ei: Hæc mandat fílius tuus Joſeph: Deus fecit me dóminum univérſæ terræ Ægypti: deſcénde ad me, ne moréris; & habitábis in terra Geſſen: eríſque juxta me, tu, & fílii tui, & fílii filiórum tuórum, oves tuæ, & arménta tua, & univérſa quæ póſſides. Ibíque te paſcam (adhuc enim quinque anni resídui ſunt famis) ne & tu péreas, & domus tua, & ómnia quæ poſſides.

℟. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? * Quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempitérnis? ℣. Fácite fructum dignum pœniténtiæ: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. * Quis habitábit. *Iſ.* 33. 14. *Matth.* 3. 8. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 5. 43.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Audíſtis, quia dictum eſt: Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícũ tuum: Ego autem, dico vobis: Dilígite inimícos veſtros. & reliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. j. in Matth. Cap. 6.

EGo autem dico vobis: Dilígite inimícos veſtros; benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei, imbecillitáte ſuâ, non Sanctórum víribus æſtimántes, putant eſſe impoſſibília quæ præcépta ſunt: & dicunt ſufficere virtútibus, non odíſſe inimícos: cæterum dilígere, plus præcipi quàm humána natúra patiátur. Sciéndum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibília præcípere, ſed

perfécta, quæ fecit David in Saül, & in Abſalom. Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus eſt: & Paulus anathéma cupit eſſe pro perſecutóribus ſuis. Hæc autem Jeſus & dócuit & fecit, dicens: Pater, ignóſce illis.

℟. Si quis díxerit quóniam díligo Deum, & fratrem ſuum óderit, mendax eſt. * Hoc mandátum habémus à Deo; ut qui díligit Deum, díligat & fratrem ſuum. ℣. Odium ſuſcitat rixas: & univérſa delícta óperit cháritas. * Hoc. Glória. * Hoc. 1. *Joan.* 4. 20. 21. *Prov.* 10. 12.

Ad Benedict. *Ant.* 1. 2. D. Díligite inimícos veſtros; benefácite his qui odérunt vos: & oráte pro perſequéntibus & calumniántibus vos; ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt. *Matth.* 5. 44. 45.

Orátio.

INchoáta jejúnia, quæſumus, Dómine, benígno favóre proſéquere: ut obſervántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam ſincéris exercére valeámus; Per Dominum, &c.

C A N O N

Ex Concilio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *Par.* 2. *Tit.* 7. *de Jejun.*

EX divinárum litterárum ſenténtia, parum hómini prodeſt ſe per jejúnium temperáſſe, ſi animus ſit in peccátis perſevérans; ideóque fidéles in jejúnio præcipuè ſtúdeant, ut, dum caro ab aliméntis ábſtinet, mens páriter à culpa jejúnet: omniſque in Dei laudibus, eleemóſinis, aliiſque piis officiis occupéntur.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 8. g. Eſtóte perfecti, ſicut & Pater veſter cœléſtis perféctus eſt. *Matth.* 5. 48.

Orátio

TUére, Dómine, pópulum tuum; & ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia ei nulla nocébit advérſitas, ſi nulla ei dominétur iníquitas; Per, &c.

S A B B A T O
P O S T C I N E R E S.

De libro Genéſis.

Lectio 1. *Cap.* 46. *v.* 1. *ad* 9.

PRoféctus Iſraël cum ómnibus quæ habébat, venit ad púteum juraménti. Et mactátis ibi víctimis Deo patris ſui Iſaac, audívit eum per viſiónem noctis vocántem ſe, & dicéntem ſibi: Jacob, Jacob. Cui reſpóndit: Ecce adſum. Ait illi Deus Ego ſum fortíſſimus Deus patris tui: noli timére; deſcénde in Ægyptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego deſcéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem. Joſeph quoque ponet manus ſuas ſuper óculos tuos. Surréxit autem Jacob à púteo juraménti: tulerúntque eum filii cum párvulis & uxóribus ſuis in

plauſtris quæ míſerat Pharao ad portándum ſenem, & ómnia quæ poſſédérat in terra Chánaan: venítque in Ægyptum cum omni ſémine ſuo, filii ejus, & nepótes, fíliæ, & cuncta ſimul progénies.

℟. Non tardes convérti ad Dóminum, & ne dífferas de die in diem. * Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ diſpérdet te. ℣. Dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. * Súbitò enim. *Eccli.* 5. 8. 9. 1. *Theſ.* 5. 2.

Lectio ij. Cap. 49. *v.* 29. *ad finem, & Cap.* 50. *v.* 1. *ad.* 7.

PRæcépit (Jacob fíliis ſuis) dicens: Ego cóngregor ad pópulum meum: ſepelíte me cum pátribus meis in ſpelúnca dúplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chánaan, quam emit Abraham cũ agro ab Ephron Hethæo, in poſſeſſiónem ſepúlchri. Ibi ſepeliérunt eũ, & Saram uxórem ejus: ibi ſepúltus eſt Iſaac cum Rebécca cónjuge ſua: ibi & Lia cóndita jacet. Finitíſque mandátis quibus fílios inſtruébat, collégit pedes ſuos ſuper léctulum, & óbiit: appoſitúſque eſt ad pópulum ſuum. Quod cernens Joſeph, ruit ſuper fáciem patris flens & deóſculans eum. Præcepítque ſervis ſuis médicis ut aromátibus condírent patrem. Quibus juſſa expléntibus, tranſiérunt quadragínta dies: iſte quippe mos erat cadáverum condítórum: flevítque eum Ægyptus ſeptuagínta diebus. Et expléto planctûs témpore, locútus eſt Joſeph ad famíliam Pharaónis: Si invéni grátiam in conſpéctu veſtro, loquímini in áuribus Pharaónis: eò quòd pater meus adjuráverit me, dicens: En mórior: in ſepúlchro meo quod fodi mihi in terra Chánaan, ſepélies me. Aſcéndam ígitur; & ſepéliam patrem meum, ac revértar. Dixítque ei Pharao: Aſcénde, & ſépeli patrem tuum ſicut adjurátus es.

℟. Státue tibi ſpéculam: pone tibi amaritúdines: * Dírige cor tuum in viam rectam, in qua ambulâſti. ℣. Memor eſto unde excíderis; & age pœniténtiam, & prima ópera fac. * Dírige cor tuum. *Jerem.* 31. 21. *Apoc.* 2. 5.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 6. 46.

IN illo témpore, Abiit Jeſus in montem oráre. Et cùm ſerò eſſet, erat navis in médio mari, & ipſe ſolus in terra. Et vidit diſcípulos ſuos laborántes in remigándo. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Marc. L. 2. *Cap.* 28.

LAbor diſcipulórum in remigándo, & contrá-

rius eis ventus, labóres ſanctæ Ecclésiæ vários desígnat, quæ inter undas ſæculi adversántis & immundórum flatus ſpiríruum, ad quiétem pátriæ cœleſtis, quaſi ad fidam littoris ſtationem pervenire conátur. Ubi bene dícitur, quia navis erat in médio mari, & ipſe ſolus in terra; quia nonnúnquam Eccléſia tantis gentílium preſſúris, non ſolùm afflícta, ſed & fœdáta eſt, ut, ſi fieri poſſet, Redémptor ipsíus eam prorſus deſeruíſſe ad tempus viderétur. Verum ille non obliviſcitur orationem páuperum, neque ávertit fáciem à ſperántibus in ſe: quin pótius & certántes cum hoſtibus, ut vincant, ádjuvat; & victóres in ætérnum corónat: unde hic quoque apértè dícitur, quia vidit eos laborántes in remigándo, quamvis ipſe pósitus ſit in terra: quia etſi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere: nihilóminus eos, ne in tribulatiónibus defíciant, ſuæ reſpéctu pietátis corroborat.

℟. Videns Jeſus diſcípulos laborántes in remigándo, venit ad eos ámbulans ſupra mare. * Et dixit eis: Confídite, ego ſum, nolíte timére. † Et aſcéndit ad illos in navim, & ceſſávit ventus. ℣. Gráditur ſuper fluctus maris: facit magna, & mirabília. * Et dixit eis. Glória. † Et aſcéndit. *Marc.* 6. 48. 50. 51. *Job.* 9. 8. 10.

Ad Benedíctus, *Ant. t.* 4. E. In platéis ponébant infírmos; & deprecabántur Jeſum, ut vel fímbriam veſtiménti ejus tángerent: & quotquot tangébant eum, ſalvi fiébant. *Marc.* 6. 56.

Oratio.

Adéſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; & concéde ut hoc ſolémne jejúnium, quod animábus corporibúſque curándis ſalúbriter inſtitútum eſt, devóto ſervítio celebrémus; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Laodicéno. C. 51.

Et ex Concílio Toletáno. *Ann.* 656. C. 1.

Non celebréntur in Quadragéſima Mártyrū Natalítia. Feſtívitas non poteſt celebrári condígnè, cùm Quadragéſimæ dies, vel Paſchále feſtum vidétur incúmbere; in quibus nihil de Sanctórum Solemnitátibus, ſicut regulári ex antiquitáte cautum eſt, cónvenit celebrári.

PROPRIUM
SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

IN Feſtis Semiduplicibus, & ſuprà, toto Adventûs tempore occurrentibus, fit Commemoratio de Adventu in utriſque Veſperis & Laudibus.

De Vigiliis per Adventum nec fit Officium, nec Commemoratio.

De Feſto Simplici fit tantùm Commemoratio in primis Veſperis & Laudibus: & legitur ultima Lectio de eo, ſi proprium habuerit.

Notandum quòd in Officio Sanctorum per Adventum, & totum anni tempus, ſemper legitur tota Scriptura occurrens.

Unde ſi in Officio trium Lectionum, ſecunda & tertia ſit de Sancto, tota Scriptura occurrens legitur pro prima Lectione ſub una concluſione.

Si tertia Lectio tantùm ſit de Sancto, ex ſecunda & tertia Lectione Scriptura fit una, & ſic in Octavis & Vigiliis.

DIE XXVII. NOVEMB.
SS. VITALIS
& Agricolæ, Martyrum.
Commemoratio.

Oratio. Exáudi, Dómine, *pag.* xvij.

Duæ primæ Lect. ex Scriptura occurrente; ita ut ex 2. & 3. fiat una Lectio.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi, de exhortatióne ad virginitátem.

Lectio iij. Cap. 1. n. 2. 4. & 5.

MArtyri Agrícolæ Vitális ſervus fuit ante; nunc conſors & collēga Mar-

CANON
Ex Concílio Toletáno octávo.
An. 658. *Can.* 9.

QUiſquis abſque inevitábili neceſſitáte, abſque fragilitátis evidénti languóre, ſeu étiam ætatis impoſſibilitáte, diébus Quadragéſimæ eſum cárnium præſúmpſerit attentáre, non ſolùm reus erit reſurrectiónis Domínicæ, verùm étiam aliénus ab ipsíus diéi ſancta communióne.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *D.* Multi ab Oriénte & Occidénte vénient, & recúmbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlórum. *Matth.* 8. 11.

Oratio.

PArce, Dñe, parce pópulo tuo; ut dignis flagellatiónibus caſtigátus, in tua miſeratióne reſpíret; Per Dóminum, &c.

FERIA SEXTA.
POST CINERES.
De Libro Géneſis.
Lectio j. Cap. 42. *v.* 1. *ad* 12.

AUdiens autem Jacob quòd aliménta venderéntur in Ægypto, dixit fíliis ſuis: Quare neglígitis? audívi quod tríticum venumdétur in Ægypto: deſcéndite, & émite nobis neceſſária, ut poſſímus vívere, & non conſumámur inópiâ. Deſcendéntes ígitur fratres Joſeph decem, ut émerent fruménta in Ægypto, Bénjamin domi reténto à Jacob, qui dixerat frátribus ejus: Ne fortè in itínere quidquam patiátur mali: ingréſſi ſunt terram Ægypti cum áliis qui pergébant ad eméndum. Erat autem fames in terra Chánaan. Et Joſeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum fruménta pópulis vendebántur. Cùmque adoráſſent eum fratres ſui, & agnovíſſet eos, quaſi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde veníſtis? Qui reſpondérunt: De terra Chánaan, ut emámus víctui neceſſária. Et tamen fratres ipſe cognóſcens, non eſt cógnitus ab eis. Recordatúſque ſomniórum, quæ aliquándo víderat, ait ad eos: Exploratóres eſtis: ut videátis infirmióra terræ veníſtis. Qui dixérunt: Non eſt ita, dómine, ſed ſervi tui venérunt ut émerent cibos. Omnes fílii uníus viri ſumus: pacífici vénimus, nec quidquam fámuli tui machinántur mali.

℟. Si pœniténtiam non egérimus, * Incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. ℣. Scimus qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Horréndum eſt incídere in manus Dei vivéntis. * Incidémus. *Eccli.* 2. 22. *Hebr.* 10. 30. 31.

Lectio ij. Cap. 45. *v.* 1. *ad* 12.

NOn ſe póterat ultrà cohibére Joſeph multis coram aſtántibus: unde præcépit ut egrederéntur cuncti foràs, & nullus intereſſet

ſiſtéhus agnitióni mútuæ. Elevavítque vocem cum fletu: quam audiérunt Ægyptii, omníſque domus Pharaónis. Et dixit frátribus ſuis: Ego ſum Joſeph: adhuc pater meus vivit? Non póterant reſpondére fratres nímio terróre pertérriti. Ad quos ille cleménter: Accédite, inquit, ad me. Et cùm acceſſiſſent propè, Ego ſum, ait, Joſeph, frater veſter, quem vendidíſtis in Ægyptum. Nolíte pavére, neque vobis dúrum eſſe videátur quòd vendidíſtis me in his regiónibus: pro ſalúte enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Biénnium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arári póterit, nec meti. Præmisítque me Deus ut reſervémini ſuper terram, & eſcas ad vivéndum habére poſſitis. Non veſtro consílio, ſed Dei voluntáte huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaónis, & dóminum univérſæ domûs ejus, ac príncipem in omni terra Ægypti. Feſtináte, & aſcéndite ad patrem meum, & dicétis ei: Hæc mandat fílius tuus Joſeph: Deus fecit me dóminum univérſæ terræ Ægypti: deſcénde ad me, ne moréris; & habitábis in terra Geſſen: erísque juxta me, tu, & fílii tui, & fílii filiórum tuórum, oves tuæ, & arménta tua, & univérſa quæ póſſides. Ibíque te paſcam (adhuc enim quinque anni resídui ſunt famis) ne & tu péreas, & domus tua, & ómnia quæ poſſides.

℟. Quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? * Quis habitábit ex vobis cum ardóribus ſempitérnis? ℣. Fácite fructum dignum pœniténtiæ: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. * Quis habitábit. *Iſ.* 33. 14. *Matth.* 3. 8. 10.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio iij. Cap. 5. 43.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Audíſtis, quia dictum eſt: Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícū tuum: Ego autem, dico vobis: Dilígite inimícos veſtros. reliqua.

Homília ſancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *in Matth. Cap.* 6.

EGo autem dico vobis: Dilígite inimícos veſtros; benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei, imbecillitáte ſuâ, non Sanctórum viribus æſtimántes, putant eſſe impoſſibília quæ præcépta ſunt: & dicunt ſufficere virtútibus, non odíſſe inimícos: cæterum dilígere, plus præcipi quàm humána natúra patiátur. Sciéndum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibília præcípere, ſed

perfécta, quæ fecit David in Saül, & in Abſalom. Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus eſt: & Paulus anathéma cupit eſſe pro perſecutóribus ſuis. Hæc autem Jeſus & dócuit & fecit, dicens: Pater, ignóſce illis.

℟. Si quis díxerit quóniam díligo Deum, & fratrem ſuum ódérit, mendax eſt. * Hoc mandátum habémus à Deo; ut qui díligit Deum, díligat & fratrem ſuum. ℣. Odium ſúſcitat rixas: & univérſa delícta óperit cháritas. * Hoc. Glória. * Hoc. 1. *Joan.* 4. 20. 21. *Prov.* 10. 12.

Ad Benedict. Ant. t. 2. D. Dilígite inimícos veſtros, benefácite his qui odérunt vos: & oráte pro perſequéntibus & calumniántibus vos; ut ſitis fílii Patris veſtri qui in cœlis eſt. *Matth.* 5. 44. 45.

Orátio.

INchoáta jejúnia, quæſumus, Dómine, benígno favóre proſéquere: ut obſervántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam ſincéris exercére valeámus; Per Dóminum, &c.

CANON.

Ex Concilio Mediolanénſi primo.

An. 1565. *Par.* 2. *Tit.* 7. *de Jejun.*

EX divinárum litterárum ſenténtia, párum hómini prodeſt ſe per jejúnium temperáſſe, ſi ánimus ſit in peccátis perſevérans: ideírco fidéles in jejúnio præcípuè ſtúdeant, ut, dum caro ab aliméntis ábſtinet; mens páriter à culpa jejúnet: omneſque in Dei laúdibus, eleemóſinis, aliiſque piis offíciis occupéntur.

Ad Magnif. Ant. t. 8. g. Eſtóte perfécti, ſicut & Pater veſter cœléſtis perféctus eſt. *Matth.* 5. 48.

Orátio

TUére, Dómine, pópulum tuum; & ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia ei nulla nocébit advérſitas, ſi nulla ei dominétur iníquitas; Per, &c.

SABBATO POST CINERES.

De libro Genéſis.

Lectio j. *Cap.* 46. *v.* 1. *ad* 8.

PRoféctus Iſraël cum ómnibus quæ habébat, venit ad púteum juraménti. Et mactátis ibi víctimis Deo patris ſui Iſaac, audívit eum per viſiónem noctis vocántem ſe, & dicéntem ſibi: Jacob, Jacob. Qui reſpóndit: Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortíſſimus Deus patris tui: noli timére: deſcénde in Ægyptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego deſcéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem. Joſeph quoque ponet manus ſuas ſuper óculos tuos. Surréxit autem Jacob à púteo juraménti: tuleruntque eum fílii cum párvulis & uxóribus ſuis in

plauſtris quæ míſerat Pharao ad portándum ſenem, & ómnia quæ poſſéderat in terra Chánaan: venítque in Ægyptum cum omni ſémine ſuo, filii ejus, & nepótes, filiæ, & cuncta ſimul progénies.

℟. Non tardes convérti ad Dóminum, & ne différas de die in diem. * Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ diſpérdet te. ℣. Dies Dómini, ſicut fur in nocte, ita véniet. * Súbitò enim. *Eccli.* 5. 8. 9. 1. *Theſ.* 5. 2.

Lectio ij. Cap. 49. *v.* 29. *ad finem, & Cap.* 50. *v.* 1. *ad.* 7.

PRæcépit (Jacob filiis ſuis) dicens: Ego cóngregor ad pópulum meum: ſepelíte me cum pátribus meis in ſpelúnca dúplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chánaan, quam emit Abraham cũ agro ab Ephron Hethæo, in poſſeſſiónem ſepúlchri. Ibi ſepeliérunt eũ, & Saram uxórem ejus: ibi ſepúltus eſt Iſaac cum Rebecca cónjuge ſua: ibi & Lia cóndita jacet. Finitíſque mandátis quibus fílios inſtruébat, collégit pedes ſuos ſuper lectulum, & óbiit: appoſitúſque eſt ad pópulum ſuum. Quod cernens Joſeph, ruit ſuper fáciem patris flens & deóſculans eum. Præcepítque ſervis ſuis médicis ut aromátibus condírent patrem. Quibus juſſa explentibus, tranſiérunt quadragínta dies: iſte quippe mos erat cadáverum conditórum: flevítque eum Ægyptus ſeptuagínta diebus. Et expléto planctûs témpore, locútus eſt Joſeph ad famíliam Pharaónis: Si invéni grátiam in conſpéctu veſtro, loquímini in áuribus Pharaónis: eò quòd pater meus adjuráverit me, dicens: En mórior: in ſepúlchro meo quod fodi mihi in terra Chánaan, ſepélies me. Aſcéndam ígitur; & ſepéliam patrem meum, ac revértar. Dixítque ei Phárao: Aſcénde, & ſepeli patrem tuum ſicut adjurátus es.

℟. Státue tibi ſpéculam; pone tibi amaritúdines; * Dírige cor tuum in viam rectam, in qua ambulâſti. ℣. Memor eſto unde excíderis; & age pœniténtiam, & prima ópera fac. * Dírige cor tuum. *Jerem.* 31. 21. *Apoc.* 2. 5.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 6. 46.

IN illo témpore, Abiit Jeſus in montem oráre. Et cùm ſerò eſſet, erat navis in médio mari, & ipſe ſolus in terra. Et vidit diſcípulos ſuos laborántes in remigándo. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

In Marc. L. 2. *Cap.* 28.

LAbor diſcipulórum in remigándo, & contrá-

rius eis ventus, labóres ſanctæ Eccléſiæ várioſ deſignat, quæ inter undas ſæculi adverſántis & immundórum flatus ſpirítuum, ad quiétem pátriæ cœleſtis, quaſi ad fidam líttoris ſtationem perveníre conátur. Ubi bene dícitur, quia navis erat in médio mari, & ipſe ſolus in terra; quia nonnúmquam Eccléſia tantis gentílium preſſúris, non ſolùm afflícta, ſed & fœdáta eſt, ut, ſi fieri poſſet, Redémptor ipsíus eam prorſus deſeruíſſe ad tempus viderétur. Verum ille non oblivíſcitur orationem páuperum, neque ávertit fáciem à ſperántibus in ſe: quin pótius & certántes cum hoſtibus, ut vincant, ádjuvat; & victóres in ætérnum corónat: unde hìc quoque apértè dícitur, quia vidit eos laborántes in remigándo, quamvis ipſe pósitus ſit in terra: quia etſi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere: nihilóminus eos, ne in tribulatiónibus defíciant, ſuæ reſpéctu pietátis corróborat.

℟. Videns Jeſus diſcípulos laborántes in remigándo, venit ad eos ámbulans ſupra mare. * Et dixit eis: Confídite, ego ſum, nolíte timére. † Et aſcéndit ad illos in navim, & ceſſávit ventus. ℣. Gráditur ſuper flúctus maris: facit magna, & mirabília. * Et dixit eis. Glória. † Et aſcéndit. *Marc.* 6. 48. 50. 51. *Job.* 9. 8. 10.

Ad Benedíctus, *Ant. t.* 4. E. In platéis ponébant infírmos; & deprecabántur Jeſum, ut vel fímbriam veſtiménti ejus tángerent: & quotquot tangébant eum, ſalvi fiébant. *Marc.* 6. 56.

Oratio.

Adéſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris; & concéde ut hoc ſolémne jejúnium, quod animábus corporibúſque curándis ſalúbriter inſtitútum eſt, devóto ſervítio celebrémus; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Laodicéno. C. 51.

Et ex Concílio Toletáno. *Ann.* 656. *C.* 1.

Non celebréntur in Quadragéſima Mártyrū Natalítia. Feſtívitas non poteſt celebrári condígnè, cùm Quadragéſimæ dies, vel Paſchále feſtum vidétur incúmbere; in quibus nihil de Sanctórum Solemnitátibus, ſicut regulári ex antiquitáte cautum eſt, cónvenit celebrári.

PROPRIUM
SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

IN Feſtis Semiduplicibus, & ſuprà, toto Adventûs tempore occurrentibus, fit Commemoratio de Adventu in utriſque Veſperis & Laudibus.

De Vigiliis per Adventum nec fit Officium, nec Commemoratio.

De Feſto Simplici fit tantùm Commemoratio in primis Veſperis & Laudibus: & legitur ultima Lectio de eo, ſi propriam habuerit.

Notandum quòd in Officio Sanctorum per Adventum, & totum anni tempus, ſemper legitur tota Scriptura occurrens.

Unde ſi in Officio trium Lectionum, ſecunda & tertia ſit de Sancto, tota Scriptura occurrens legitur pro prima Lectione ſub una concluſione.

Si tertia Lectio tantùm ſit de Sancto, ex ſecunda & tertia Lectione Scriptura fit una, & ſic in Octavis & Vigiliis.

DIE XXVII. NOVEMB.
SS. VITALIS
& Agricolæ, Martyrum.
Commemoratio.

Oratio. Exáudi, Dómine, *pag.* xvij.

Duæ primæ Lect. ex Scriptura occurrente; ita ut ex 2. & 3. fiat una Lectio.

Ex libro ſancti Ambróſii Epíſcopi, de exhortatióne ad virginitátem.

Lectio iij. Cap. 1. *n.* 2. 4. & 5.

MArtyri Agrícolæ Vitális ſervus fuit ante; nunc conſors & collėga Mar-

tyrii... Cùm ſanctus Vitális cogerétur à perſequéntibus ut Chriſtum negáret, & ille ámplius profiterétur Dóminum Jeſum Chriſtum, ómnia tormentórum génera in eum exercéntes, ut non eſſet in córpore ejus ſine vúlnere locus, orationem fudit ad Dóminum, dicens: Dómine Jeſu Chriſte, Salvator meus & Deus meus, jube ſúſcipi ſpíritum meum; quia jam desídero ut accípiam corónam quam Angelus tuus ſanctus mihi oſténdit. Et complétâ oratióne emiſit ſpíritum. Sanctus Agrícola mitior habebátur móribus, ut ab ipſis étiam inimícis diligerétur: idèoque differébant ejus paſſiónem. Sed hæc perſecutórũ honorificéntia omni erat immanitáte acérbior, quæ invidébat Martyrium. Dénique ubi non acquiévit ſanctus Agrícola, crucifixus eſt, ut advertámus illas blandítias eórum non ſedulitátis fuiſſe, ſed fraudis. Supplício ſervi, dóminum terrére voluérunt. Vertit hoc Chriſtus in grátiam, ut martyrium ſervi dóminus imitarétur.

DIE XXIX NOVEMB.

S. SATURNINI,
Epíſcopi & Martyris

Commemoratio.

Oratio. Omnípotens ſempitérne, *pag.* xj.

Duæ primæ Lectiones ex Scriptura occurrente, una fit ex ſecunda & tertia, & ſic in Officiis trium Lectionum.

Lectio iij.

Ex Gregorio Turon. Glor. Confeſſorum, Cap. 30. item Hiſt. Lib. 1. Cap. 30. Fortunato Pictav. Lib. 2. Cap. 9. & Lib. 9. Carm. 8. Sidonio Apoll. Lib. 90. Ep. 16.

Saturnínus, Décio & Grato coſſúlibus, in Gállias unà cum ſex áliis Epíſcopis à Románo Pontífice miſſus eſt. Toloſæ Póntifex conſtitútus, multos verbis, exémplis & opéribus ad Chriſtum convértit: dæmónibus, quibus ibi ſacra fiebant, adeo terríbilis: ut fruſtra animálium ſacrifíciis evocáti, qui ánteà orácula réddere conſuéverant, obmutúerint pénitus. Tam inexpectáto offénſi ſiléntio gentíles, ímpetu facto, Saturnínum ad urbis Capitolium trahunt, duriſſimam minántes mortem, niſi more pátrio, diis thus adóleat. Verùm cùm nec minis, nec contuméliis céderet, tauro indómito pedes ejus álligant; qui ſanctũ Præſulem per declíves Capitólii gradus raptátum, colliſo cápite, excúſſo cérebro, membríſque diſcérptis, intérimit. Corpus exánime, & per loca diſtractum mulíeres duæ clam cólligunt, altâque in ſcrobe recóndunt; cautè quidem, ne ſacris ipsíus relíquiis fieret ab infidélibus injúria. Inventæ ſunt exinde ab Hilário, qui tértius poſt Saturnínum in ſede Tolosána numerátur Epíſcopus. Hic effóſſa circum

humo, ſuras véritus relíquias commovére, túmulum ſuperimpóſuit, & Oratóriũ extrúxit.

Die xxx. Novemb.

SANCTI ANDREÆ, APOSTOLI.

Duplex ij. Claſſis.

Omnia de Communi Apoſtolorum, iis exceptis quæ ſequuntur.

AD I. VESPERAS.

Ad Magnif. Ant. t. 7. D. Audiérunt Joánnem duo diſcípuli loquéntem, & ſecúti ſunt Jeſum. Erat autem Andréas frater Simónis Petri unus ex duóbus, qui ſecúti fúerant eum. *Joan. 1. 37. 40.*

Oratio ut infrà in Laudibus.

Fit Commemoratio de Adventu.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Evang. Euſeb. Lib. 3. Hiſt. Gregor. Nazian. Orat. 25. Paulino, Carm. 2. Gregor. Turon. de Glor. Mart. 31. & aliis.

Ndréas, Joánnis, ſeu Jonæ fílius, Simónis, qui póſtmodum Petrus dictus eſt, frater, Bethsáïdæ in Galilæa natus, unus fuit ex duóbus diſcípulis Joánnis Baptiſtæ, qui ſtatim ab ipſo Joánnis de Jeſu teſtimónio, Jeſum ſecúti ſunt. Sciſcitati ambo ubi manéret, invitáti cómites venére, & illâ die manſérunt apud ipſum hoſpites. Hinc ubi invénit Andréas primum fratrem ſuum, dixit ei: Invénimus Meſſíã, & addúxit eum ad Jeſum. Ambos fratres, jam diſcípulos ſuos, nondum tamen perpétuos itínerum & vitæ ſócios, cùm ambulans póſtea Jeſus juxta mare Galilææ vidiſſet mitténtes rete in mare, his vocávit verbis: Veníte poſt me, & fáciam vos fíeri piſcatóres hóminum. Qui nullam interponéntes moram, & relíctis rétibus, ſecúti vocántem, ita ei placuérunt, ut inter duódecim, quos è diſcípulis ſuis elégit, & Apóſtolos nominávit, primùm Simónem quem cognominávit Petrum, mox Andréam fratrem ejus, Matthæus & Lucas recénſeant.

Lectio v.

Poſt Chriſti paſſiónem & reſurrectiónem, Scythiã ſortítus Andréas, in Epíro étiam, Acháia & áliis Provínciis, innúmeros Chriſto, qui evéntum promíſerat, piſcátus hómines, Patras civitátem Achái æ morte célebrem fecit & túmulo. Ejus Relíquias Conſtántius Imperátor, ex voto Conſtantíni patris, Conſtantinópolim tranſférri, & in auguſtíſſimo Apoſtolórum templo collocári curávit. Toto itínere, & per omnes vias, quâ ſanctæ tranſiérunt Relíquiæ, miris manum divínam claruíſſe ſignis refert ſanctus Paulínus. Ex

his pígnora decérpta, divérſis locis, quaſi vitæ sémina, diſpérſa ſunt: & quòcúmque, vel minúta oſſa, vel ipſæ favíllæ pervenérunt, illic ingéntes divína grátia vitæ fontes miraculórum frequéntiâ & multitúdine exundáre fecit. Quin &, teſte ſancto Hierónymo, ad has ſacras exúvias rúgiunt dæmones, & illárum præséntiâ cruciári ſe confiténtur.

Sermo ſancti Petri Chryſólogi.

Lectio vj. Serm. 133.

BEátus Andréas hódie moriéndo pro Dómino, toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére veſtígiis; ne eum curſus fáciat diſparem fratri, quem natúra símilem, vocátio sócium, parem grátia ipſa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, ſicut ille, patrem, pátriam, cenſum relíquit. Solum eſt quòd témpore Domínicæ paſſiónis fugit; ſed neque hoc impar, quia non eſt grávius fúgere quàm negáre. Sed æquávit fratres vénia, quos ſic diſcréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, poſtea conjúnctis víribus, ardénter invádunt; ut unde reátum súmpſerant, inde conſcénderent cœlum, inde præmium súmerent & corónam. Petrus namque crucem, árborem conſcéndit Andréas: ut qui Chriſto cómpati geſtiébant, in ſemetípſis figúram, formámque ipſíus exprímerent paſſiónis; & redémpti ligno, conſummaréntur ad palmam. Sic Andréas noſter, etſi cedit órdini, præmio tamen non cedit, & labóri

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4. *v.* 18.

IN illo témpore; Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, & Andréam fratrem ejus; mitténtes rete in mare: (erant enim piſcatóres) & ait illis: Veníte poſt me, & fáciam vos fíeri piſcatóres hóminum. At illi contínuò, relíctis rétibus, ſecúti ſunt eum. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homilia 5. in Evangelium, hab. in Baſil. S. Andr. in Natali ejus, num. 1.

AUdíſtis, fratres charíſſimi, quia ad uníus juſſiónis vocem Petrus & Andréas, relíctis rétibus, ſecúti ſunt Redemptórē. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant, nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant; & tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc quod poſſidére videbántur, oblíti ſunt. In cœlo jam ſedet, qui de converſióne nos ádmonet: jam jugo fídei colla géntium ſúbdidit: jam mundi glóriam ſtravit; jam ruínis ejus cre-

creſcéntibus diſtricti ſui judícii diem propinquántem denúntiat; & tamen ſupérba mens noſtra adhuc non vult hoc ſpontè deſérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres, quid in ejus judício dictúri ſumus, qui ab amóre præséntis ſæculi, nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

Lectio viij. n. 2.

SEd fortáſſe áliquis tácitis ſibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iſte piſcátor quid aut quantùm dimíſit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres chariſſimi, affĕctum debémus pótiùs pensáre quā cenſum. Multùm relíquit qui ſibi nihil retínuit. Multum reliquit, qui quantúmlibet parum, totum deséruit. Certè nos & hábita cum amóre poſſidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex deſidério quærimus. Multum ergo Petrus & Andréas dimíſit, quando utérque étiam deſidéria habéndi derelíquit.

Lectio ix. num. 4.

QUia ergo, fratres chariſſimi, beáti Andréæ Apóſtoli Natalítia celebrámus, debémus imitári quod colimus. Oſténdat noſtræ obſéquii devotiónis, immutátæ ſolémnitas mentis: deſpiciámus quæ terréna ſunt; relictis temporálibus, mercémur ætérna. Si autem necdum póſſumus relinquere própria, ſaltem non concupiſcámus aliéna. Si necdum mens noſtra accénditur ígne charitátis, in ambitióne ſua hábeat frænum timóris; ut proféctùs ſui páſſibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéſcitur, quándoque ad própria contemnénda perducátur, adjuvánte Dño noſtro Jeſu Chriſto.

Te Deum *dicitur* (*Et in Feſtis per Adventum.*)

Ad Bened. Ant. t. 1. a. Invénit Andréas primùm fratrem ſuum Simónem, & dicit ei: Invénimus Meſsiā; & addúxit eum ad Jeſum. *Joan.* 1. 41. 42.

Oratio.

OMnípotens Deus, qui beáto Andréæ Apóſtolo tuo Chriſto configi in cruce tribuíſti; præſta, quæſumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobis metípſis deſidéria crucifigéntes, tibi fírmiter adhærére valeámus; Per eúmdem, &c.

Comm. de Adventu.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Vidit Jeſus Simónem, & Andréam fratrem ejus, mitténtes rétia in mare; & dixit eis: Veníte poſt me, & fáciam vos fíeri piſcatóres hóminum. Et prótinus relíctis rétibus ſecúti ſunt eum. *Marc.* 1. 16. 17. 18.

Fit comm. de S. Eligio Epiſc. & deinde de Adventu.

FESTA DECEMBRIS.

Die I.

S. ELIGII,

Novioménſis Epíſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Pontificis. Oratio, Da Ecclésiæ tuæ, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Tres Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex vita S. Eligii, Auctore S. Audoeno.

ELígius Lémovix, aurífaber indúſtrius, relíctâ pátriâ, Paríſios ſe contulit, ubi perítiæ ſuæ fama Clotário ſecúndo innotuit. Sanctióris vitæ deſidério accénſus, ómnium ab adoleſcéntia delictórum exomologéſim fecit coram Sacerdóte, & gravi peráctâ pœnitentiâ, exínde in pietátis ópera toto incúbuit ánimo. Nam étiã dum artem exercébat ſuam, ſubínde in ſacros intendébat códices; ut mens Deo vacáret, cùm manus úſibus fervírent humánis. Quidquid verò arte ſuâ comparabat, illud totum fovéndis egénis, & captívis, rerum étiam neceſſariárum diſpéndio, rediméndis erogabat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrſus, ut quærénti domum Elígii dicerétur: Ubi páuperum cœtum conſpéxeris, illic & Elígium reperies. Intra domum autem vacábat oratióni cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera Canónicum curſum ſolémniter adimplébat.

Lectio v.

DAgobérto non minùs accéptus, quàm Clotário patri, & ab ipſo ad Aremoricórum regem, pacis componéndæ causâ, miſſus, reges ambos felíci ſociávit fœdere. Vária ejus hortátu & impénſis extrúcta ſunt tẽpla & monaſtéria. Solenniacénſe in Lemovícibus cœnóbium cóndidit. Paríſiis áliud ædificávit monaſtériũ Vírginum ad quarum ſepultúram extra civitátem, ſancti Pauli Eccléſiam conſtrúxit. Plúrimas divérſis tempóribus, auro, argénto, & gemmis, Sanctórum capſas, quæ túmulos, miro decorávit artifício. De Eccléſiæ diſciplínâ ſollícitus ádmodum, ſimoníacam labem, quæ altas in Gállia égerat radíces, junctis cum Audoéno ſtúdiis, extirpávit; ſuíſque curis pérfécit utérque, ut nullus deínceps eligerétur Epíſcopus, niſi qui morum integritáte álios antecéderet.

Lectio vi.

TOt in Eccléſiam méritis clarus, mórtuo Achário, Diœcéſi Noviomén-

ſt præpóſitus eſt.... Cavit tamen ex uſu Cánonum, ne ſibi priùs manus imponeréntur, quàm ſub norma Clericátûs tempus exegiſſet áliquod. Quo tranſácto, Presbyteris adſcriptus eſt à Deodáto Matiſconénſi. Tum Rothómagi unà cum ſancto Audóeno die Maii decimâquartâ, Domínicâ ante Litanías, in Epiſcopum eſt conſecrátus. In eo órdine, non modò ſalúti gregis ſibi commiſſi conſúluit, ſed & Flandros, ac Fríſios, alióſque ad Septentriónem pópulos, non ſine magno labóre, & vitæ diſcrímine, ad Chriſtum addúxit. Sedit in Concílio Cabillonénſi ſub Clodovæo ſecúndo. Multa præclárè ſcripſit, dæmones ejécit, futúra prædíxit, ac tandem miraculorum illúſtris glóriâ, Novióimi obiit ſeptuagenárius. Ejus funus Bathíldis Regína, pedes, nec ſine lácrymis, cum líberis ac totâ família proſecúta eſt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 42.

In illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vigiláte, quia neſcítis quâ horâ Dóminus veſter ventúrus ſit. Et réliqua.

Homilía S. Elígii Epíſcopi.

Refert S. Audoenus in ejus vitâ. Lib. 2. Cap. 15.

Conſideráte, fratres, quia opórtet me ſine ceſſatióne veſtras ánimas ad treméndum Dei judícium, & ad deſiderándum cœléſte præmium excitáre; ut vobíſcum páriter mérear in Angelórum conſórtio perpétuâ pace gaudére. Ideóque rogo, ut diem judícii ſemper pertimeſcátis, diem mortis ſuſpéctum quotídie ante óculos habeátis. Conſideráte quales éritis præſentándi conſpéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis viciſſitúdinem receptúri; ſi potéritis in illo die illibátum reférre, quod in baptíſmo promiſíſtis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo feciſtis; atque abrenuntiáre vos diábolo, & ómnibus opéribus ejus, in ipſo baptíſmi ſacraménto promiſiſtis.

Lectio viij.

Ecce prædíxi vobis ſimplíciter, ut intellígere poſsítis quæ ſunt unicuíque ventúra. Nemo jam ſe de ignorántia excuſáre póterit, quorum vita & mors prænuntiáta ſunt. Supplícia impiórum, & glória juſtórum vobis denuntiáta ſunt: jam verò in arbítrio veſtro conſíſtit elígere quod teneátis. Unuſquíſque enim quod hic concupíverit, & aſſecútus fúerit, hoc utíque illic poſſidébit. Vitam ergo ætérnam toto niſu concupíſcite, nec emendatiónem veſtram diu differátis: ſed ad lucránda cœléſtia regna, ultrò ipſi relínquite quod hujus iſtius

ſine perdéndum eſt. Surgat jam, quæſo, quicúmque peccáti caténâ aſtríctus tenétur, & expergefáctus à ſomno ſuæ mortis, evígilet, recúrrat ad confeſſiónem, & agat pœniténtiam.

Lectio ix.

HÆc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat; hæc nos præcépta frequénter ſollícitent: débitum vitæ finem jamjam affutúrum putémus; vicinumque ſperémus mortis diem, quem longínquum eſſe neſcímus. Modò emendémus quod delíquimus; ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidē & in inférno pœniténtia, ſed omníno infructuóſa. Erit ibi pœnitentia dolórem habens, ſed jam medicínam non habens; ibíque nullatenus póterit à Deo proméreri quod petit, qui hìc noluerit audíre quod Deus juſſit.

Commem. de Adventu in Laudibus & Veſp.

DIE II. DECEMBRIS.

S. PETRI CHRYSOLOGI Ravennénſis Epiſcopi.

Commemoratio.

Oratio. Omnipotens, *p.* xxiv.

Lectio iij. *de S. Petro Chryſologo.*

Ex ipſius Sermon. Hieron. Rub. Abb. Ughel. &c.

PEtrus, cui ſua dicéndi facílitas & eloquéntia Chrysólogi cognómen áddidit, Imolæ in foro Cornélii honéſtis paréntibus natus, ſancto Cornélio civitátis illíus Epíſcopo tráditus eſt móribus & diſciplínis inſtruéndus adoléſcens. Tantæ autem fuérunt primæ ſurgéntis véluti ingénii faces, tanta præmatúræ virtútis indícia, ut diſcípulum ſæpè mirátus magíſter, ipſum ſibi, Eccléſiæ ſuæ bene cónſulens, in Diaconátûs miniſtério devinxerit. Divíno deínde orâculo deſignátus in Ravennénſem Epíſcopum Petrus; omnes ſui múneris partes ſic adimplévit, ut nulli defúerit óptimi Paſtóris officio; ita in paſcéndo grege pérvigil, ſic in verbi Divíni diſpenſatióne aſsíduus, ut labóris ejus monuménta, ſermónes ad nos pervénerint número centum ſeptuagínta ſex. Illíus ætáte, novas de Incarnatióne contentiónes movit Eútyches; & ad hæreſis ſuæ patrocínium, Petri ſuffrágia tentávit per lítteras: quibus veritátis & unitátis amans Petrus ſic reſpóndit: Triſtis legi triſtes lítteras tuas; & ſcripta mœróre débito percurri: quia ſicut nos pax Eccleſiarum, Sacerdótum concórdia, tranquíllitas plebis, gaudére facit gáudio cœleſti; ita nos afflígit, & dejicit fratérna diſſénſio. Tum Eutychen his ad obséquium hortátur verbis: In ómnibus hortámur te, ut his quæ à beatíſſimo Papa Románæ civitátis ſcripta ſunt, obediénter atténdas:

quóniam beátus Petrus, qui in própria ſede & vivit, & præſidet, præſtat quæréntibus fídei veritátem. Obiit Imolæ circa médium quinti ſæculi.

Veſperæ de S. Franciſco Xaverio, & Comm. de Adventu.

Die III. Decemb.

S. FRANCISCI XAVERII Presbyteri.

Dupl. 4. Claſſ.

Omnia de Communi unius Presbyteri. Oratio ut infrà ad Laudes.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Turſelino, & aliis ejus vitæ Scriptoribus.

Franciſcus è Xavério Caſtro in Diœcéſi Pampelonénſi apud Cántabros oriúndus, paréntes hábuit avítâ nobilitáte conſpícuos. Júvenis Paríſios, ſtudiórum causâ, venit; ubi eménſo Philosóphico ſtádio, magiſtérium ártium conſecútus, mox Philosóphiæ Profeſſor, ac deínde Baccaláureus, Theológiæ curſum abrúpit, ut beáto Ignátio cómitem ſe adjúngeret & diſcípulum. Eo magiſtro mirum quantum profécerit, totus in vigíliis, totus in orationibus, totus in maximárum rerum contemplatióne, vilióribus cibis, jejúniis, aliiſque carnis maceratiónibus tantùm ſibi durus, quantum in páuperes misericors. Verùm in eo præcípuè enítuit ille Dei amor, ille ſalútis animárum zelus, quo dies noctéſque ſic æſtuábat Franciſcus, ut damna: quæ graſſans tunc hæreſis Eccléſiæ intúlerat, reſarcíre votis ómnibus exoptáret.

Lectio v.

His virtútibus Apoſtólico múneri jam matúrus, cùm Joánnes tértius Luſitániæ rex áliquos Societátis tunc naſcéntis viros, qui lucem Evangélii Indiárū pópulis inférrent, à Paulo tértio poſtuláſſet; ſancti Ignátii commendatióne, ad tantum opus cum Apoſtólici Núntii poteſtáte Xavérius ſelígitur. Eò appúlſus, illico variárum géntium linguis difficillimis, nec ſine miráculo, inſtrúctus, mox idóneus appáruit, qui gentes móribus & idiómate bárbaras edocéret. Quin étiam quandóque ad divérſos pópulos concionántem, unuſquíſque linguâ ſuâ perorántem illum audívit. Províncias innúmeras, pédibus ſēper, & ſæpe nudis peragrávit. Fidem Chriſtiánam Japóniæ, & compluribus áliis penè imménſis regiónibus invéxit. Multa hóminum centéna míllia convértit ad Chriſtum; príncipes, regéſque compluúres ſacro fonte expiávit; dignus qui toto orbe Indiárum Apoſtolus appellarétur.

Lectio vj.

SIgna Apoſtolátûs ejus in anguſtiis, in neceſſitátibus, & patiéntiæ non modò, ſed & in prodigiis refulsére; procéllis ſedatis, ægris ſanátis, & mórtuis etiámnum ad ipsíus vocem è túmulo ſuſcitátis. Prophetíæ ſpíritu paſſim afflátus, plúrima & loco & témpore remotíſſima enuntiávit. Et cùm tot ac tantis claréret donis & virtútibus, eâ erat humilitáte, ut ſancto Ignátio tunc Præpóſito ſuo, flexis génibus ſcríberet. Peragrátâ tandem Japóniâ, novas terras, novos labóres meditátus, dum in Sinas martyrii deſidério accénſus pérgeret, in ínſula Sanciána óbiit anno ætátis ſuæ quadrageſimo quinto, Chriſti milléſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecúndo. Hunc abſque terrárum multis maximíſque fulgéntem miráculis, Gregórius décimus quintus Sanctórū número adſcripſit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 16. 15.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Eúntes in mundum univérſum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Hom. 7. in Epiſt. 1. ad Cor. n. 6.

APóſtoli ea quæ prædicárunt numquam prædicatúri fuiſſent, niſi divínâ movénte grátiâ... Eam rem excutiámus, oſtendamúſque non potuíſſe eos id ſuſcípere vel cogitáre, niſi Chriſtum ſecum habuíſſent; non quia imbecílli advérsus fortes; non quia pauci contra multos; non quia páuperes contra dívites; non quia indócti contra ſapiéntes áciem inſtruébant; ſed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius eſſe véteris conſuetúdinis tyránnide, máximè cùm de cultu religiónis & de Dei glória ágitur.

Lectio viij. n. 7. & 8.

ALiud erat majus impedimentum, quòd non modò conſuetúdo tam antíqua mutaretur; ſed étiam quòd mutátio illa cùm perículo fieret... Credentem ſtatim accidébat publicári, pelli, à pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hoſtem eſſe & ſuis & aliénis... Ad conſuetúdinem, & ad perícula id adde, quòd hæc præcépta oneroſióra eſſent, & ea à quibus abducébant, lévia & facília. Nam à fornicatióne ad caſtitátem vocábant; ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, à riſu ad lácrymas & compunctiónem; ab avarítia ad paupertátem. Quid ergo illos inducébat? Annon virtus ejus qui prædicabátur, ut palàm eſt?

Lectio ix. n. 9.

MAgnum eſt miráculum, quòd bárbaris homínibus perſuáſerint, ut talem fidem ſuſcíperent, & bonam de futúris ſpem habérent, ac depóſitâ priórum peccatórum ſárcinâ cum magna ánimi alacritáte, deinde pro virtúte labóres ſuſcíperent, omnibúſque corpóreis rebus ſuperióres effécti, ſpirituália accíperent dona.

Oratio.

DEus, qui Indiárum Gentes beáti Franciſci prædicatióne & miráculis, Eccléſiæ tuæ aggregáre voluíſti: concéde propítius, ut cujus glorióſa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla; Per Dóminum, &c.

Commem. de Adventu, & in 2. Veſper. comm. de ſequenti.

Die iv.

S. BARBARÆ.

Vírginis & Mártyris.

Commemoratio.

Oratio. Deus, qui inter. *p.* lj.

Die v.

S. SABÆ,

Abbatis in Palæſtina

Commemoratio.

Oratio. Omnípotens ſempitérne *pag*, xl.

Lectio iij.

Ex ejus vita à Cyrillo Monacho ipſius diſcipulo ſcripta, edito Cotel.

SAbas in Cappadócia prope Cæſaræam nobili ortus génere, vix annos compléverat octo, cùm relíctis paréntibus, in monaſtérium ſeceſſit. Monaſticæ diſciplínæ jugo aſſuétus júvenis, eo paſſu ad virtútem aſcéndit, magíſtris Euthymo & Theoctíſto, quos vitæ ſánctitas célebres fécerat; ut brevi eváſerit dignus, qui ut, hóminis ad Evangélii normam perfécti, sóciis ómnibus darétur in exémplum: ſomni & cibi parcíſſimus, primus in omni reguláris obſervántiæ exercítio, humilitátis ſenſu ſemper últimus. Cùm autem aliquándo à monáſticâ vitâ ad anachoréticam transíſſet, tanto, licèt pro víribus látitans, enítuit ſanctitátis nómine, ut diſcípulis úndique confluéntibus multas circum ſe Cellas, multa deínde monaſtéria conſtrúxerit. Inopínus à Sallúſtio Hieroſolymitano Patriárcha conſecrátus in Presbyterum, & ómnibus Palæſtinæ Solitáriis in Exarchum præféctus, non modò diſcípulis ſuis propè innúmeris, ſed & toti Eccléſiæ útilem tempóribus difficíllimis exhíbuit óperam. Elíam álterum à Sallúſtio ſedis Hyeroſolymitánæ Epíſcopum, in fide Concílii Chalcedonénſis firmávit: ab ipſo deínde miſſus ad Anaſtáſium Imperatórem, fidei cathólicæ partes egit fórtiter. A Juſtíno príncipe cathólico datum pro Chalcedonénſi Concílio edíctum ſuis ádeò adjúvit conátibus, ut multos ab hære-

ſi ad fidem revocáverit. Chriſtianórum qui Samaríam incolébant, cauſam contra Judæos apud Juſtiniánum Juſtíni in império ſucceſſórem felíci perégit éxitu. Sénio tandem & labóribus conféctus óbiit, anno quingenteſimo trigéſimo primo. *Veſp. de ſequ. Comm. de Adv.*

DIE VI.

SANCTI NICOLAI, Myrenſis Epiſcopi.

Duplex 2. Claſſ.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio.

DEus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decoráſti miráculis; tríbue, quæſumus, ut ejus méritis & précibus à gehénnæ incéndiis liberémur; Per Dóminum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Liturgia S. Chryſoſtomi, Concil. 2. Nicæno, Act. 4. Thoph. Chronogr. Joan. Archid. Barr. &c.

NIcoláus Myræ, quæ Lyciæ Metrópolis eſt, Epíſcopus; pópulis ómnibus véteri & vulgátâ quocúmque famâ notus eſt & illúſtris. Quanto honóre à multis ſæculis fúerit apud Græcos hábitus; vel una teſtátur precátio inſérta Litúrgiæ, quæ ſancti Joánnis Chryſóſtomi nómine inſcribitur. Multæ ſub ejus nómine extrúctæ ſunt Conſtantinópoli Baſílicæ: quarum hæc celebérrima, quæ circa médium ſæculi ſexti à Juſtiniáno Imperatóre ad Blaquérnas ædificáta, deínde combúſta, ſub Heráclio ſpléndidè fuit reſtauráta. Illius præséntem opem senſíſſe ſe Theodórus, qui Myrénſem ejus ſedem tenébat, in Nicæna ſecúnda Synodo conteſtátus eſt: quo ipſo facto aſſéruit, & confirmávit coram Pátribus, quam priùs impugnáverat, débitā Sanctórum imagínibus venerati ónem.

Lectio v.

CUm autem anno octingenteſimo ſéptimo dux quidam Arabum, Chumid nómine, Myrâ occupátâ, ſacram urnam in qua ſancti Nicolái corpus conſervabátur, infríngere tentáret, & in vicínam ex erróre ictus inférret, eum, ut ſcribit Theóphanes, maniféſtâ exagitávit ultióne: extémplo enim, inquit, immánis ventórum procélla, marinórum flúctuum ímpetus, tonítruū fulgurúmque promíſcua tēpéſtas ádeò claſſem jactávit, ut pleræque naves conquaſſátæ ſubmergeréntur; ípſeque Dei hoſtis Chumid, ſancti virtútem expértus, vix ac præter ſpem potúerit effúgere. Quin &, teſte eódem ſancto Theóphane auctóre

octávi ſæculi, qui pro fide Concílii ſecúndi Nicæni certans, glóriam Confeſſóris méruit, ſic Deus ſanctū ſuum mirificávit, ut magni & Thaumatúrgi nomen conſecútus ſit Nicoláus; & ſicut nullus eſt locus expers gratiárum ejus, ita nullus omníno à celebritáte ejus aliénus.

Lectio vj.

Ex ejus ſepúlchro ſtillábat óleum depelléndis váriis morbórum genéribus salúbre, quod peniculo extráctum ex urna, fidélibus ſolébat diſtríbui in váſculis. Eórum nonnúllis in Occidéntem allátis, cœpit apud Latínos nóminis & miraculórum ejus fama celebrári, quam prædicant nono ſæculo Martyrológia Uſuárdi, & Adónis. Hinc tot dicáta in Galliis ſub ejus invocatióne templa: hinc tot ipſíus tutélæ & præſídio commíſſæ urbes & Províncíæ: hinc tanta ad ejus túmulum non populórum modò, ſed & virórum illúſtrium frequéntia, inter quos viſus eſt ſanctus Godefrídus Ambianénſis Epíſcopus, qui, teſte Nicoláo Sueſſionénſi Mónacho, & ejuſdem ætátis ſcriptóre, Bárium ad ſacras relíquias proféctus eſt, & illas venerátus, inde veneratiónis ſuæ præmium ſtillántis ólei váſculum ſecum rétulit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25. 14.

In illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parábolam hanc. Homo péregrè proficíſcens vocávit ſervos ſuos, & trádidit illis bona ſua. Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Papæ.

De Vocat. gent. L. 2. C. 8.

Uni dedit quinque taléntal; álii autem duo; álii verò unum: unicuíque ſecúndùm própriam virtútē: id eſt, ſecúndùm própriam & naturálem poſſibilitátem; non autem ſecúndùm próprium méritum: quia áliud eſt poſſe operári, áliud operári; & áliud eſt poſſe habére charitatem, áliud habére charitátem: & áliud eſt capácem eſſe continéntiæ, juſtítiæ, ſapiéntiæ, áliud verò eſſe continéntem, juſtum, atque ſapiéntem. Non ítaque omnis reparábilis reparátur, nec omnis ſanábilis ſanátus eſt; quia reparábilem & ſanábilem eſſe, de natúra eſt; reparátum autem & ſanum eſſe de grátia eſt. Dénique iſti quibus ſecúndùm módulum capacitátis ſuæ, quem eis diſtribútor ſubſtántiæ prævidébat, diſpar créditus eſt númerus talentórum, non mériti remuneratiónem, ſed óperis accepére matériam.

Lectio viij.

IN qua duórum ſervórum vigilantíſſima indúſtria non ſolùm glorióſis láudibus honeſtatur, ſed étiam in ætérna Dómini ſui gáudia intráre præcípitur. Tértii verò pigrum ótium, & deſidióſa nequítia ſic punítur, ut & vituperatiónis dedecorétur oppróbrio, & portióne, quam accéperat, exuátur. Dignus enim erat pérdere inútilem fidem qui non exercúerat charitátem. Unde & in ſubſequénti ſermóne, quo declaratur futúri forma judícii, ſedénte Fílio hóminis in ſede majeſtátis ſuæ, álii dicúntur ad déxteram, álii ad ſiníſtram conſtituéndi; laudántur dextri de opéribus charitátis, nihil áliud ſiníſtris objícitur, quàm miſericórdiæ benevoléntiæque negléctus.

Lectio ix.

ACcéperant ergo étiam illi fidem, ſed non ſectáti fúerant dilectiónem: nec de non ſerváto, ſed de non aucto múnere damnabúntur. Quamvis enim ómnia bona, dona ſint Dei, à Deo tamen quædam étiam non petíta tribuúntur, ut per ipſa quæ accépta ſunt, ea quæ nondum ſunt donáta quærantur. Semen quippe quod jácitur in terram, non ob hoc ſéritur ut ipſum ſolum máneat, ſed ut fructum afferéndo, múltiplex atque numeróſum ſit. Cui quidem proféctus ab illo eſt, qui dat increméntum; ſed terra vivens, & de grátiæ jam imbre fœcúnda, habet quod ab ipſa expectátur, ad id quod accépit augéndum.

In II. Veſp. Commem. de ſequ. & de Adventu.

DIE VII.

S. AMBROSII,
Mediolanénſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris.

Dupl. 3. Claß.

Omnia de Communi unius Doctoris.

Orat. Deus, qui, *pag.* xxix.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex vita & operibus S. Ambroſii.

AMbróſius, patre Ambróſio Galliárum Præfécto in Gálliis natus, liberálibus diſciplínis Romæ excúltus, in Auditório Præfectúræ Prætorianæ, ſummâ cum laude cauſas dixit. Póſtea Ligúriæ, & Æmíliæ à Probo Præfécto præpóſitus, venit Mediolánum, ubi mórtuo Auxéntio Epíſcopo Ariano, cathólici, & hærétici de ſucceſſóre deligendo inter ſe diſſidébant. Quare cum ingréſſus Eccléſiam Ambróſius multa ad ſedándam ſeditiónem præclárè dixiſſet, de repénte púero Ambróſium Epiſcopum proclamánte, univérſi pópuli vox erúpit, Ambróſium Epiſ-

copum depoſcéntis. Recuſánte illo, & tantum onus váriis ártibus, atque étiam fugâ declinánte, ardens pópuli ſtúdium ad Valentiniánum Imperatórem delátum eſt; cui gratiſſimum fuit à ſe delectos júdices ad Sacerdótiũ poſtulari. Probo étiam id jucúndum fuit, qui Ambróſio proficiſcénti quaſi vatícinans díxerat: Vade, age, non ut judex, ſed ut Epiſcopus.

Lectio v.

ITaque baptizátus Ambróſius (erat enim Catechúmenus) cùm ómnia Eccleſiáſtica officia, ut fertur, impléſſet, octávo poſt baptíſmum die, qui fuit Decémbris ſéptimus, in Epiſcopum conſecrátus eſt. Tum prædia ſua, uſufrúctu Marcellínæ ſorori reſervato, dedit Eccléſiæ, cætera partítus inter Eccléſiam & páuperes. Fácilis erat ómnibus ad eum áditus. Litigántium cauſas ſummâ patientiâ & æquitáte dirimebat. Quoties illi aliquis, ob percipiéndam pœniténtiam, lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compélleret. Convívia quæ ad mártyrum ſepulchra fiébant, abrogávit. Clericos inter frugalitatis límites contínuit, & viduárum múnera accipere, nedum blandiméntis elicere, prohíbuit. Plúrimos Arianos aliósque hæréticos convertit ad fidem; & clariſſimum in primis Eccléſiæ lumen Auguſtínum Chriſto péperit. Multa paſſus eſt à Juſtina Valentiniani junióris matre, quam hærétici ſedúxerant; eíque ne ullæ iis Baſilicæ Medioláni traderéntur, fórtiter óbſtitit. Eâ occaſióne inſtitútum eſt, ut Antiphonæ, Pſalmi & Hymni, juxta morem Orientálium caneréntur; ne pia plebs éxcubans in Eccléſia, & cum Epíſcopo mori paráta, mœróris tædio contabéſceret. Tunc étiã Ambróſio divínitùs indicátum eſt, quo loco Mártyrum Gerváſii & Protáſii córpora delitéſcerent.

Lectio vj.

EGit apud Valentiniánum juniórem, ne Symmacho urbis Præfécto aram victóriæ inſtaurándi fáceret poteſtátem. Ab eódem Valentiniáno miſſus ad Máximum interfectórem Gratiáni, eum à communióne ſummóvit. Theodóſium Imperatórem, propter cædem Theſſalónicæ factam, ingréſſu Eccléſiæ prohíbuit. Cui, cùm ille obténderet David quoque regem adúlterum & homicídam fuiſſe, reſpóndit Ambróſius: Qui ſecútus es errántem, ſéquere pœniténtem. Quare Theodoſius impóſitam ſibi ab eo públicam pœniténtiam humíliter egit; & quod priváti erubeſcébant, non erúbuit Imperátor. Máximis pro Eccléſia labóribus curíſque perfúnctus, multis

étiam libris egrégiè conſcríptis, morbo corréptus eſt. Decumbénti Honorátus Vercellénſis Epíſcopus corpus Domini óbtulit; quod ubi accépit, emíſit ſpíritum, anno Chriſti trecentéſimo nonagéſimo séptimo, quarto die Aprílis, in pervigílio Paſchæ; Epiſcopátûs autem vigéſimo tertio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. v. 13.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Ad níhilum valet ultrà, niſi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 1. de Off. Cap. 50. n. 256.

ADvértimus quanta in nobis requirantur, ut miníſter Dómini teſtimónio bono fulciátur, non ſolùm fidélium, ſed étiam ab his qui foris ſunt. Decet enim áctuum operúmque noſtrórum teſtem eſſe públicam exiſtimatiónem, & atteſtatiónem, ne derogétur múneri; ut qui videt miníſtrum altáris cóngruis ornátum virtútibus, auctórem prædicet, & Dñum venerétur, qui tales sérvulos habet. Laus enim Dómini, ubi munda poſſéſſio, & ínnocens famíliæ diſciplína.

Lectio viij. n. 258. & 260.

CAſtificabátur étiam pópulus per bíduum aut tríduum, ut ad ſacrifícium purus accéderet, ut in véteri Teſtaménto légimus: & lavábat veſtiménta ſua. Si in figúra tanta obſervántia, quanta in veritáte? Diſce, Sacérdos, atque Levíta, quid ſit laváre veſtiménta ſua, ut mundum corpus celebrándis exhíbeas ſacraméntis. Si pópulus ſine ablutióne veſtimentórum ſuórum prohibebátur accédere ad hóſtiam ſuam, tu illótus mente páriter & córpore, audes pro áliis ſupplicáre? Audes pro áliis miniſtráre? Tu eléctus ex omni número filiórum Iſrael, inter ſacros fructus quaſi primogénitus æſtimátus, præpóſitus tabernáculo, ut prætendas in caſtris ſanctitátis & fídei, ad quæ ſi alienígena accéſſerit, morte moriétur.

Lectio ix. Lib. 2. Cap. 19.

FOrma enim eſſe debémus cæteris, non ſolùm in ópere, ſed étiam in ſermone, in caſtitáte ac fide. Quales habéri vólumus, tales ſimus: & qualem afféctum habémus, talem aperiámus. Neque dicámus in corde noſtro verbum iníquum, quod abſcóndi putémus ſiléntio ab eo qui audit in occúlto dicta, qui oc-

eúlta facit, & cognóſcit ſecréta víſcerum, qui ſenſum viſcéribus infúndit. Ergo tamquam ſub óculis conſtitúti júdicis, quidquid gérimus, in luce póſitū putémus, ut ómnibus manifeſtétur.

Veſperæ de ſequen. cum Comm. de Adventu tantùm.

DIE VIII.

In Feſto

CONCEPTIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex I. Claſſ.

Solemne Majus.

IN I. VESPERIS.

Veteris mulieris piando ſceleri alia deſtinatur Eva.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. d. A Muliere inítium factum eſt peccáti, & per illam omnes mórimur. *Ecclí.* 25. 33.

Ant. t. 4. E. Dixit Dóminus ad mulíerem: Quare hoc fecíſti? Quæ reſpóndit: Serpens decépit me. *Gen.* 3. 13.

Ant. t. 8. g. Ait Dóminus ad ſerpéntem: Quia fecíſti hoc, inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus. *Gen.* 3. 14. 15.

Ant. t. 5. f. Ipſa cónteret caput tuum, & tu inſidiáberis calcáneo ejus. *Gen.* 3. 15.

Ant. t. 3. a. Dómine, erit hoc memoriále nóminis tui, cùm manus fœminæ dejécerit eum. *Judith.* 9. 15.

Capitulum Sophon. 3. 14. 15.

LAuda, fília Sion, lætáre & exúlta in omni corde, fília Jeruſalem. Abſtulit Dóminus judícium tuū, avértit inimícos tuos: rex Iſrael Dóminus in médio tuî.

℟. Per te Dóminus ad níhilum redégit inimícos noſtros: * Benedíctus Dóminus, † Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórū noſtrórū. ℣. Ecce draco magnus ſtetit ante mulíerē, quæ erat paritúra fílium qui rectúrus erat omnes gentes: & projéctus eſt draco ille magnus, ſerpens antíquus, qui ſedúxit univérſum orbem. * Benedíctus. Glória. † Qui te. *Judith.* 13. 22. 24. *Apoc.* 12. 3. 4. 5. 9.

HYMNUS.

FEſtínent hílares cœlícolum chori;
Lætis terra ſonet pláuſibus: En nova
Se rerum fácies prótinus éxerit:
Mundo pax redit áurea.
Monſtrum colla tumens hórrida ſíbilis,
Intentánſque truces ex óculis minas,
Omnes peſtífero pólluit hálitu,
Virus lethíferum vomens.
Hærens inde tenax viſcéribus malum
Fœdam progéniem cum pátribus necat:
Quæ monſtrum nova vis fórtior ópprimet
Infándum caput átterens?

Unam tanta manet glória
Vírginem :
Victrix illa premet colla
ferócia ;
Exultánſque ſuper terga
teret pede,
Ne ſe quæ máculet lues.
Nunc mortale polo tolle
genus caput :
Promíſſam pátribus grátia
præparat
Evam, quæ véteris damna
resarciet
Nullo ſáucia crímine.
Labes ulla, Dei non decet
hóſpitem :
Surgit digna domus, quâ
Deus ádvena
In terris hábitet, quam
ſibi regiam
Summus cóndidit árti-
fex.
Patri máxima laus, máxi-
ma Fílio,
Sit par, Alme, tibi gló-
ria, Spíritus,
Sponſam munéribus qui
décoras tuis,
Ut ſit digna Deo Parens.
Amen.

℣. Super áſpidem & baſi-líſcum ambulábis : ℟. Et conculcábis leónem & dracónem. *Pſ* 90. 13.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Propter angúſtias, & tribulatiónem géneris tui, ſubveníſti ruínæ ante conſpéctum Dei noſtri. *Judith.* 13. 25.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Completorium ut per tempus Adventûs.

AD OFFIC. NOCT.

Invitator. Altíſſimum qui ſanctificávit tabernáculum ſuum, * Veníte, adorémus. *Pſ.* 45. 5.

Pſalmi de Off. parvo B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Sibi Deus domum ſe dignam præparat.

Ant. t. 3. *a.* Hæc eſt domus Dei; talis eſſe debet, ut in cunctis regiónibus nominétur. 1. *Paral.* 22. 1. 5.

Ant. t. 4. *E.* Opus grande eſt, neque enim hómini præparátur habitátio, ſed Deo. 1. *Paral.* 29. 1.

Ant. t. 7. *a.* Scient gentes quia ego Dóminus ſanctificátor Iſrael, cum fúerit ſanctificátio mea in médio eórum. *Ezechiel.* 37. 28.

℣. Hæc réquies mea : ℟. Hîc habitábo, quóniam elégi eam. *Pſ.* 131. 14.

De Iſaia Prophéta.

Lectio j. Cap. 44. *v.* 23. *ad* 26.

Laudáte, cœli, quóniam miſericórdiam fecit Dóminus; jubiláte, extréma terræ, reſonáte, montes, laudatiónem, ſaltus & omne lignum ejus; quóniam redémit Dóminus Jacob, & Iſrael gloriábitur. Hæc dicit Dóminus Redémptor tuus, & formátor tuus ex útero : Ego ſum Dóminus, fáciens ómnia, exténdens cœlos ſolus, ſtabíliens terram, & nullus mecum : convértens ſapiéntes retrórſum, & ſciéntiam eórum ſtultam fáciens : ſúſcitans verbum ſervi ſui, &

conſilium nuntiórum ſuórum complens.

℟. Ceſſavérunt fortes, donec súrgeret mater in Iſrael: * Nova bella elégit Dóminus, & portas hóſtium ipſe ſubvértit. ℣. Ut deſtrúeret eum, qui habebat mortis impérium, id eſt, diábolū; & liberáret eos qui obnóxii erant ſervitúti. * Nova bella. *Judith.* 5. 7. 8. *Hebr.* 2. 14. 15.

Lectio ij. Cap. 45. v. 2. ad 5. & v. 6. ad 9.

EGo ante te ibo: & glorióſos terræ humiliábo: portas æreas cónteram, & vectes férreos confríngam. Et dabo tibi theſáuros abſcónditos, & arcána ſecretórum: ut ſcias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuū, Deus Iſrael. Propter ſervum meum Jacob, & Iſrael eléctum meum, & vocávi te nómine tuo... Ego Dóminus, & non eſt alter, formans lucem, & creans ténebras, fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, déſuper, & nubes pluant juſtum: aperiátur terra, & gérminet Salvatórem: & juſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creávi eum.

℟. Audíte me, pópulus meus: * Cogitávi ut ædificárem domum, in qua requieſceret arca fœderis Dómini: & ad ædificándum, ómnia præparávi. ℣. Vidéte, & admirámini, quia opus óperor ego in diébus veſtris, opus quod non credétis, ſi quis enarráverit vobis. * Cogitávi. 1. *Paral.* 28. 2. *Act.* 13. 41.

Lectio iij. v. 14. ad 18.

HÆc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiátio Æthiópiæ, & Sábaïm viri ſublímes ad te transíbūt, & tui erunt: poſt te ambulábunt, vincti mánicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabúntur: tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſcónditus, Deus Iſrael Salvátor. Confuſi ſunt, & erubuérunt omnes: ſimul abiérunt in confuſiónem fabricatóres errórum. Iſrael ſalvátus eſt in Dómino ſalúte ætérnâ: non confundémini, & non erubeſcetis uſque in ſæculum ſæculi.

℟. Jurávit David Dñus veritátem, & non fruſtrábitur eum: * Quóniam † Elégit Dóminus Sion, elégit eam in habitatiónem ſibi. ℣. Creſcit in templum ſanctum in Dño, in habitáculum Dei in Spíritu. * Quóniam. Glória. † Elégit. *Pſ.* 131. 11. 13. *Epheſ.* 2. 21. 22.

IN II. NOCTURNO.

Primo diluculo eam ſibi immaculatam aſſumit Deus.

Ant. 4. *f.* Ipſa eſt múlier quam præparávit Dóminus Fílio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

Ant. 4. 6. *F.* Dóminus fáciens & formans te, ab útero

auxiliátor tuus. *Iſ.* 44. 2.

Ant. t. 7. a. Oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt ſicut merídies. *Iſ.* 58. 10.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iv. Libr. de Natura & Grat. Cap. 36.

CUm de peccátis ágitur, de ſancta Vírgine María propter honórem Dómini nullam prorſus habéri volo quæſtiónem. Inde enim ſcimus quòd ei plus grátiæ collatum fúerit ad vincéndum omni ex parte peccátũ, quæ concípere ac párere méruit quem conſtat nullum habuíſſe peccátum. Hâc ergo vírgine exceptâ, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas, cùm hîc víverent, congregáre poſsémus, & interrogáre utrùm eſſent ſine peccáto; quid fuiſſe reſponſúros putámus? Quantálibet fúerint in hoc córpore excelléntiâ ſanctitátis, ſi hoc interrogári potuíſſent, unâ voce exclamáſſent illud quod ait Joánnes Apóſtolus: Si dixérimus quia peccátum non habémus, nos ipſos decípimus, & véritas in nobis non eſt.

℟. Noli metúere. * Non moriéris; non enim pro te, ſed pro ómnibus hæc lex conſtitúta eſt. ℣. Ne tímeas, María, inveníſti enim grátiam apud Deum. * Non moriéris. *Eſth.* 15. 12. 13. *Luc.* 1. 30.

Sermo ſancti Anſélmi Epiſc.

Lectio v. Lib. de Conceptione Virginis, & originali peccato, Cap. 18.

QUamvis de mundíſſima Vírgine Fílius Dei veríſſimè concéptus ſit, non tamen hoc eâ neceſſitáte factũ eſt, quaſi de peccatríce paréntè juſta proles rationabíliter generári per hujúſmodi propagatiónem nequíret; ſed quia decébat ut illíus hóminis concéptio de matre puríſſima fíeret. Nempe decens erat, ut eâ puritáte, quâ major ſub Deo nequit intélligi, Virgo illa nitéret, cui Deus Pater [illegible] Fíliũ ſuum, quem [illegible] corde ſuo æquálem ſibi génitum tamquam ſeipſum diligébat, ita dare diſponébat, ut naturáliter eſſet unus idémque commúnis Dei Patris & Vírginis Fílius.

℟. Benedícite Deum noſtrum, qui póſuit ánimam meam ad vitam. * Veníte, audíte, & narrabo, omnes qui timétis Deũ, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. Fecit mihi magna qui potens eſt. * Veníte. *Pſ.* 65. 8. 9. 16. *Luc.* 1. 49.

Sermo S. Joánnis Damaſcéni.

Lectio vj. In Nativitatem B. M. V. Orat. 1.

QUid autem quòd Virgo mater orta ſit ex ſteríli? Quia ſcílicet oportébat ut ad id quod ſolum ſub Sole novum futúrum erat, ac miraculórum caput, via per mirácula ſterneretur, ac pau-

árim ab humilióribus ad ſublimióra progréſſus fieret; quamquam ália quoque álior ac dívinior rátio à me afférri poteſt. Etenim natúra grátiæ cedit, ſtatque ſubtremula non ſúſtinens prógrédi. Quóniam ítaque futúrum erat ut Dei génitrix Virgo ex Anna naſcerétur, natura grátiæ fœtum antevértere mínimè auſa eſt, ſed manſit infructuóſa, dum grátia fructum edidíſſet.

℟. Vivit ipſe Dóminus, & * Non permíſit me ancíllam ſuam coinquinári, ſed † Sine pollutióne peccáti revocávit me vobis, gaudéntem in victória ſua, in evaſióne mea, & in liberatióne veſtra. ℣. Fecit poténtiam in bráchio ſuo. * Non permíſit. Glória. † Sine pollutióne. *Judith.* 13. 20. *Luc.* 1. 51.

IN III. NOCTURNO.

Quàm uberes Virgini collata gratia.

Ant. t. 6. f. Quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus ejus. *Oſee.* 6. 3.

Ant. t. 2. d. Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5. 3.

Ant. t. 5. f. Anteíbit fáciem tuam juſtítia tua, & glória Dómini cólliget te. *Iſ.* 58. 8.

℣. Concupíſcet Rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1. *v.* 1.

Liber generatiónis Jeſu Chriſti, filii David, fílii Abraham. Abraham génuit Iſaac; Iſaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lib. 2. de Conſenſu. Evang. Cap. 1. *n.* 2.

Matthæus Evangeliſta ſic orſus eſt: Liber generatiónis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Quo exórdio ſuo ſatis oſténdit generatiónem Chriſti ſecúndùm carnem ſe ſuſcepiſſe narrándam. Secúndùm hanc enim Chriſtus fílius hóminis eſt: quod étiam ſe ipſe ſæpíſſimè appéllat, commendans nobis quid miſericórditer dignátus ſit eſſe pro nobis. Nam illa ſupérna & ætérna generátio, ſecúndùm quam Fílius Dei unigénitus eſt ante omnem creatúram, quia ómnia per ipſum facta ſunt, ita ineffábilis eſt, ut de illa dictum à Prophéta intelligátur: Generatiónem ejus quis enarrábit?

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo: * Quia índuit me veſtiméntis ſalútis: & induménto juſtítiæ circúmdedit me. ℣. Exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo. * Quia. *Iſ.* 61. 10. *Luc.* 1. 47.

Lectio viij.

Exéquitur ergo humánam generatiónem Chriſti Matthæus, ab Abraham ge-

neratóres commémorans, quos perdúcit ad Joſeph virum Maríæ de qua natus eſt Jeſus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum à conjúgio Mariæ ſeparándum putáret, quòd non ex ejus concúbitu, ſed Virgo péperit Chriſtum. Hoc enim exémplo magnífice inſinuátur fidelibus conjugátis, étiam ſervátâ pari conſénſu continéntiâ, poſſe permanére, vocárique conjúgium, non permixto córporis ſexu, ſed cuſtodíto mentis affectu; præſértim quia naſci eis étiam filius potuit ſine ullo compléxu carnáli, qui propter ſolos gignéndos filios adhibéndus eſt.

℟. Laudáte Dóminum Deū noſtrum: * In me ancíllâ ſuâ adimplévit miſericordiā ſuam, quam promíſit dómui Iſrael. ℣. Suſcépit Iſrael púerum ſuum, recordatus miſericórdiæ ſuæ. * In me. *Judith*. 13. 17. 18. *Luc*. 1. 54.

Lectio ix. Cap. 2.

CUm evidénter dicat Apóſtolus Paulus, ex sémine David ſecúndum carnem Chriſtum, ipſam quoque Maríam de ſtirpe David conſanguinitátem duxíſſe, dubitáre útique non debémus. Cujus fœminæ, quóniam nec ſacerdotále genus tacetur; inſinuánte Lucâ, quòd cognáta ejus eſſet Elizabeth, quam dicit de filiábus Aaron; firmíſſime tenéndum eſt, carnem Chriſti ex utróque génere propagátam, & regum ſcílicet, & ſacerdótum; in quibus persónis apud illum pópulum Hebræorum étiam myſtica únctio figurabátur, id eſt, chriſma, unde Chriſti nomen elucet, tantò ante, étiam illâ evidentiſſimâ ſignificatióne prænuntiatum.

℟. Lætámini, &* Exultáte in ea, omnes qui diligitis eam, ut ſugátis, & † Repleámini ab úbere conſolatiónis ejus, ut delíciis affluátis ab omnímoda glória ejus. ℣. Reſpéxit Dóminus humilitátem ancíllæ ſuæ. * Exultáte in ea. Glória. † Repleámini. *Iſ.* 66. 10. 11. *Luc*. 1. 48.

Te Deum.

AD LAUDES.

Virg. piæ in Deo gratulationes.

℣. *Sacerdos*. Magnificáte Dóminum mecum.

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ*. 33. 4.

Pſal. de Dom. ñ. Canticum ut in parvo Officio B. M. V.

Ant. AUribus percípite, príncipes: Ego ſum, ego ſum quæ Dómino canam. *Judic*. 5. 3.
t. 5. *f*.

Ant. t. 6. *F*. Dilatátum eſt os meum ſuper inimícos meos: læta ſum in ſalutári tuo. 1. *Reg*. 2. 1.

Ant. t. 2. *d*. Dóminus ab útero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nóminis mei. *Iſ*. 49. 1.

Ant. t. 3. *A*. Deus fecit virtútem in Iſrael: interfécit in manu mea hoſtem pópuli ſui. *Judith*. 13. 13. 18.

Ant. 8. *g.* Omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus fœminæ, & confódit eum. *Judith.* 16. 7.

Capitulum. Gen. 49. 25. 26.

Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cœli déſuper, benedictiónibus abyſſi deórſum. Benedictiónes patris tui confortátæ ſunt benedictiónibus patrum ejus: donec veníret deſiderium cóllium æternórum.

℣. Deus operátus eſt ſalútem in médio terræ.

℟. Tu confregíſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Bened. Ant. t. 5. *f.* Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum. *Judith.* 13. 25.

Oratio.

Deus ineffábilis miſericórdiæ, qui primæ piácula mulíeris per Maríam Vírginem expiánda ſanxíſti: da nobis, quæſumus, Concéptiónis ejus dignè ſolémnia venerári, quæ Unigénitum tuum Virgo concépit, & Virgo péperit Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum.

Fit Comm. de Adventu.

Ad Horas breves Antiphonæ de Laudibus, Hymni & Pſalmi de Dominicá.

In Hymnis Doxologia.

Jeſu tibi ſit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, &c.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Quem María concípiet & páriet. *Luc.* 1. 31.

CANON

Ex concilio Tridentino.

Seſs. 5. *decr.* 5. *de pecc. orig.*

Declárat ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentiónis, comprehéndere in decréto, ubi de peccáto originali ágitur, beátam & immaculátam Vírginem Maríam Dei genitrícem; ſed obſervándas eſſe conſtitutiónes Sixti Papæ quinti, ſub pœnis in eis Conſtitutiónibus conténtis, quas ínnovat.

AD TERTIAM.

Capitulum. Apoc. 22. 3.

Omne maledíctum non erit ámplius; ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus sérvient illi.

℟. Deus Iſrael * Eréxit cornu ſalútis nobis in domo David púeri ſui, ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, & memoráre teſtaménti ſui ſancti. ℣. Creávit Dóminus novum ſuper terram: Fœmina circúmdabit virum. * Eréxit. Glória. * Eréxit. *Luc.* 1. 68. 69. 72. *Jer.* 31. 22.

℣. Conféſſio & pulchritúdo in conſpéctu ejus; ℟. Sanctimónia & magnificentia in ſanctificatione ejus, allelúia. *Pſ.* 95. 6.

Per Octavam ℟. *br.* In Deo ſalutáre meum: * Allelúia, allelúia. In Deo. ℣. Et glória mea. * Allelúia. Gloria. In Deo. *Pſ.* 61. 8.

℣. Dómine, in voluntáte tua, ℟. Præſtitíſti decóri meo virtútem, allelúia *Pſ.* 29. 8.

ADSEXTAM.

Capitulum. Baruch. 5. 1. 2.

INdue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt, ſempitérnæ glóriæ. Circúmdabit te Deus diplóide juſtítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni.

℟. *br.* De ventre matris meæ Deus meus es tu. * Allelúia, allelúia. De ventre. ℣. Spes mea ab ubéribus matris meæ. * Allelúia. Glória. De ventre. *Pſ.* 21. 11. 10.

℣. Suſcepiſti me, Dómine, ℟. De útero mátris meæ, allelúia. *Pſ.* 138. 13.

ADNONAM.

Capitulum. Judith. 16. 31.

DIes victóriæ hujus feſtivitátis in número ſanctórum diérum accipitur, & cólitur.

℟. *br.* Deus præcínxit me virtúte. * Allelúia, allelúia. Deus. ℣. Et póſuit immaculátam viam meam. * Allelúia. Glória. Deus. *Pſ.* 17. 33.

℣. In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluíſti me: ℟. Quoniam non gaudébit inimícus meus ſuper me, allelúia. *Pſ.* 40. 12.

AD II. VESPERAS.

Operis ſui magnifica laudat Dominus.

Pſalmi ut in parvo Officio B. M. V.

Ant. 1. 3. *a.* SIcut Lilium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2. 2.

Ant. 2. 4. *E.* Sicut lux Auróræ, oriénte Sole, mane abſque núbibus rútilat. 2. *Reg.* 23. 4.

Ant. 3. 5. *f.* Tota pulchra es, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4. 7.

Ant. 4. 6. *F.* Erúmpet, quaſi manè lumen tuum, & sánitas tua citiùs oriétur. *Iſ.* 58. 8.

Ant. 5. 3. *E.* Erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Iſ.* 60. 19.

Capitulum. Eccli. 24. 12. 13.

QUi creávit me, requiévit in tabernáculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhábita, & in Iſraël hæreditáre, & in eléctis meis mitte radíces.

HYMNUS.

SAcro tuméntes gérmine
jam polus
Terras amícis imbribus irrigat:
De ſtirpe Jeſſe virga ſurgit,
Conſpícuū paritúra florem.
Unus bonórum fons, Deus, ómnium,
Quàm liberáli fundis opes manu!
Non antè concéſſis Maríā
Quot próperas cumuláre donis!
Inter rigéntes, ceu roſa, cláuditur
Spinas, & acres vincit acúleos;
Præſens amáram virulénti

Grátia vim frúticis re-
fúndit.
Quantùm pudicas inclyta
Vírgines
Præſtat, remóto quæ Dó-
minam gradu
Sequúntur, & Regis parén
tem
Sidéreâ comitántur aulâ!
Nec Angelórum par decus: hi Deo
Aſtant ſedénti; fert hómi-
nem Deum
María, nomē dulce matris
Virgíneo sóciās honóri.
Regina mūdi Virgo, cliéntiū
Tutéla, mœſtis perfúgium
reis,
Fer noſtra Nato vota: triſtē
Non pátitur Génitrix re-
pùlſam.
Sit Trinitáti perpétuū decus,
Inflícta mundo quæ míſe-
rans mala,
In matre pignus naſcitúri
Non dúbium dat habére
Chriſti. Amen.

℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, ℟. In fímbriis áureis circumamícta varietátibus *Pſ.* 44. 14. 15.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *F.* Una eſt perfécta mea: vidérunt eam fíliæ, & beatíſſimam prædicavérunt. *Cant.* 6. 8.

Com. de Adv. & de S. Romarico, Monacho Tullenſi.

Diebus per Octavam

Semiduplex.

Invit. ut in die: Pſal. de Feria: tres Ant. ℣. & ℟. ℟. ℟. *ex uno Noct. dici: ſcilicet Feriâ* 2. & 5. *ex I. Noct. Feriâ* 3. & 6. *ex II. Noct. Feriâ* 4. & *Sabb. ex III. Noct. Lect. ut notantur in qualibet die.*

Ad Laudes prima Antiph. de Laud. diei ſuper Pſal. de Feria: cætera ut in die.

Ad Horas br. Pſal. de Feria; Ant. de Laudib. quartâ omiſſâ: notandum quòd antiqua rubrica in eo mutata ſit, ut ſervetur relatio quæ exactè compoſita eſt inter Antiph. aſſumendas è Laudibus, & Horas breves.

Ad Veſperas prima & ſola Ant. de 2. *Veſperis Feſti, Pſalmi de Feria; reliqua ut in die.*

Officium fit de Dominica occurrente per Octavam, incipiendo à Veſperis Sabbati, cum Commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laud. Nulla in Officio Dominicæ erit Lectio de Octava, ſed 9. Lectio erit de Sancto, ſi quis occurrat Sim.

Die ix. Decembris.

DE OCTAVA,

Niſi ſit Dominica.

Semidupl.

Poſt Commem. de Adventu, Comm. S. Romarici, Monachi Tullenſis.

Oratio Omnípotens, *pag.* xl.

Lectio j. de Scriptura occur. ex tribus fit una.

Lectio ij. de Octava.

Sermo ſancti Procli Epiſc. *In S. Deip. Orat.* 6. *circa fin.*

QUibus encomiórum colóribus Virginálem depíngam imáginem? Quibus laudum præcóniis incontaminátam exornabo caſtimó-

niæ caracterem? Hæc, ſacrum impeccantiæ ádytum: hæc, ſanctificátum Dei templum: hæc, áureum altáre holocautomatum: hæc, divínum compoſitiónis thymiáma: hæc, ſacrum unctiónis óleum: hæc, pretióſum nardi píſtici alabáſtrum: hæc, ſacerdotále Ephod, Dei voluntátem indicans: hæc, áureum candelábrum, ſeptem Ellychniorum lucérnam portans: hæc, arca intrínſecus & extrínſecus deaurata; córpore ſcilicet & ſpíritu ſanctificáta.

Lectio iij. de S. Romarico.
Ex auctore S. Romarici diſcipulis coævo apud Mabil.

Romaricus in Theodeberti Auſtráſiæ regis aulâ inter regni proceres enutrítus, ſic à fallácibus mundi illécebris, cavit júvenis, ut ſua morum caſtitáte áulicis ómnibus fieret exémplum. Várias deínde in ſumma regni tempeſtáte rerum ſuárum fortúnas expértus, hortatóriis ſancti Amáti, quem aliquándo hóſpitě hábuit, verbis ádeò ſuaſus eſt, ut mundo valedícens, ad Monaſtérium Luxoviénſe vénerit, futúrus ſub ſancto Euſtáſio vitæ perféctæ diſcípulus. Ibi, cum vanam omnem glóriam calcáſſet, eum virtutis gradum aſſecútus eſt, cui cibus, jejúnium eſſet; paupértas, opuléntia; cruciatus, delíciæ; negótium omne, exhibénda ægris & egénis charitátis officia. Ne autem ſuis quidquam deeſſet opéribus, in prædio quod, poſt erogáta paupéribus ómnia, ſibi ad montes Vóſagos ſupérerat únicum, duo conſtruxit Monaſtéria, unum viris, virgínibus álterum; ad quod tantus conflúxit vírginum númerus, ut brevi fúerint pares, quæ in ſeptem turmas diviſæ, perénnem in Romarico monte (qui & Mons Sanctus dictus eſt) noctu ac intérdiu Deo laudem perſólverent. Abbas poſt ſanctum Amátum præféctus utríque Monaſtério Romaricus, poſt implétas ſumma cum laude per annos vigínti ſex officii ſui partes, móritur, gratus Deo, ſuis diléctus, clarus méritis, & prope magíſtri ſui Amáti tumulum ſepelítur. Inde, ob vaſtátum décimo ſæculo ab Hunnis Monaſtérium, corpus ipſíus ad novam trans flumen ſancti Petri Eccléſiam Romaricomontánam translátum eſt, & in ea cónditum, donec ſummus Póntifex Leo nonus, olim Tullénſis Epíſcopus, Romarico ſanctórum decrévit honóres, & ipſíus relíquias in altum ſuſtulit.

Dies x.
De Octava.
Semidupl.

Duæ primæ Lect. ex Script. occ. ex 2. & 3. ſic 1. & ſic in omnibus Off. 2. Lect. cum tertia eſt de Sancto, vel de Homilia.

Lectio

Lectio iij.

Ex Libro ſancti Fulgéntii Epíſcopi, de fide ad Petrum. *Cap. 2.*

Deus factus eſt Filius Vírginis Maríæ, & María Virgo facta eſt mater Unigéniti Dei; ut quem Pater génuit ex æternitáte, ipſum Virgo concéptum proferret in témpore. Illa útique eſt Virgo, quam Deus qui de ea fúerat naſcitúrus, ita ſingulari grátiâ prævénit, atque replévit, ut ipſum habéret ventris ſui fructum, quem ex initio habuit univérſitas Dominum: & ipſum ſibi vidéret naſcéndi ſolemnitáte súbditum, quem in unitáte patérnæ ſubſtántiæ, non ſolùm humána, ſed étiam Angélica creatúra cognóſcit & adórat Altíſſimum.

In Veſp. poſt Comm. de Adventu, fit Comm. de ſequenti.

DIE XI.

DE OCTAVA,

Semidupl.

Commemoratio

SANCTI DAMASI, Papæ.

Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij. de Octava.

Sermo Sancti Petri Chryſologi.

Serm. 143.

Vidétis quibus eſt Virgo oppignoráta munéribus (Ave, grátiâ plena.) Hæc eſt grátia quæ dedit cœlis glóriam, terris Deum, fidem géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus diſciplínam. Hanc grátiam détulit Angelus, accépit Virgo, ſalutem ſæculis reddi-túra. Ave, grátiâ plena; quia ſingulis grátia ſe eſt largíta per partes: Maríæ verò ſimul ſe totam dedit grátiæ plenitúdo. Omnes, inquit Evangeliſta, de plenitúdine ejus accépimus. Unde & David dicit: Deſcéndit ſicut plúvia in vellus. Vellus, cùm ſit de córpore, neſcit córporis paſſiónes; ſic virgínitas, cùm ſit in carne, vítia carnis ignórat.

Lectio iij. de S. Damaſo.

Ex ejus ſcriptis, ex Socrate, Sozom, Theodor. Hieron. & aliis.

Damaſus poſt Libérium Románus Pontifex, quem manifésto Dei judício eléctum teſtátur ſanctus Ambróſius, várias Pontificátûs inítio expértus tempeſtates, tandem dejécto in Synodo Románâ Urſicíno, qui quorúmdam factióne pſeudo-epíſcopus ordinátus fúerat, ómnium vota obtínuit. Hic in írritum miſit Ariminénſem convéntum, in quo Cathólicis fraudem ſtrúxerat Valéntis potíſſimùm, & Urſácii perfídia, detectámque in Synodo Apollinári s hæreſim primus anathémate percúſſit. Accépit litteras à Pátribus in Concílio ſecúndo Oecuménico Conſtantinó-

poli congregátis, cujus decréta pro fide rata hábuit. Priſcillianiſtas in Synodo Cæſarauguſtána ſolemni judicio proſcriptos, cùm purgándæ fidei ſuæ ſpécie Romam veniſſent, ne ad conſpéctum quidem admittere vóluit. Ejus juſſu ſanctus Hierónymus, quem ad conſcribéndas litteras & reſponſiónes ſynodáles accerſíverat, novum Teſtaméntum græcæ fídei réddidit, & Pſaltérium quo Romána utebátur Eccléſia juxta Septuaginta Intérpretum translatióne emendávit. Eleganti, præſértim in componéndis vérſibus, ingénio præditus, metro & ſolútâ oratióne multa ſcripſit. Tandem annis octódecim in Pontificatu exactis, Theodóſio imperánte, decéſſit, & viâ Ardeatínâ ſepúltus eſt.

Die xii.

De Octava.

Semiduplex.

Lectio iij.

Sermo ſancti Petri Chryſólogi.

Sermon. 143.

Verè benedícta Virgo, quæ & virginitátis póſſidet decus, matris & pértulit dignitátem. Verè benedícta, quæ & supérni concéptûs meruit grátiam, & ſuſtulit integritatis corónam. Verè benedícta quæ & divíni gérminis ſuſcépit glóriam, & Regina totius éxtitit caſtitátis. Verè benedícta, quæ fuit major cælo, fórtior terrâ, orbe látior: nam Deum, quem mundus non capit, ſola cepit. Portávit eum qui portat orbem: génuit genitórem ſuum: nutrivit ómnium vivéntium nutritórem.

In Veſperis poſt Comm. de Adventu fit Comm. de ſancta Lucia, Virg. & Martyre ut infrà.

Die xiii.

De Octava.

Semiduplex.

Commemoratio.

S. LUCIÆ SYRACUS. Virginis & Martyris.

Oratio. Deus qui inter cætera, *pag.* lj.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij. de Octava.

Sermo ſancti Andréæ Creténſis.

In Bibl. Patrum.

Benedícta tu inter mulieres. Verè quidem benedícta; nam benedixit te Deus ſuum tabernáculum, quando patérnâ glóriâ exímiè plenum hóminē Chriſtum Jeſum, eumdémque Deum, ex quibus ac in quibus perfectus conſtat natúris, incomprehénſâ ratióne útero geſtaſti. Benedícta tu inter mulíeres, quæ cæléſtem theſaurum, in quo ſunt omnes theſáuri ſapientiæ & ſciéntiæ abſcónditi, in virginitátis tuæ inviolato thálamo nihil anguſtátum compléxa es. Benedícta tu in-

mulíeribus, quæ ſola benedictiónem hæreditáte conſecúta es, quam Deus per Abraham géntibus promíſerat. Benedícta tu in muliéribus, quam generatiónes beátam dicunt, quam reges gloríficant, quam príncipes venerántur; cujus vultum dívites plebis deprecántur, quamque vírgines & ſubſequéntes & præeúntes in templum regis comitántur.

Lectio iij. de S. Lucia.

Ex libro ſancti Adélmi Epíſcopi, de láudibus ſanctæ Virginitátis. *Cap.* 23.

Sicut Catanénſe municípium, præ cæteris Trinácriæ úrbibus, Agathæ martyrio felíciter coronátur; ita famosíſſimæ Chriſti tyrúnculæ Lúciæ prærogatívâ, Siracúſæ, óppidum Siciliæ, próſperis ſucceſſibus ſublimátur. Quæ genitrícem prolíxâ valetúdine fatigátam, & méritis Agathæ à rivo cruóris curátam, cùm alternátim confabularentur, hujúſmodi précibus interpéllans: Per ipſam, inquit, te dépreeor, quæ te ſervávit, ne tu mihi ſponſum nómines... ſed ómnia quæ mihi eúnti ad corruptiónis meæ auctórem hóminem moritúrum eras datúra, da mihi eúnti ad integritátis meæ auctórem Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum. Matre ígitur conſentiénte, fit rerum repentína diſtráctio; ac dum carnále diſſipátur patrimónium, ſpirituale exercétur matrimónium. Verùm pro hujúſmodi negótio ſponſus iracúndiæ fácibus inflammátur. Paſcháſius conſul tribunítiâ poteſtáte fretus, facti angóre afficitur, eò quòd Chriſti tyrúncula, nec ſermónum ſeveritáte caſtigáta, nec lenónũ falláci lenocínio trádita, à rígido virginitátis propóſito pénitùs infléćti váluit; quamvis réſtibus conſtrictam, ad deteſtábile proſtíbulum & invíſum lupánar ſcortórũ trúdere niterētur ſanctam; ſed ab omni magórũ máchina illæſam, & arúſpicũ ſuperſtitióne incontaminátam Chriſti tutéla protéxit. Poſtrémò furibúndus conſul flammívomis aſsándam tórribus trádidit; ita ut atræ picis & reſinæ foméntum cum ſtillánte óleo rogórum incéndia cumulárent. Sed hæc divínæ poteſtátis ímbribus ſopíta, dicto cítiùs tabuérunt. Igitur beáta Lúcia, ſalvo pudóris ſignáculo, glorióſum martyrii triúmphum méruit; dum mucróne confóſſa, máluit purpúreum ſánguinem fúndere, quàm pretióſam pudicítiam pérdere.

Commemor. de Adventu.

Die xiv.

DE OCTAVA.

Semiduplex.

Lectio iij.

De ſermóne ſancti Joánnis Damaſcéni.

Serm. 2. de Nat. B. M. V. n. 1. & 2.

GRatiárum actiónis cántica depromamus cum Davíde, exultémus Dómino, jubilémus Deo Salvatóri noſtro. Omnium conditóri templum quo excipiátur extrúctum eſt; quia Verbo rerum opífici, hoſpítii domus eſt paráta... David Deíparens, gaude animo: Iſaia Prophetárum primas, exhiláráre: alter quidem, quod tuis ex lumbis, uti juratum erat, Regína procedat, ex qua Deus fructum tuum ſuper ſedem tuam poſitúrum promíſerat: alter verò, quòd finem hábeat vaticínium illud tuum: Egrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet. Virga Virgo eſt, ex quâ íntegro decóre mulíebri flóridus perenníſque flos Chriſtus aſſúrgit.

Die xv.

OCTAVA CONCEPTIONIS B. M. V.

Dupl. 4. Claſſis.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ ſequuntur.

In 1. Veſperis poſt Comm. de Adventu fit Comm. S. Euſebii, Vercellenſis Epiſc.

Oratio. Da Eccleſiæ tuæ, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si ſint quatuor Tempora. 2. Lectio de Scrip. occurr. dividitur in duas partes.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro ſancti Epiphánii Epiſcopi adverſùs Hæreſes.

Lectio iv. Hæreſi 78.

MAría ſignificátur per Hevam, quæ vivéntium mater ænígmatis involúcro nuncupátur. Illic enim mater vivéntium appelláta eſt, cùm jam illud audíſſet: Terra es, & in terram revertéris, poſt tranſgreſſionem. Idque mirum eſt, quòd poſt offenſiónem ádeò magnum cognomen ei attribútum fuit. Ac ſecúndùm id quod ſénſibus obvium eſt, ab illa Heva totíus géneris humáni orígo in terra dedúcta eſt: hic verò à María vita ipſa verè in mundum introducta eſt, ut vivéntem páriat, & ſit María mater vivéntium. Per ænígma ígitur María mater vivéntium vocáta eſt.

Lectio v.

HEva homínibus cauſam mortis áttulit: per eam quippe mors intrávit in mundum. María verò cauſam vitæ præbuit, per quam vita nobis nata eſt. Atque ídeò Fílius Dei in mundum advénit: & ubi abundávit delíctum, ſuperabundávit grátia: & unde mors accidit, vita illinc proceſſit, ut in mortis locum vita ſuccéderet; & illátam à mulíere mortem, ille qui è mulíere, vita ut eſſet noſtra, natus erat, excluderet. Et quia illic quidem Heva, cùm eſſet virgo, in tranſgreſſione inobedién-

tiæ éxtitit; rurſus per vírginem facta eſt obediéntia grátiæ, cùm evangelizátus eſt de cœlo advéntus vitæ ætérnæ ſecúndùm carnem.

Lectio vj.

NAm illìc ait ad ſerpéntem Deus: Inimicítiam ponam inter te & inter illam, inter ſemen tuum & ſemen illius. Atqui nuſquam ſemen mulíeris invenítur: unde non áliter quàm per adũbratiónẽ ad Hevam illæ inimicítiæ referúntur, quas cum hujus ſtirpe ſerpens, atque in eo diábolus, & invídia exércent. Et perfécte quidem accommodári ad illam univérſa néqueunt: verè autem impléntur in sémine ſancto, exímio, ac ſinguléri, quod à ſola María Vírgine ſine ullo viri consórtio propagátum eſt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1. 1.

LIber generatiónis Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham génuit Iſaac: Iſaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília ſancti Irenæi Epíſcopi & Mártyris.

Lib. 3. cont. Hær. Cap. 21. n. 9.

NEc Rex eſſe poteſt Chriſtus, ſi Joſeph filius fuiſſet, nec hæres ſecúndùm Jeremíam. Joſeph enim Jóachim & Jechoníæ filius oſténditur, quemádmodum & Matthæus generatiónem ejus expónit. Jechonías autem & qui ab eo, omnes abdicáti ſunt à regno, Jeremía dicénte: Scribe virum hunc abdicátum hóminem, quóniam non augébit de sémine ejus ſedens ſuper thronum David, princeps in Juda. Dicta ſunt hæc de Jechonía, Spíritu præſciénte ea, quæ à malis doctóribus dicúntur; uti diſcant, quóniam ex sémine ejus, id eſt, ex Joſeph non erit natus, ſed ſecúndùm repromiſſiónem Dei de ventre David ſuſcitátus Rex ætérnus.

Lectio viij. n. 10.

ET quemádmodum protopláſtus ille Adam, de rúdi terra, & de adhuc vírgine hábuit ſubſtántiam; ita recapítulans in ſe Adam, ipſe Verbum exíſtens ex María, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiébat generatiónem Adæ recapitulatiónis. Quare ígitur non íterum ſumpſit limum Deus, ſed ex María operátus eſt plaſmatiónem fieri? Ut non ália plaſmátio fieret, neque ália eſſet plaſmátio quæ ſalvarétur; ſed éadem ipſa recapitularétur, ſervátâ ſimilitúdine.

Lectio ix. De S. Euſebio (niſi dicenda ſit Homilia quatuor Temporum.)

Ex Epíſtola ſancti Ambróſii ad Ecclésiam Vercellénſem. *n. 66. 68. 71. & 74.*

PRimus in Occidéntis pártibus divérſa inter ſe Euſébius ſanctæ memóriæ con-

júnxit; ut & in civitáte póſitus inſtitúta monachórum tenéret, & Eccléſiam régeret jejúnii ſobrietáte. Exívit de terra ſua & de cognatióne ſua, & doméſtico ótio peregrinatiónem prætulit. Pro fide quoque exílii dura præoptávit atque elégit, conjúncto ſibi ſanctæ memóriæ Dyoníſio, qui poſthabuit imperatóris amicítiam exílio volũtário. Itaque memorábiles viri circúmdati armis, vallàti exércitu, cùm raperéntur de Eccléſia majóre, triumphábant de império: quia contuméliâ terréſtri mercabántur mentis fortitúdinem, regni poténtiam, quibus militáris armórum ſtrépitus extorquére non pótuit fidem. Hæc patiéntia in ſancto Euſébio monaſtérii coáluit uſu, & durióris obſervatiónis conſuetúdine hauſit labórum toleràntiam. Namque hæc duo in attentióre Chriſtianórum devotióne præſtantióra eſſe quis ámbigat, Clericorũ offícia & Monachórum inſtitúta? Iſta ad commoditátem & moralitátem diſciplína, illa ad abſtinéntiam aſſuefácta atque patiéntiam: hæc velut in quodam theátro, illa in féretro: ſpectátur iſta, illa abſcónditur: hæc dímicat, illa verò ſe rémovet: hæc illécebras vincit, illa réfugit: huic mundus crucifígitur, vel ipſa mundo; illi ignorátur: huic plura tentamenta, & ideò major glória; illi infrequéntior lapſus, facílior cuſtódia.

Die xxi.

S. THOMÆ, Apóſtoli.

Omnia de Communi Apoſtol. præter ea quæ ſequuntur.

Ad Magnif. *In* I. *Veſp. Ant. t.* 8. g. Dicit Thomæ Jeſus: Ego ſum via, & véritas, & vita: nemo venit ad Patrẽ, niſi per me. *Joan.* 14. 6.

Oratio.

Da nobis, quæſumus, Dómine, beáti Apóſtoli tui Thomæ ſolemnitátibus gloriári; ut ejus ſemper & patrocíniis ſublevémur, & fidem cóngruâ devotióne ſectémur; Per, &c.

Comm. de Adventu per Ant. O.

IN I. NOCTURNO.

Tres Lectiones de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Evang. Euſeb. Lib. I. *C.* 13. *item Lib.* 2. *&* 3. *Gaudent. Homilia* 17. *apud Photium, Ruff. Hiſtor. Lib.* 2. *Greg. Tur. de glor. Mart. Lib.* I. *Socrat. Lib.* 4. *S. Paulino, Chryſoſt. Hom.* 62 *in Joan. & aliis.*

Thomas, qui & Didymus, unus fuit ex duódecim quos elégit è diſcípulis ſuis Chriſtus, & Apóſtolos nominávit. Dóminum audítâ morte Lázari, in Judæam proficíſci voléntem cùm diſcípuli objécto lapidatiónis perículo deterrere conaréntur, dixit Thomas

ad condiſcípulos: Eámus & nos, ut moriámur cum eo. Cùm autem Chriſtus tranſitúrus ad Patrem dixiſſet diſcípulis: Vado paráre vobis locum; ſciſcitátus Thomas quò váderet, & quam iníret viam, his ab eo verbis edóctus eſt: Ego ſum via, véritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me. Poſt octo à reſurrectióne dies vidit ſtantem Dóminum in médio diſcipulórum; & qui priùs cæteris Apóſtolis eum reſurrexiſſe narrántibus non credíderat, præséntem intúitus, exclamávit: Dóminus meus, & Deus meus.

Lectio v.

HÆc autem erat témpore Orígenis vulgáta apud fidéles tradítio, ut narrant Eusébius & Rufínus, ſcílicet, quòd poſt accéptum Spíritum ſanctum, Thomas Parthis, qui tum Médiam, Pérſidem & regiónes álias plures incolébant, Evangélium prædicáverit. Ad Indos étiam ipſum fidem invexíſſe, ibíque, dum incrédulis, & iníquis regnum Dei & juſtítiam annuntiáret, martyrio coronátum multi ſcribunt ſancti Patres, inter quos Gregórius Nanzianzénus, Hierónymus, Ambróſius, & Gaudéntius. Quin & Thomam tot ac tam divérſis regiónibus appuliſſe exiſtimábant véteres, ut indeféſſos ipsíus labóres ſic exſcríberet Chryſóſtomus Homíliâ in Joánnē ſexagéſimâ ſecúndâ: Is quem ita infirmum ante crucem vídimus, poſt crucem & poſt reſurrectiónis fidem, ferventíſſimum ómnium conſpícimus Qui cum Chriſto Bethániam ire non audébat, hic Chriſto non præſénte orbem ferè percúrrit.

Lectio vj.

CAlamínæ, ſeu in Indiæ loco illo, in quo corpus ejus primùm cónditum fuit, extrúctum eſt monaſtérium & templum miræ magnitúdinis, in quo Deus multis miráculis Apóſtoli ſui glóriam declarávit. Edéſſæ in Meſopotámia, quò ejus relíquiæ translátæ ſunt, ádeò célebris erat ad finem ſæculi quarti dicáta ſub ejus nómine baſílica inſígnis, ut in ea propter loci ſanctitátem collécta ſine intermiſſióne celebraréntur. Hujus ſpectándæ causâ Valens Imperátor Ariánus Edéſſam proféctus, cùm pulſos ex ea Orthodóxos úndique in campum vicínum confluere ægrè ferret, extréma quæque licèt minátus, fruſtrà prohibére tentavit, & parátos omnes invénit, qui mortem pro fide oppéterent.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 20. *v.* 24.

IN illo témpore; Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat

cum eis, quando venit Jeſus. Et réliqua.

Homília S. Auguſtíni Epíſc.

Serm. in diebus Paſch. 29.

DIcébant Thomæ condiſcípuli ejus: Vídimus Dominum. Et dicébat ipſe: Niſi tetígero, niſi dígitum miſero in latus ejus, non credam. Evangeliſtæ tibi annúntiant, & non credis. Ipſis crédidit mundus, & non credit diſcípulus. De ipſis dictum eſt: In omnem terram éxiit ſonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Exeunt verba eórum; pervéniunt uſque in fines terræ; credit totus mundus: annúntiant omnes uni, & non credit. Nondum erat dies quam fecit Dóminus. Adhuc ténebræ erant in abyſſo, in profunditáte cordis humáni. Véniat ille, caput diei hujus véniat, & dicat pátiens, mitis, non irátus, quia médicus: Veni, inquit, veni, tange hoc, & crede.

Lectio viij.

DIxiſti: Niſi tetígero, niſi dígitum miſero, non credam. Veni, tange, mitte dígitum, & noli eſſe incrédulus, ſed fidélis. Veni, mitte dígitum. Sciébam vúlnera tua, ſervávi tibi cicatrícem meam. Sed planè mittens manum ſuam complévit fidem. Quæ eſt enim fidei plenitúdo? Ut non credátur Chriſtus tantùm homo, nec credátur Chriſtus tantùmmodo Deus, ſed homo & Deus. Ipſa eſt fidei plenitúdo; quia Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis.

Lectio ix.

ERgo iſte diſcípulus, oblátis ſibi tangéndis cicatrícibus & membris Salvatóris ſui, ubi tétigit, exclamávit: Dóminus meus, & Deus meus. Hóminem tétigit, Deum cognóvit: tétigit carnem, & reſpéxit ad Verbum, quia Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis. Verbum hoc paſſum eſt carnem ſuam ſuſpéndi in ligno: Verbum hoc paſſum eſt in carne ſua clavos figi: Verbum hoc paſſum eſt carnem ſuam lánceâ tranſforari: Verbum hoc paſſum eſt carnem ſuam in ſepúlchro poni: Verbum hoc reſuſcitávit carnem ſuam, óbtulit aſpéctibus diſcipulórum vidéndam, præbuit mánibus contrectándam. Tangunt, exclámant: Dóminus meus, & Deus meus.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incrédulus, ſed fidélis. *Joan.* 20. 27. *Oratio ut ſuprà.*

Pro Comm. de Adventu Ant. Æquo ánimo eſtóte, &c. *ut in Proprio ad diem* 21.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Quia vidíſti me, Thoma, credidíſti: beáti qui non vidérunt, & credidérūt. *J.* 20. 29.

FESTA JANUARII.

Die xiv.

S. HILARII

Pictaviénſis Ep. & Eccléſiæ Doct. *Dupl. 3. Claſſ.*

Omnia de Communi unius Doctoris.

In 2. Veſperis diei Octavæ Epiph. fit comm. de S. Hilario.

Oratio. Deus qui pópulo. *pag.* xxix.

Deinde fit comm. S. Felicis Confeſſoris Chriſti per Ant. de Communi unius Confeſſoris Chriſti.

Oratio. Deus pro cujus nomine, *pag.* xix.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Hieron. L. de Script. Eccl. Sulpit. Sev. Lib. 2. Hiſt. Fortunato in vita Hilarii; ex ipſius operibus, & aliis.

Hilárius Pictávis in Gállia Aquitánica, nóbili génere natus, doctrínâ & eloquéntiâ célebris, cùm matúrâ jam ætáte in Cathólica conſubſtātiālis Trinitátis fide renátus eſſet, hanc ita dídicit, ac ténuit, ut áliter crédere ſe nec poſſe, nec velle conſtánter aſſéreret. Adhuc láicus, & uxorátus, à cathólicæ religiónis hóſtibus abhórruit. Eléctus Pictavórum Epíſcopus, quo témpore, terróribus, exíliis, aliâque omni duriórì ſævítiâ cathólicos vexábat Conſtántius, niſi ad Ariánas partes tranſírent, Hilárius tamquā firmíſſimum murum hæréticis fórtiter ſe oppóſuit, & à Saturníni Arelaténſis, Urſátii, & Valéntis communióne ſe unà cum Gallicánis Epíſcopis ſejúnxit. Eam ob rem multis expetítus inſídiis, tandem ejúſdem Saturníni factione ad Biterrénſe conventículum ire compúlſus, cùm vel impietátis, vel exílii neceſſitas imponerétur, exílium ampléxus, è Synodo in Phrygiam relegātus eſt, ubi duódecim libros de Trinitáte ſcripſit.

Lectio v.

Quarto exílii anno, cùm Conſtántius Imperátor Concílium apud Seleúciam Iſáuriæ urbem convocâſſet; quo témpore celebrabátur in Occidénte Ariminénſis Synodus, dicto Concílio adéſſe compúlſus eſt Hilárius. Illic interrogátus quæ eſſet Gallórū fides, expóſitâ fide ſuâ juxta ea quæ à Pátribus Nicænis conſcrípta fúerant, Occidentálibus perhíbuit teſtimónium, eóſque à Sabelliánæ hæréſeos criminatióne vindicávit. Poſt ſolútum Concílium, Legátos ejus decem Conſtantinópolim ſecútus, ibi per ſcelus victos Seleu-

ciénſis Synodi Epíſcopos, Ariminénſes verò per fraudem decéptos advértit. In tanto fídei diſcrímine, ab Imperatóre audíri popóſcit, ut coram ipſo de fide cum adversáriis diſputáret. Id annuénte Conſtántio, libéllum edit, quo Arianórum impietátem, delusámque fraude ac mendáciis Príncipis religiónem oſténdens, ipſum eníxè rogat, ut nutántis fídei integritátẽ reſtítuat. Sed Arianórum ártibus effèctum eſt, ut quaſi diſcórdiæ ſeminárium, & Oriéntis perturbátor, redíre ad Gállias juberétur.

Lectio vj.

INde Hilárius perménſus orbem penè terrárum, dum redit in Gállias, Romam venit, eòque ſanctus Martínus ex ora maris Ligúſtici, illi ut occúrreret, acceſſit: ſed cùm eum jam prætеriiſſe audíret, ad Gállias uſque profecútus eſt. Tunc Hilárium è prælio hæreticórum reverténtem, inquit Hierónymus, Galliárum Eccléſia compléxa eſt. Pictávos revérſus, frequéntibus intra Gállias Concíliis, & per epíſtolas egit ut detéctâ Synodi Ariminénſis fraude, ea quæ ibi geſta fúerant ab ómnibus condemnaréntur Epíſcopis, ſicque Gálliæ ab hæreſis perículo ſervaréntur. In Itália quoque & Illyrico inſtaurándis Eccléſiis cum ſancto Eusébio Vercelléuſi allaborávit. Mediolámi Auxéntium Epíſcopum Ariánum in pública diſputatióne coégit ut Chriſtum verum Deum profiterétur. Demum innúmeris ad cathólicam fidem tuéndam labóribus perfúnctus, quibus fidélis Domínici nóminis prædicátor à Pátribus Synodi Pariénſis appellári meruit, multíſque éditis miráculis conſpícuus, Pictávis óbiit Valentiniáno & Valénte regnántibus. Quos ſcripſit libros inoffénſo pede decúrri poſſe, auctor eſt ſanctus Hyerónymus, qui & teſtátur tantum virum, & confeſſiónis ſuæ mérito, & vitæ indúſtriâ, & eloquéntiæ claritáte, ubicúmque Romanórum nomen eſt, prædicári.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. 24.

IN illo témpore: Circumdedérunt Jeſum Judæi, & dicébant ei: Quoúſque ánimam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm. Reſpóndit eis Jeſus: Loquor vobis, & non créditis. Et réliqua.

Homília ſancti Hilárii Epíſcopi.

Lib. cont. Conſt. Aug. n. 1. 2. & 3.

TEmpus eſt loquéndi, quia jam prætériit tempus tacéndi. Clament Paſtóres, quia mercenárii fugérunt. Ponámus ánimas pro

ovibus; quia fures introiérunt, & leo ſæviens circuit. Ad martyrium exeámus, & commoriámur Chriſto, ut Chriſto conregnémus. Ultérius enim tacére diffidétiæ ſignũ eſt, non modéſtiæ rátio; quia non minùs perículi eſt ſemper tacuíſſe, quàm numquam. Ego, fratres, ut mihi omnes qui me vel áudiunt, vel familiaritáte cógnitum habent, teſtes ſunt, graviſſimum fidei perículum longè ántea prævidens, quinto ab hinc anno à Saturnini, & Ursátii, & Valéntis communióne me cum Gallicánis Epíſcopis ſeparávi; indúltâ cæteris conſórtibus eórum reſipiſcéndi facultáte: atque exínde toto hoc témpore in exílio deténtus, neque decedéndum mihi eſſe de Chriſti confeſſióne decrévi, neque honéſtam áliquam ineúndæ unitátis ratiónem ſtátui reſpuéndã. Nunc mihi non ália ad dicéndum cauſa, quam Chriſti eſt; cui & hoc débui quod uſque nunc tácui, & ex réliquo me intélligo debére, ne táceam.

Si Officium S. Hilarii transferatur, Lectio ſequens dividitur in duas ad Aſteriſcum, & hoc notandum in omni Officio novem Lectionum, cum recurrit eadem occaſio.

Lectio viij. n. 4. 5. & 9.

ATque útinam illud pòtiùs omnípotens Deus & universórum creátor, ſed & uníus Dómini noſtri Jeſu Chriſti Páter, ut hoc confeſſiónis meæ in te atque in Unigénitum tuum miniſtérium, Neroniánis, Deciáníſve tempóribus expléſſem! Nec ego per miſericórdiam Dómini & Dei Fílii tui Jeſu Chriſti calens Spíritu ſancto, equúleum metuíſſem, nec ignes timuíſſem, nec crucem, & fragménta crurum meórum vitáſſem. Pugnarémus enim palàm & cum fidúcia contra negántes te; & nos, pópuli tui tamquam duces ſuos ad confeſſiónis religiónem intelligéntiâ perſecutiónis públicæ, comitaréntur. * Nunc pugnámus contra perſecutórem falléntem, contra hoſtem blandiéntem. Sed me ipſe Unigénitus Deus, quem in me perſéqueris, admónuit ne tibi créderem, neque me hoc fallax in te ementitúmque nomen illúderet. Vide tu ſi præferens nomen Dómini in verbis, voluntátem efficias Dei Patris in rebus. Clamat ille: Hic eſt Fílius meus diléctus; & tu decérnis non eſſe Fílium, neque eſſe Patrem, ſed adoptiónis nómina.... Et orbem terræ profanâ ſimultáte commíttis, negans hoc de Deo, quod ipſe de ſe proféſſus eſt.

Lectio ix. de S. Felice.

Ex operibus S. Paulini Nol. Carmin. de S. Felice.

FElix Présbyter Nolánus, à Máximo Epíſcopo qui declinándæ perſecutiónis cáu-

sâ ſecéſſerat, paſcéndi gregis curam ad tempus accépit. Quo múnere dum fúngitur, ab iis qui Pontíficem quærébant, conjícitur in cárcerem. Sed ab Angelo edúctus, Máximum in monte latitántem adit, quem humi jacéntem, ac penè exánimem cùm pauliſper refocilláſſet uvâ in ſéntibus repertâ, in húmeros ſúſtulit, & apud fidélem víduam curávit reficiéndum. Exórtâ rurſus perſecutióne, divínitùs cóntigit, ut Felix neque ab iis qui eum quærébant ad necē, concionantémque audiébāt, potúerit agnóſci, neque in macéria ómnibus óbvia, quo ſe occulúerat, ullátenus reperíri; eò quòd favénte Deo, áditum ſic telis obtéxit aránea, ut némini recéntis látebræ vénerit ſuſpício. In ſiccâ deínde ciſtérna ſex mēſes delitéſcéntē piæ cujúſdā miniſtério Chriſtus pavit. Amplíſſima ſua prædia fiſco addícta, poſt rédditā Eccléſiæ pacem, paupertátis amóre repétere nóluit. Oblátum ſibi Máximi morte vacántem Epiſcopátum conſtánter recuſávit: tandémque virtútibus inſígnis migrávit in cœlū. Ejus ſepulchrum crebris nobilitátum eſt miráculis.

In Veſp. Comm. de ſeq. & de S. Mauro.

DIE XV.

S. PAULI,

Eremitæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Eremitæ.

Oratio Deus, qui nos ál-mones. *pag.* xl.

Comm. S. Mauri, Abbatis.

Oratio. Omnípotens ſempitérne. *pag.* xl.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex libro S. Hieronymi Preſbyteri, de Vita S. Pauli Eremítæ.

SUb Décio & Valeriáno perſecutóribus, multas apud Ægyptum & Thebáidem Eccléſias tempéſtas ſæva populáta eſt. Paulus annórum círciter quíndecim, manſuéti ánimi, Deum valdè amans, ad móntium desérta confúgiens, dum perſecutiónis finem præſtolarétur, réperit sáxeum montem, ad cujus radícem haud procul erat grandis ſpelúnca, in qua omnem in oratiónibus, & ſolitúdine duxit ætátem, cibum & veſtiméntum ei præbénte palmâ.

Lectio v.

CUm jam centum & trédecim annos Paulus vitam cœléſtem ágeret in terris, Antónium nonagenáriū, qui in ália morabátur ſolitúdine, ad ſe veniéntem ſuſcépit, intérque ſermocinatiónes ſuſcípiunt corvum qui íntegrum panem ante ora mirántium depóſuit. Ad hæc; Eia, inquit Paulus, Dóminus nobis prándium miſit,

verè pius, verè miſéricors: ſexaginta jam anni ſunt, cùm accípio quotídie dimídii panis fragméntum, nunc ad advéntum tuum milítibus ſuis Chriſtus duplicávit annónam. Quare cum gratiárum actióne ad fontem capiéntes cibū, immolavérunt Deo ſacrifícium laudis, noctémque tranſegére vigíliis.

Lectio vj.

Cum jam eſſet terræ réddítus dies, beátus Paulus ad Antónium ſic locútus eſt: Tu miſſus es à Dómino, qui humo corpúſculum meū tegas: quamóbrem, quæſo, perge ad monaſtérium; & pallium quod tibi Athanáſius Epíſcopus dedit, ad involvéndum corpúſculum meum defer. Antónius regréſſus, & introgréſſus ſpelúncam, vidit genículis complicátis, erécta cervíce, extentíſque in altū mánibus corpus Pauli exánime. Igitur obvoláto & proláto forìs córpore, cùm Hymnos & Pſalmos de Chriſtiána traditióne decantáſſet, duo leónes ex erémo curréntes, cœpérunt humum pédibus ſcálpere; arenámque certátim egeréntes, unius hóminis capácem lóculum fodérunt, in quo Antónius ſanctum corpus depóſuit. Túnicam autem Pauli ſibi vindicávit, quam in ſportárum modum de palmæ fóliis ipſe ſibi contexúerat: hácque diébus ſolémnibus Paſchæ & Pentecóſtes Antónius ſemper veſtítus eſt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11. 25.

In illo témpore; Reſpóndens Jeſus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abſcondíſti hæc à ſapiéntibus, & prudéntibus, & reveláſti ea párvulis. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. de verbis Domini 68. aliàs de diverſis 21. Cap. 1. & 2.

Qui ſunt ſapiéntes & prudéntes? Qui párvuli? Quæ ille occultávit ſapiéntibus & prudéntibus, & revelávit párvulis? Sapiéntes & prudéntes illos ſigníficat, de quibus Paulus dicit: Ubi ſápiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſítor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapiéntiam hujus mundi? Etiam nunc fortáſſe quæris, qui ſunt iſti. Fortè illi ſunt, qui multùm de Deo diſputántes, falſa dixérunt: inflati doctrínis ſuis, Deum inveníre & cognóſcere mínimè potuérunt, & pro Deo, cujus eſt incomprehenſíbilis inviſibiliſque ſubſtántia, putavérunt, Deum eſſe áërem, ætherem, Deum eſſe ſolem, Deum eſſe áliquid quod ſublímiter émi-

net in creatúra... Tu autem non valdè cura, ſi gyros ſíderum, & cœléſtium terrenórumve córporum ignóres. Vide pulchritúdinem mundi, & lauda consilium Creatóris. Vide quod fecit, ama qui fecit: tene hoc máximè; ama qui fecit; quia & te ipſum amatorem ſuum ad imáginem ſuam fecit.

Lectio viij. Cap. 5.

BEne ergo Dóminus: Abſcondiſti hæc à ſapiéntibus & prudéntibus: ſive ab illis qui multiplícibus diſputatiónibus, & ſolertíſſimâ inquiſitióne ad inveſtigatiónem creatúræ pervenerunt, ſed Creatórem mínimè cognovérunt; ſive ab illis qui cognoſcéntes Deum, non ſicut Deum glorificavérunt, & grátias egérunt, & vidére perféctè aut ſalúbriter non potuérunt, quia ſupérbi fuérunt.. * Abſcondiſti ergo hæc à ſapiéntibus & prudéntibus, & revelaſti ea párvulis. Quibus párvulis? Humílibus. Dic, ſuper quem requiéſcit Spíritus meus? Super húmilem, & quiétum, & treméntem verba mea. Hæc verba Petrus trémuit; Plato non trémuit. Téneat piſcatór, quod pérdidit nobiliſſimus diſputátor.

Lectio ix. de S. Mauro.

Ex Greg. Mag. Lib. Dialog. 2. Odon. Ap. Act. SS. Bened. Mabill. &c.

MAurus Diáconus, qui à multis ſæculis, ut ex libro miraculórum ſancti Benedícti conſtat, is créditus eſt quem juſſu ejúſdem patris Benedícti ſuper aquas cucurriſſe, ut púerum Plácidum ériperet, narrat in Diálogis ſanctus Gregórius; cùm in Gálliam veníſſet, Glannofoliénſe monaſtérium in Andegavénſium ſolo ad Lígerim ſub título Salvatóris conſtrúxit. Cœnóbium illud Theodebértus Auſtraſiórum rex, ejúſque ſucceſſor Theodeváldus, ac Clotárius primus multis prædiis locupletárunt. Cùm autem Maurus annis plúribus Mónachos ibi ſanctiſſimè rexiſſet, ſufféсto in locum ſuum Bertúlfo, ábiit ad Dóminum; & in ea quæ ſancti Martíni basílica dicebátur, ſepúltus eſt ad Auſtrálem altáris partem. Anno autem Dómini octingentéſimo quadragéſimo quinto, oſſa ejus inde ſubláta ad partem Orientálem, ponè ſcílicet altáre in arca férrea cóndita ſunt. Tumque in túmulo membránula vetuſtiſſima invénta eſt, hæc verba cóntinens: Hîc requiéſcit corpus Mauri Mónachi & Levítæ, qui témpore Theodebérti regis in Gálliam venit, & octávo décimo Calendárum Februariárum migrávit à ſæculo.

In Veſp. Comm. de ſeq.

DIE XVI.

S. MARCELLI, PAP. & Confeſſóris Chriſti.

Simplex.

De Communi unius Confeſſoris Christi. Oratio. Deus, pro cujus nómine, *paginâ* xix.

Lectio iij.

Ex epitaphio S. Marcelli, auctore Damaſo Papâ.

Marcéllus ſub Marcellíno Pontífice Présbyter, poſtquam annos áliquot, furénte perſecutióne, Sedes Románа vacáſſet, Marcellino ſuccéſſor datus eſt. Iis aſcéndit ad Pontifíciam Sedem méritis, ut in epitáphio quod ipſíus memóriæ monuméntum póſuit ſanctus Dámaſus, vocétur Doctor verídicus, índeque máximè commendétur, quòd diſciplínæ Eccleſiáſticæ vindex acérrimus, pœniténtes ſua toto corde deflére peccáta, & pœniténtiam juxta Cánones perágere, invíctâ conſtántiâ voluerit. Hinc tantæ in ipſum arsérunt multórum iræ, ut, ſolúto omni pacis fœdere, ad furóres, lites, & cædes uſque vénerint, & ipſe demum Marcéllus exulare juſſus fúerit, quaſi turbárum auctor eſſet; quas tamen non ipſe, ſed Chriſtiánus quidam poſt negátum in pace Chriſtum, ut in Eccléſiam abſque pœniténtia admitterétur, ad críminis cúmulum excitáverat. Expléto in Pontificátu anno uno, ſeptem ménſibus, & diebus viginti Conféſſor óbiit, & in cœmetério Priſcíllæ viâ Saláriâ ſepúltus eſt, anno Chriſti décimo ſupra trecentéſimum.

Veſpera de ſequenti.

DIE XVII.

S. ANTONII, ABBATIS.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Abbatis.

Oratio. Omnipotens. *pag.* xl.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita à ſancto Athanaſio ſcripta, & Hieronymo de Scrip. Eccleſiaſt.

Antónius nóbilis Ægyptius, cùm circa annum ætátis vigéſimum ingréſſus Eccléſiam, ex Evangélio audíſſet: Si vis perféctus eſſe, vade, vende ómnia quæ habes, & da paupéribus, tamquam ea ſibi uni dicta eſſent, ampliſſima quæ habébat prædia partítus eſt inter vicános, totiúſque vénditæ ſuppelléctilis prétium paupéribus erogávit. Rebus ſic abdicátis factus libérior, primùm haud procul à vico ſuo ſeceſſit, ubi, cùm ex ſuis poſſeſſiónibus nihil habéret ámpliùs quo páuperes fovéret, ipſis tamen ex labóris ſui emoluménto benéficus eſſe non déſtitit, non áliud ſibi ſervans ad victum, quàm unde panem émeret, quo non ante ſolis occáſum veſcebátur, adhíbito tantùm ſale ad condiméntum, & aquâ ad ſitim temperándam; virtútum autem ómnium ſic ſtudióſus

æmulátor, ut quidquid boni in ſíngulis aſpíceret, illud velut apis prudentíſſima, collígeret diligénter, ſuis própriis exprimendum móribus.

Lectio v.

Arctióris poſthæc ſolitúdinis deſidério, in monuméto occlúſus remāſit, familiári cuídam mandans ut panem ſibi ſtatútis diébus afférret: donec anno ætátis trigéſimo quinto, insólito hácte-nus Solitáriis uſu, erémum petiit, in qua vigínti annis extra omnem hóminum conſpéctum demorátus, tandem Spíritûs ſancti impúlſu éxiit, Cœnobítas moderatúrus, multíſque profutúrus ad converſiónem: quod quidem Deo operánte ſic effectum eſt, ut ejus exémplo & mónitis remotíſſima Ægypti desérta monastériis effloruérint. Máximam autem ſui veneratiónem ſenſim ubíque concitávit, & tantam, quâ ab ipſis gentílibus Homo Dei nuncuparétur, ejúſque précibus per epíſtolas ſe commendáret Conſtantínus Imperátor, ad quem in magni Athanáſii ab Ariánis penè oppréſſi grátiam non ſemel ſcripſit Antónius.

Lectio vj.

Ab hæreticórum congréſſu & collóquio ſemper abhórruit; cùmque eum ſuis à pártibus ſtare falsò jactárent Ariáni, Alexandríam contínuò profectus, eórum calúmniam illúſtri fídei profeſſióne confutavit. Dæmones, quorum conflíctibus jam inde ab adoleſcéntia frequénter laceſſítus fúerat, uſque ádeò vicit ac fugávit, ut ipſis terrori eſſet, & quibus armis illi vinceréntur, diſcípulos his verbis docéret: Mihi crédite, fratres, pertiméſcit sátanas piórum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertatem, miſericórdiam & humilitátem, máximè verò ardéntem amórem in Chriſtum, cujus único ſanctíſſimæ Crucis ſigno debilitátus áufugit. Morti próximus, inter ália mónita, hæc frátribus inculcávit: Cuſtodiénda eſt pia fides in Chriſtum, & Patrum ſervánda tradítio; qui aliquándo quintum & centéſimum annum agens, ábiit ad Dóminum, miráculis & diſcipulórum número ante & poſt mortẽ illúſtris. Scripſit Ægyptiácè ſeptem Epiſtolas, quæ in Græcam linguam translátæ ſunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 19. 21.

IN illo témpore; Dixit Jeſus adoleſcénti: Si vis perféctus eſſe, vade, vende quæ habes, & da paupéribus, & habébis theſaurum in cœlo: & veni, ſéquere me. Et réliqua.

Homilia

Homilia ſancti Antonii Abbátis.

Apud Athanaſ. in Vita ſancti Antonii, n. 16.

ILlud in primis ſit commúne ſtúdium, ut à cœpto non recedámus, neve propter labórem ánimo concidámus: imò pótiùs, ac ſi quotídie inciperémus, alacritátem augeámus. Breviſſima quippe hóminis vita, ſi cum futuris conferátur ſæculis; ita ut nihil ſit ævum noſtrũ cum ætérna vita comparátũ. In mundo quidem quævis res juſto prétio vénditur, & æquale æquáli commutátur; promíſſio autem ætérnæ vitæ parvò émitur... Et cùm in terra decertémus, non in terra hæréditas erit noſtra, ſed in cœlis promíttitur nobis; atque corruptíbili depóſito córpore, incorruptíbile accipiémus.

Lectio viij. n. 17.

ITaque, filii, ne laſſeſcámus, neque putémus nos diútiùs moràri, aut magnum quid præſtáre: non enim ſunt condignæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriã quæ revelábitur in nobis. Ne mundum intuéntes exiſtimémus magnis nos rebus renuntiáſſe: ſiquidem totus terrarum orbis mínimus eſt, ſi cum toto conferatur cœlo. Si totâ igitur terrâ potirémur, totíque renuntiarémus, nequáquam dignum illud eſſet regno cœlórum. Quòd ſi ne tota quidem terra digna ſit regno cœlórum, qui ergo arúras paucas relínquit, quaſi nihil amittit: vel etiam ſi domum multumque auri dimíttat, nequáquam gloriári debet, aut remiſſiùs ágere.

Lectio ix. n. 20.

IDcírco jam exorſi, jam ingréſſi virtútis viam, magis contendámus, ut ad futura perveniámus. Nemo retrórsũ convertátur, ut Loti uxor, cùm potiſſimùm Dóminus díxerit: Nemò mittens manum ſuam ad arátrum, & reſpíciens retrò, aptus eſt regno cœlórum. Retrò autem reſpícere nihil áliud eſt quàm pœnitére, ac rurſum mundána ſapere. Ne timéte de virtúte audiéntes, neve de nómine ſtupeátis: non enim procul nobis eſt, nec extra nos conſíſtit: in nobis ipſis res eſt, & perfácilis ſanè, ſi modò voluérimus. Græci peregrinántur, & mare trajíciunt, ut litteras edíſcant: nobis verò peregrinatióne opus non eſt propter regnum cœlórum, neque ut virtútis causâ mare trajiciámus. Jam olim quippe Dóminus dixit: Regnum Dei intra vos eſt. Virtus ítaque noſtrâ dúmtaxát voluntáte opus habet, in nobis cùm ſit, ex nobíſque conſíſtat.

Veſperæ de ſequenti, Comm. S. Antonii.

DIE XVIII.

In Feſto

PONTIFICATUS,

SEU

CATHED. S. PETRI,

Quà primùm Antiochiæ ſedit, tum Romæ.

Duplex quartæ Claſſis.

AD I. VESPERAS.

Petri prærogativa ex textibus veteris Teſtamenti adumbrata.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. irr. Quæsívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei ut eſſet dux ſuper populum ſuum. 1. *Regum*, 13. 14.

Ant. t. 1. a. Dóminus purgávit peccáta ipsíus; & dedit illi ſedem glóriæ in Iſraël. *Eccli.* 47. 13.

Ant. t. 3. a. Oculus Dei reſpéxit illum, & eréxit eum ab humilitáte ipsíus, & exaltávit caput ejus. *Eccleſiaſtici.* 11. 13.

Ant. t. 5. f. Dedit illi in præcéptis ſuis poteſtátem, & in lege ſua lucem dare Iſrael, *Eccli.* 45. 21.

Ant. t. 8. g. Fuit magnus ſecúndùm nomen ſuum, máximus in ſalútem electórum Dei. *Eccli.* 46. 1. 2.

Capitulum. Ezech. 34. 23. 24.

IPſe erit eis in paſtórem: ego autem Dóminus ero eis in Deum: & ſervus meus princeps in médio eórum: ego Dóminus locútus ſum.

℞. Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, & * Humília réſpicit in cœlo & in terra? Súſcitans à terra ínopem, ut cóllocet eum cum princípibus pópuli ſui. ℣. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia. * Humília. Glória. * Humília. *Pſ.* 112. 5. 6. 7. 8. 1. *Cor.* 1. 27.

HYMNUS.

SAcri ſenátûs, Petre, caput gregis
Verénde Paſtor: grande tuæ decus
Dum prædicámus dignitátis,
Fer ſúpero pia vota Regi.

Chriſto vocánti promptus ades; ratem
Tu deſeréndo, déſeris ómnia:
Temet relínquis, pauperíque
Non dúbitas comes ire pauper.

Cœléſtis intus te Pater áddocet:
Non ſanguis afflat, non caro; cùm Deum
Teſtáris altâ voce Chriſtū
Ingenito génitum Paréntе.

Nunc ergo Petro nomen erit tibi:
Innixa petram quam ſuper árdua
Fundátur ædes veritátis,
Tartáreas domitúra portas.

Dum, Chriſte, Patri nos quoque te parem
Cantámus, auge quam tríbuis fidem;
Infúnde ſacrum quo vigé-

mus,
Pectóribus, Deus alme,
Flamen. Amen.

℣. Conſtítuit illum dóminum domûs ſuæ. ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *c.* Tu eris ſuper domum meã, & ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantùm regni sólio te præcedam. *Gen.* 41. 40.

Oratio ut infrà in Laudib. Comm. S. Antonii.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Chriſtum Paſtórẽ magnum óvium, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 13. 20.

Pſalmi de Feria.

IN I. NOCTURNO.

Petro Primatus promittitur.

Ant. t. 4. *a.* Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitándas tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas. *Iſ.* 49. 6.

Ant. t. 7. *a.* Tu paſces pópulum meum Iſrael, & tu eris princeps ſuper eum. 1. *Paralip.* 11. 2.

Ant. t. 5. *a.* Ecce dedi te, ut ſis ſalus mea uſque ad extrémum terræ. *Iſ.* 49. 6.

℣. Póſui adjutórium in poténte: ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea. *Pſ.* 88. 20.

Tres Lectiones 1. *Noct. ex Script. occ.*

℟. Vocábo ſervum meum, & poteſtátem dabo in manu ejus: * Et erit quaſi pater habitántibus Jeruſalem, & dómui Juda. ℣. Dabo illi poteſtátem, ſicut & ego accépi à Patre meo. * Et erit quaſi. *Iſ.* 22. 20. 21. *Apoc.* 2. 26. 28.

℟. Dabo clavem domûs David ſuper húmerum ejus: & * Apériet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui apériat. ℣. Hæc dicit Sanctus & Verus, qui qui habet clavem David. * Apériet. *Iſ.* 22. 22. *Apoc.* 3. 7.

℟. Tu judicábis domum meam, & cuſtódies átria mea, Sacérdos magne, * Et † Aúferam iniquitátem terræ. ℣. Quodcúmque ligáveris ſuper terram, erit ligátum & in cœlis: & quodcúmque sólveris ſuper terram, erit ſolútum & in cœlis. * Et aúferam. Glória Patri. † Aúferam. *Zach.* 3. 7. 8. 9. *Matth.* 16. 19.

IN II. NOCTURNO

Quàm humiliter in exaltatione ſua ſenſerit Petrus.

Ant. t. 2. *D.* Fecíſti me ſpectábilem ſuper omnes hómines, Dómine Deus. 1. *Paral.* 17. 17.

Ant. t. 3. *a.* Quis ego ſum, Dómine Deus, ut præſtáres mihi tália? 1. *Par.* 17. 16.

Ant. t. 8. *c.* Quid ultrà áddere poſſum, cùm ita gloriſicáveris ſervum tuum? 1. *Paral.* 17. 18.

℣. Conſtitútus ſum ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, ℟. Prædicans præcéptum ejus. *Pſ.* 2. 6.

Lectio iv.

Sermo ſancti Leónis Papæ.

Serm. 80. *Cap.* 3.

CUm duódecim Apóſtoli, accéptâ per Spíritū ſanctum ómnium locutióne linguárum, imbuéndum Evangélio mundum diſtribútis ſibi terrárum pártibus ſuſcepiſſent; beatíſſimus Petrus Princeps Apoſtólici órdinis ad arcem Románi deſtinatur impérii; ut lux veritátis, quæ in ómnium géntium revelabátur ſalútem, efficáciùs ſe ab ipſo cápite per totum mundi corpus effúnderet. Cujus autem natiónis hómines in hac tunc urbe non eſſent? Aut quæ uſquam gentes ignorárent quod Roma didiciſſet?

℟. Servus tuus in médio eſt pópuli quem elegíſti, pópuli infiníti, qui numerari non poteſt præ multitúdine: * Quis póterit judicáre pópulum iſtum, pópulum hunc tuum multum? ℣. Ab uno orti ſunt tamquam sídera cœli in multitúdinem, & ſicut aréna quæ eſt ad oram maris, innumerábilis. * Quis póterit. 3. *Reg.* 3. 8. 9. *Hebr.* 11. 12.

Lectio v. Cap. 3. & 4.

HIc colluctántes Philoſophiæ opiniónes: hîc diſſolvéndæ erant terrénæ ſapiéntiæ vanitátes, hîc confutandus dæmonum cultus, hîc ómnium ſacrificiórum impíetas deſtruénda, ubi diligentíſſimâ ſuperſtitióne habebátur colléctum, quidquid uſquam fúerat vanis erróribus inſtitútum. Ad hanc ergo urbem tu, beatíſſime Petre Apóſtole, veníre non métuis; & consórte glóriæ tuæ Paulo Apoſtolo, aliárum adhuc Eccleſiárum ordinatiónibus occupáto, ſylvam iſtam freméntium beſtiárum, & turbulentíſſimæ profunditátis Océanum, conſtántior quàm cùm ſupra mare gradeléris, ingréderis.

℟. Impoſuiſti pondus univérſi pópuli hujus ſuper me: numquid ego concépi hanc multitúdinem, ut dicas mihi: * Porta eos in ſinu tuo, ſicut portáre ſolet nutrix infántulum? ℣. Simon Joánnis, díligis me plus his? Etiam, Dómine, tu ſcis quia amo te: Paſce agnos meos. * Porta eos. *Num.* 11. 11. 12. *Joan.* 21. 15.

Lectio vj. Cap. 5.

JAm pópulos, qui ex circumciſióne crediderant erudíeras: jam Antiochénam Eccléſiam, ubi primùm Chriſtiáni nóminis dígnitas eſt orta, fundáveras; jam Pontum, Galátiam, Cappadóciam, Aſiam, atque Bithyniam légibus Evangélicæ prædicatiónis impléveras; nec aut dúbius de provéctu óperis, aut de ſpatio tuæ ignárus ætátis, trophæum Crucis Chriſti Románis árcibus inferébas, quò te divínis præordinatiónibus antei-

bant, & honor poteſtátis, & glória paſſiónis.

℟. Venit ad me pópulus quærens ſenténtiam Dei. * Cùmque accíderit eis áliqua diſceptátio, † Véniunt ad me ut júdicem inter eos, & oſténdam præcépta Dei & leges ejus. ℣. Deus in nobis elégit per os meum audíre gentes verbum Evangélii, & crédere. * Cùmque. Glória. † Véniunt. *Exod.* 18. 15. 16. *Act.* 15. 7.

IN III. NOCTURNO.

Primatus datur Petro ut Eccleſia una monſtretur. Cyprian. *Lib. de unit. Eccl.*

Ant. t. 7. c. Laudáte, cœli: hæc dicit Dóminus; Paſtor meus es, & voluntátem meam complébis. *Iſ.* 44. 23. 24. 28.

Ant. t. 8. c. In unum condúcam relíquias Iſrael; ponam illum quaſi gregem in ovíli. *Mich.* 2. 12.

Ant. t. 4. a. Longævus & honorábilis, ipſe eſt caput. *Iſ.* 9. 15.

℣. Exultáte in conſpéctu Dei, ℟. Qui habitáre facit uníus moris in domo. *Pſ.* 67. 5. 7.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 16. 13.

IN illo témpore; Venit Jeſus in partes Cæſaréæ Philíppi: & interrogábat diſcípulos ſuos, dicens: Quem dicunt hómines eſſe Filium hóminis? Et réliqua.

Homília ſancti Leónis Papæ. *Serm.* 3. *in Ann. Aſſumpt. ſuæ. Cap.* 2.

OMnes Apóſtolos Dóminus quid de ſe hómines opinéntur, intérrogat: & támdiu ſermo reſpondéntiũ commúnis eſt, quámdiu humánæ intelligéntiæ ambigúitas perſtitit. At ubi, quid hábeat ſenſus diſcipulórum exígitur, primus eſt in Dómini confeſſióne, qui primus erat in Apoſtólica dignitáte. Qui cùm dixíſſet, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; reſpondit ei Jeſus: Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & ſanguis non revelávit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Id eſt, ídeò beátus es, quia Pater meus te dócuit; nec terréna opínio te feféllit, ſed inſpirátio cœléſtis te inſtrúxit; & non caro & ſanguis, ſed ille me tibi, cujus ſum Unigénitus Filius, indicávit.

℟. Sacérdos magnus manus ſuas éxtulit in omnem congregatiónem filiórum Iſrael * Dare glóriam Deo à lábiis ſuis, & in nómine ipſíus gloriári. ℣. Beátus es, Simon Barjóna; quia caro & ſanguis non revelávit tibi, ſed Pater meus. * Dare. *Eccli.* 50. 1. 22. *Matth.* 16. 17.

Lectio viij.

ET ego, inquit, dico tibi, hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtávit divinitátem meam, ita & ego ti-

bi notam facio excelléntiam tuam. Quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inviolábilis petra, ego lapis anguláris qui facio útraque unum; ego fundaméntum præter quod nemo poteſt áliud pónere: tamen tu quoque petra es, quia meâ virtúte ſolidáris, ut quæ mihi poteſtáte ſunt própria, ſint tibi mecum participatióne commúnia. Et ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam; & portæ ínferi non prævalébunt advérſus eam. Super hanc, inquit, fortitúdinem, ætérnum éxtruam templum: & Eccléſiæ meæ cœlo inferénda ſublímitas, in hujus fidei firmitáte conſúrget.

℟. Urbs fortitúdinis noſtræ Sion Salvátor, * Ponétur in ea murus & antemurále. ℣. Reſpóndens Jeſus, dixit Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificábo Eccléſiam meam, & portæ ínferi non prævalébunt advérsùs eam. * Ponétur. *Iſ.* 26. 1. *Matth.* 16. 17. 18.

Lectio ix. Cap. 3.

HAnc confeſſiónem portæ ínferi non tenébunt, mortis víncula non ligábunt: vox enim iſta, vox vitæ eſt. Et ſicut confeſſóres ſuos in cœléſtia próvehit, ita negatóres ad inférna demérgit. Propter quód dícitur beatíſſimo Petro: Tibi dabo claves regni cœlórum; & quæcúmque ligáveris ſuper terram, erunt ligáta & in cœlis: & quæcúmque ſólveris ſuper terram, erunt ſolúta & in cœlis. Transívit quidem in álios Apóſtolos jus poteſtátis iſtíus; & ad omnes Eccleſiæ Príncipes decréti hujus conſtitútio commeávit: ſed non fruſtrà uni commendátur, quod ómnibus intimétur. Petro enim ídeò hoc ſinguláriter créditur, quia cunctis Eccléſiæ Rectóribus Petri forma præpónitur. Manet ergo Petri privilégium, ubicúmque ex ipsíus fertur æquitáte judícium: nec nímia eſt ſevéritas, vel remíſſio, ubi nihil erit ligatum, nihil ſolútum, niſi quod beátus Petrus aut ſólverit, aut ligáverit.

℟. Non erunt ultrà duæ gentes, nec dividéntur ámpliùs in duo regna: * Paſtor unus erit ómnium. ℣. Alias oves hábeo, quæ non ſunt ex hoc ovíli; & illas opórtet me addúcere; & fiet unum ovíle. * Paſtor. Glória. * Paſtor. *Ezec.* 37. 22. 24. *Joan.* 10. 16.

Te Deum.

AD LAUDES.

Petri Apoſtolica & primaria poteſtas ex novo Teſtamento.

℣. *Sacerdot.* Exáltent eum in Eccléſia plebis: ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſ.* 106. 32.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 4. E. ELégit Jeſus duódecim, quos & Apóſtolos nominavit. Primus, Simon qui dícitur Petrus. *Luc.* 6. 13. *Matt.* 10. 2

Ant. t. 5. *f.* Intúitus eum.

Jeſus dixit; Tu es Simon filius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur, Petrus. *Joan.* 1. 42.

Ant. t. 6. *f.* Tibi dabo claves regni cœlórum. Et quodcúmque ſólveris ſuper terram, erit ſolútum & in cœlis. *Matth.* 16. 19.

Ant. t. 7. *a.* Ego rogávi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquándo convérſus, confirma fratres tuos. *Luc.* 22. 32.

Ant. t. 8. *g.* Simon Joannis, paſce agnos meos: paſce oves meas. *Joan.* 21. 16. 17.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 26. 28. 29.

VIdéte, fratres.... ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conſpéctu ejus.

℣. Deus judex eſt, ℟. Hunc humíliat, & hunc exáltat. *Pſ.* 74. 8.

Ad Bened. *Ant.* t. 1. *a.* Elevat páuperem Dóminus; ut ſédeat cum princípibus; & ſólium glóriæ téneat. 1. *Reg.* 2. 8.

Oratio.

DEus qui beáto Petro Apóſtolo tuo, collátis clávibus regni cœléſtis, ligándi atque ſolvéndi pontifícium tradidíſti: concéde, ut interceſſiónis ejus auxílio, à peccatórum noſtrórum néxibus liberémur; Qui vivis & regnas, &c.

Ad Horas brev. Antiph. de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jerem. 15. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus: Convértam te, & ante fáciem meam ſtabis: & ſi ſeparáveris pretióſum à vili, quaſi os meum eris. Et dabo te pópulo huic in murum æreum & fortem quia ego tecum ſum.

℟. Paſtor egréſſus eſt lapis Iſrael. * Deus erit adjútor tuus, & † Omnípotens benedícet tibi. ℣. Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. * Deus erit. Glória. † Omnípotens. *Gen.* 49. 24. 25. *Luc.* 5. 10.

℣. Magna eſt glória ejus ℟. In ſalutári tuo, Dómine. *Pſ.* 20. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. *Petri.* 1. 12. 13.

INcipiam vos ſemper commonére; & quidem ſciéntes, & confirmátos vos in veritáte: juſtum autem árbitror quámdiu ſum in hoc tabernáculo ſuſcitáre vos in commonitióne.

℟. *br.* Accépit eum Dóminus * Páſcere Jacob ſervum ſuum. Accépit. ℣. Et Iſrael hæreditátem ſuam, * Páſcere. Glória. Accépit. *Pſ.* 77. 70. 71.

℣. Qui regis Iſrael, inténde, ℟. Qui dedúcis velut ovem, Joſeph. *Pſ.* 79. 2.

AD NONAM.

Capitulum 1. Pet. 5. 1. 2.

SEnióres qui in vobis ſunt obſecro, consénior & teſtis Chriſti paſſiónum: páſcite qui in vobis eſt gregem Dei.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos. * In innocéntia. Glória. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Nos populus tuus, & oves páſcuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in ſæculum. *Pſ.* 78. 13.

AD II. VESPERAS.

Quanta cum laude, & fructu, munus ſuum exercuerit Petrus.

Ant. 1. 8. *g.* ECcleſia ædificabátur ámbulans in timóre Dómini: Petrus autem dum pertranſíret univérſos, devénit ad Sanctos qui habitábant Lyddæ. *Act.* 9. 31. 32.

Ant. 2. 1. *irr.* Dixit Angelus Cornélio: Accérſi Simónem, qui cognominátur Petrus: hic dicet tibi quid te opórteat fácere. *Act.* 10. 4. 5. 6.

Ant. 3. 3. *a.* Adhuc loquénte Petro cécidit Spíritus ſanctus ſuper omnes qui audiébant verbum. *Act.* 10. 44.

Ant. 4. 5. *a.* Glorificavérunt Deum, dicéntes: Ergo & géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11. 18.

Ant. 5. 6. *f.* Simon narrávit quemádmodum primùm Deus viſitávit ſúmere ex géntibus pópulum nómini ſuo: & huic concórdant verba Prophetárum. *Act.* 15. 14. 16.

Capitulum. 2. *Pet.* 3. 1. 2.

CHariſſimi, veſtram éxcito in commonitióne ſincéram mentem; ut mémores ſitis eórum, quæ prædíxi, verbórum.

HYMNUS.

PRome commíſſas tibi, Petre, claves.
Nam tibi tradit ſua jura Chriſtus:
Quæ Polum claudunt, ſcélerum, precámur,
Víncula ſolve.

Prima te ſedes Oriéntis oris
Extulit; cunas ibi Chriſtiánum
Obtinet nomen; ſimul inde toto
Spárgitur orbe.

Roma mox ſortis melióris hæres,
Extitit mundi fideíque centrum
Quæ tuo, Paſtor, paritérque Martyr,
Sánguine fulget.

Qui fidem Petro ſtábilem rogáſti,
Ne ſinas, Jeſu, titubáre noſtram:
Vita fac concors fidei ſit omen.
Dulce ſalútis.

Laus ætérnum célebret Paréntem
Orbis; ætérnum célebret Paréntis
Fílium: par ſit tibi laus

Per omne, Spíritus, ævum. Amen.

℣. Glóriâ & honóre coronáſti eum, Dómine: ℟. Et conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum. *Pſ.* 8. 6. 7.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 6. *f.* Amplificátus eſt in mirabílibus ſuis. Et quis poteſt ſimíliter ſic gloriári tibi, qui prophétas facis ſucceſſores poſt te. *Eccli.* 48. 4. 8.

Commem. de ſequenti.

DIE XIX.

SANCTI SIMEONIS Stylitæ, Anachorétæ.

Simplex.

Oratio, Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex Theodoreto Philoth. *Cap.* 26. *&c.*

SImeon apud Cilices natus, óvium paſtor adhuc puer, ac póſtea mónachus, mox inter cæteros virtúte primus fuit, morum candóre longè quoſque súperans; totam per hebdómadam ſæpe jejúnus. Severióris tamen vitæ deſidério, in ciſtérna ſicca delituit; ex qua edúctus, tres annos in céllula egit, oratiónibus ad Deum únicè inténtus; eâque abſtinéntiâ, ut quadraginta diebus ſine cibo transáctis, penè exanimátus quondam repértus fúerit; quam jejúnii quadragenárii ratiónem per octo & vigínti annos ſervávit. Tum ſepto quodam ſibi in vértice montis extrúcto, ne ultra prógredi poſſet, caténam férream ex una parte ad ſaxum affíxam, ex áltera ad dextrum pedem alligátam excogitavit; quam tamen, monénte Melétio Epíſcopo, depóſuit. Cùm verò multi ad eum ex remotiſſimis orbis pártibus confluérent, omnéſque illum tangere, & benedictiónem ab eo accípere conténderent, ſeceſſit à turba, & in colúmna ſtationem fixit. Ibi dies nóctibus contínuans, expánſis ad cœlum mánibus, Deum orábat, ſomni parcíſſimus & cibi; nec ceſſábat inde, aut fidéles ad pietátem adhortári, diffidéntium lites compónere, & Eccléſiæ curáre negótia; aut infidéles, Judæos, & hæréticos confutáre. Tandem miraculórum glóriâ, & ſingulari vitæ ſanctitáte illúſtris, óbiit circa annū quadringētéſimū ſexagéſimū. Tantā fuiſſe apud Romános ejus ſanctitátis famam ex Theodoréto refert séptima Synodus, ut illíus imágines in officinárum veſtíbulis, in ſui præſídium & tutélam collocárent.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XX.

SS. FABIANI, & Sebaſtiáni, Martyrum.

Duplex ij. Claſſis.

Omnia de Communi plurium Martyrum.

Oratio.

INfirmitátem noſtram réſpice, omnípotens Deus: & quia pondus próprìæ actiónis gravat, beatorum Mar-

tyrum tuórum Fabiáni & Sebaſtiáni intercéſſio glorióſa nos prótegat; Per Dóminum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Cypr. Epiſt. 9. & 30. Euſeb. Hiſt. Lib. 6. Cap. 29.

FAbiánus, poſt mortem Anterótis, ad Pontificatum præter ómnium expectatiónem divínitùs vocátus eſt. Nam ut refert Euſébius, cùm de electióne Románi Pontíficis agerétur, nec quiſquam de Fabiáno cogitáret, colúmba è ſublími delápſa, repéntè cápiti ejus inſedíſſe refertur. Quo ſpectáculo permóti omnes, unâ voce clamárunt Fabiánum dignum eſſe, qui in Pontificáli cáthedra ſedéret. Hic per litteras ácriter reprehéndit Privátum hæréticum, ſynódicè ab Epíſcopis Africánis nonagínta, ob multa & grávia crímina condemnátum. Ad ipſum Epíſtolâ de ſua fide conſcrípſit Orígenes. Paſſus eſt autem in perſecutióne Décii. De cujus agóne per Epíſtolam Cleri Románi factus cértior ſanctus Cypriánus, ſic reſcripſit: Plúrimùm grátulor quòd ejus memóriam tam célebri & illúſtri teſtimónio proſequámini; ut & per vos innoteſceret nobis, quod & vobis eſſet circa præpóſiti memóriam gloriósum, & nobis quoque fídei ac virtútis prabéret exémplum.

Lectio v.

Ex S. Ambroſ. Serm. 18. ex Act. apud Bolland. Paul. Diac. de geſt. Longob. L. 6. C. 5. &c.

SEbaſtiánus ex ardenti pro Christo moriéndi deſidério, cùm Romæ fidéles ſuis adjuváret facultátibus, Confeſſoréſque ac Mártyres pro víribus confirmáret, chriſtianitátis título ad Diocletiánum defértur: cujus juſſu ad palum alligátus, & ſagíttis confíxus, ómnium opinióne mórtuus relínquitur. Sed ad eum véniens Iréne pia vídua, ut corpus ejus aúferat ſepeliéndum, vivum repértum in domo ſua clam curat, & réficit. Itaque paulò poſt confirmátâ valetúdine, Diocletiáno occúrrit obviàm ipſíque libériùs impietátem coràm éxprobrat. Ad hæc mox óbſtupet Imperátor, quippe qui mórtuum credit; verùm excandéſcens póſtea Sebaſtiánum comprehéndi jubet & ad hyppódromum palátii torquéri; qui tyránni mandáto, fúſtibus ad mortem uſque cæditur.

Lectio vj.

QUàm célebre à primis ſæculis fúerit in Eccléſia Mártyris Sebaſtiáni nomen, quàm perantíqua ipſíus memóriæ exhíbita venerátio haud dúbiè teſtántur tum vetus Calendárium ſub Libério Papa ordinátum, tum augúſta quæ víſitur ad Cæmetérium Callíſti, Baſili-

ea, jam à Dámaſi tempóribus ſub ſancti Sebaſtiáni nómine dicáta, tum illa orátio quam de ipſius martyrio & glória ad Mediolanénſem pópulum hábuit ſanctus Ambróſius. Verùm nóminis ac memóriæ celebritátem multùm auxit memorábile illud benefícium, quod máximæ calamitátis témpore, ſancti Sebaſtiáni præſídio debére ſe Roma méminit. Cùm enim anno ſeptingentéſimo octogéſimo, Pontífice S. Agathóne, Romæ & Ticíni páriter, peſtis uſque adeò graſſarétur ut paréntes cum fíliis, bini per féretra póſiti, ad ſepúlchra deduceréntur, ſtatim ad allátas ex Catacúmbis in urbem ſancti Sebaſtiáni relíquias, peſtiléntiam conſtitiſſe refert Paulus Diáconus. De símili præſídio ſibi quoque gratuláutur urbes multæ, tam in Itália, quàm in Gálliis, in quibus célebris eſt & devóta, advérsùs contágia ipſíus intercéſſio.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Injícient vobis manus ſuas, & perſequéntur, tradéntes in ſynagógas & cuſtódias, trahéntes ad reges & præſides propter nomen meum. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Enarr. in Pſ. 118. Serm. 20. n. 43. & 44.

NOn unus perſecútor eſt: multos miniſtros habet; ſed non te térreant: Per multas enim tribulatiónes opórtet nos introíre in regnum Dei. Si multæ perſecutiónes, multæ probatiónes; ubi multæ corónæ, multa certámina: tibi ergo próficit quòd multi perſecutóres ſunt; ut inter multas perſecutiónes facíliùs invénias quemádmodum corónéris. Utámur exémplo Sebaſtiáni Mártyris, cujus hódie natális eſt. Hic Mediolanénſis oriúndus eſt. Fortáſſe aut jam decéſſerat perſecútor, aut adhuc non vénerat in hæc pártium, aut mítior erat. Advértit hîc aut nullum eſſe, aut tepére certámen. Romam proféctus eſt, ubi propter fídei ſtúdium perſecutiónis acérba fervébant: ibi paſſus eſt, hoc eſt, ibi coronátus. Itaque illìc quò hoſpes advénit, domicílium immortalitátis perpétuæ collocávit.

Lectio viij. n. 44. & 45.

SI unus perſecútor fuiſſet, coronátus hic Martyr útique non fuiſſet. Sed quod pejus, non hi ſolùm perſecutóres ſunt qui vidéntur, ſed étiam qui non vidéntur, & multò plures perſecutóres! Sicut enim unus perſecútor rex multis perſecutiónis præcépta mittébat, & per ſíngulas vel civitátes, vel

ris & religiónis. Et Virgo permanſit, & martyriū obtínuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. 44.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parabolam hanc: Símile eſt regnū cœlórum theſáuro abſcóndito in agro. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

Homil. 11. habita in Baſil. S. Agnetis in die Natalis ejus.

COeléſte regnum negotiatóri hómini símile dicitur, qui bonas margarítas quærit; ſed unam pretióſam invénit, quam vidélicet inventā, ómnia vendens emit: quia qui cœléſtis vitæ dulcédinem, in quantum poſſibílitas admíttit, perféctè cognóverit, ea quæ in terris amáverat, libénter cuncta derelínquit; in comparatióne ejus viléſcunt ómnia, déſerit hábita, congregáta diſpérgit, inardéſcit in cœléſtibus ánimus, nihil in terrénis libet, defórme conſpícitur quidquid de terrénæ rei placébat ſpécie; quia ſola pretióſæ margarítæ cláritas fulget in mente.

Lectio viij.

DE cujus dilectióne rectè per Salomónem dícitur: Fortis eſt ut mors diléctio: quia vidélicet ſicut mors corpus intérimit, ſic ab amóre rerum corporáliū ætérnæ vitæ cháritas óccidit. Nam quem perféctè abſórbúerit, ad terréna foris deſidéria velut inſénſíbilē reddit. Nec enim ſancta hæc, cujus hódie natalítia celebrámus, mori pro Deo potuíſſet in córpore, ſi priùs à terrénis deſidériis mórtua non fuíſſet in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta deſpéxit, præmia calcávit. Ante armátos reges & præſides invícta ſtetit, feriénte robúſtior, judicánte ſublímior.

Lectio ix.

QUid inter hæc nos bárbari & débiles dícimus, qui ire ad regna cœléſtia puéllas per ferrum vidémus? quos ira súperat, ſupérbia inflat, ambítio pertúrbat, luxúria inquínat. Qui ſi adipíſci regna cœlórum per bella perſecutiónum non póſſumus, hoc ipſum nobis turpe ſit, quòd Deum nólumus ſaltem per pacem ſequi. Ecce nulli noſtrûm hoc témpore dicit Deus: Pro me mórere; ſed illícita tantúmmodo in te deſidéria occíde. Qui ergo in pace ſubígere carnis deſidéria nólumus, quando in bello pro Domino ipſam carnem darémus?

In Veſperis, à Capitulo de ſequenti.

DIE XXII.

S. VINCENTII.

Diaconi, Martyris.

Duplex quartæ Claſſis.

Oratio. Deus, qui beatum, paginâ xj.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ſancto Auguſtino, Sermone 274. 275. 276. ex Prudentio, Carmine quinto, & Actis apud Ruinart.

VIncéntius, Martyr eſt ille exímius quem Paulínus, Hiſpaniárum vocat decus & ornaméntum: quem devótis ádeò Auguſtínus cóluit obſéquiis, ut ſermónibus quinque laudes ejus díxerit: quem hymnis & carmínibus Prudéntius cécinit Mártyrem toto terrárum orbe celebérrimum. Is nóbili ortus génere, Valério Cæſarauguſtáno Epíſcopo, máximæ ſanctitátis viro, litteris & diſciplínis informándus ab infántia tráditus eſt: qui in doctrína & virtúte gradu céleri ſic eſt progréſſus, ut à Valério ordinátus Diáconus, ab eódem Præſule, qui propter linguam impeditiórem verbi miniſtério minùs erat idóneus, prædicándi partes accéperit. Dum autem créditum ſibi munus ſumma cum laude, fructu nec minóri adímplet, in perſecutióne Diocletiáni comprehénſus, Valéntiam in Hiſpánia ad Dacianum Præſidem vinctus dúcitur.

Lectio v.

VErùm, quem coram Chriſtiána plebe infracto à labóribus animo prædicáverat, invictâ à ſuppliciis conſtántiâ coram tyránno Chriſtum proféſſus eſt. Chriſtiánæ religiónis cultórem ſe auſus própalam dicere, Præſidis furéntis juſſu vinctus retórtis bráchiis exténſus eſt, donec oſſa sédibus ſuis ſíngula moveréntur: mox férreis úngulis ſemel atque íterum, excarnificátus eſt. Ipſe autem, ſpretis torméntis, immótus ac quaſi eſſet ſine ullo dolóris ſenſu, nec minis, nec iterátis cruciátibus addúci pótuit ut thus idólis adoléret, neque ut libros ſacros tráderet: quaprópter craticulæ ſubjéctis ardētibus prunis impónitur: applicántur membris láminæ; decúrrit inter candéntis ferri aſperitátem liquor, ſtridens flamma arvínâ reſpérgitur, ſalis ígnibus ſparſi crepitántes minútiæ per membra diſſíliunt: interea Martyr invíctus, eréctis in cœlum óculis, Dóminum precabátur.

Lectio vj.

POſt hæc in cárcere teſtáceis fragméntis ſtrato diſténditur, ut teſtárum acúlei vúlnerum dolorem exaſperárent. Sed illuſtráto cœlitus cárcere, Angelorum fovétur obſéquio, allóquio mulcétur, ſolútis néxibus deámbulans pſallit, cónſonat vocis Angélicæ moduláta ſuávitas: quod per rimas conſpiciéntes ſtupefácti cárceris cuſtódes, Chriſtiánæ religióni fidéliter ſe dedunt.

Edúctus inde Vincéntius molli cúlcitræ impónitur, ut aliquántulum recreátus, ácrius dénuò torqueretur; verùm pretiósam reſolútus in mortem, Daciáno inániter de ſupplício cogitánte, Deo autem cleménter diſponénte de præmio, cœlo ſpíritum réddidit. Circumſtántium frequéntia Sancti veſtígia deoſculándo prolámbit, vúlnera totíus laceri córporis piâ curioſitáte palpat, ſánguinē línteis éxcipit ſacrâ veneratióne poſteris profuturúrum. Conténdit adhuc cum mórtuo cadávere Daciánus; ſed fruſtra feris óbjicit, fruſtrà prójicit in mare: quod omníno non apparére ſatágerat, nutu divíno ſemper próditur corpus, ut religioſiùs humándū, inquit Auguſtínus, venerãdúmque demõſtrarétur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. 28.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non poſſunt occídere. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Sermone 274.

MAgnum ſpectáculum ſpectávimus óculis fídei, Mártyrem ſanctū Vincéntium ubíque vincéntem. Vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in cõfeſſione, vicit in tribulatióne; vicit exúſtus ígnibus: vicit ſubmérſus fluctibus: poſtrémò vicit tortus, vicit mórtuus.... Quis iſtam patiéntiā mílitiſuo donávit, niſi qui pro illo prior ſánguinem fudit? Cui dícitur in Pſalmo; Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine, Dómine, ſpes mea à juventúte mea. Magnum certámen magnam cómparat glóriam; non humánam nec temporálem, ſed divínam & ſempitérnam. Fides pugnat; & quando fides pugnat, carnem nullus expúgnat.

Lectio viij.

Serm. 274. & 276. Cap. 2.

QUiſquis putat ſanctum Vincéntiū víribus ſuis iſta potuíſſe, nimis errat. Quiſquis enim víribus ſuis hoc ſe poſſe præſúmpſerit, & ſi videtur víncere patiéntiâ, víncitur à ſupérbia. Bene víncere, hoc eſt, univérſas máchinas (diáboli) víncere. Illécebras dum miníſtrat, víncitur per continéntiam: pœnas & torménta infligit, víncitur per patiéntiam: errores súggerit, víncitur per ſapiéntiam. Si conſiderétur in iſta paſſióne humána patiéntia, íncipit eſſe incredíbilis; ſi agnoſcátur divína poténtia, déſinit eſſe mirábilis. Tanta graſſabátur crudélitas in Mártyris córpore, & tanta tranquíllitas proferebátur in voce, tantaque pœnárum aſpéritas ſæviébat in membris, & tanta ſecúritas ſonábat in verbis, ut miro

modo

modo putarémus, Vincéntio patiénte, álium non loquéntem torquéri. Et verè, fratres, ita erat: prorsús ita erat: álius loquebátur.. Promíſi tenim & hoc téſtibus ſuis Chriſtus in Evangélio, quos ad hujúſmodi certámẽ præparábat.

Lectio ix. Cap. 4.

QUæ hódie régio, quæve província ulla, quòúſque vel Románum impérium, vel Chriſtiánum nomen exténditur, Natálem non gaudet celebráre Vincéntii? Quis autem hódie Daciáni vel nomen audíſſet, niſi Vincéntii paſſiónem legíſſet? Quòd verò tantâ curâ ſervávit Dóminus Mártyris corpus, quid áliud demonſtrávit, niſi ſe gubernáſſe vivéntem, quem non relíquit exánimem? Vicit ergo Daciãnũ vivens Vincéntius, vicit & mórtuus. Vivens torménta calcávit, mortuus mária tranſnatávit. Sed ipſe inter undas gubernávit cadáver extínctum, qui inter úngulas ánimum donávit invíctum. Non flexit flamma tortóris cor ejus; non merſit aqua maris corpus ejus.

In Veſperis, Commemoratio de ſequent.

DIE XXIII.

SS. BABYLÆ, Anthiochíæ Epíſcopi, & Sociórum ejus, Martyrum.

Simplex.

ORATIO.

EXáudi nos, Dómine, Mártyrum tuórum Babylæ, & ſociórum ejus victórias celebrántes; ut córdibus ex eórum paſſióne ſuccénſis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per Dóminum.

Lectio iij.

Ex Euſebio Libr. 6. Hiſtor. Chryſoſt. Orat. contra Gent. Sozom. Lib. 5. Theodoreto Lib. 3. Rufino, &c.

BAbylas, in Antiochéna ſede Zebíni ſuccéſſor, ſub Décio in cárcerem pro Chriſto conjéctus, & vínculis férreis conſtríctus, cápite damnátus eſt cum tribus adoleſcéntibus, qui cum eo pro fide decertárunt, & ſepúltus cum caténis ſuis, ut ipſe morti próximus mãdáverat. Poſtquam verò Gallus Juliani frater, Chriſtiánus, à Conſtántio Cæſar renuntiátus, Antiochíæ ſedem fixíſſet, in ſubúrbio Daphnes è regióne templi Apollinis ædificávit Eccléſiam, ut ſubúrbium à Gentílium ſuperſtitióne & flagítiis purgáret; & in eam Bábylæ & ſociórum córpora deférri juſſit. Obmutuit dæmon ad præséntiam ſacrorum pígnorum. Quare cùm Juliánus Apoſtata impérium eſſet adéptus, illa inde exportári vóluit, ut ſiléntis Apóllinis lingua ſolverétur. Itaque Chriſtiáni eò conveniéntes, arcam Mártyrum in urbem detulérunt, præcinéntibus iis qui Pſalmos apprimè callébant, reſpondénte deinde multitúdine, & hunc ſubínde verſículum ſuc-

cinénte: Confundántur omnes qui adórant ſculptília, & qui gloriántur in ſimulácris ſuis. Poſt tranſlátas in urbem relíquias, igne cœlitùs demíſſo, templum Apóllinis exúſtum eſt, & ipſum ſimulácrum in cínerem redáctum.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXIV.

S. TIMOTHEI, Epheſini Epiſcopi, & Martyris.

Semidupl.

Omnia de Communi unius Mart.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Pauli Epiſt. Euſeb. Hiſt. Lib. 3. Cap. 4. Chryſoſt. in 1. Timot. Hom. Theod. in Paul. Præfat.

Timótheus, Lyſtris in Lycaónia natus, patrem hábuit Gentílem, matrem Judæam, nómine Eúnicen, & aviam Loiden, quarum fidem non fictam laudat Apóſtolus. Fuit éadem fides in Timótheo, quippe qui ab infántia ſacras líteras didiciſſet, & teſtimónium ei bonum rédderent qui in Lyſtris erant & Icónii fratres. Hinc factum eſt ut illum, licèt adhuc júvenem, Paulus aſſúmpſerit ſuæ peregrinatiónis cómitem, prædicatiónis & labóris ſócium. Sed propter Judæos, qui ſe ad Chriſtum convérterant, ne quoquo modo hóminem patre Gentíli natum refúgerent, Timótheum circumcídit.

Lectio v.

Nec cunctátus eſt Timótheus vixdū adoléſcens, famíliā, paréntes, domum deſérere, plus ómnibus æſtimáns hærére Paulo. Quantùm autem ſub tanto magíſtro profécerit in fide, in doctrína, in omni ſanctitáte, & in Apoſtólico zelo máximè, teſtátur ipſe Paulus, cùm eum vocat fílium ſuum diléctum, & ad Philippénſes ſcribit ſe néminem habére ſibi tam unánimem; quaſi, ut ait Chryſóſtomus, factus eſſet novus Paulus. Unde illi, ut hómini Dei, miniſtérium omne crédere non dúbitans, ſecúndùm præcedéntes de illo prophetías per impoſitiónem mánuum ſuárum illum ordinávit in Epíſcopum Epheſínum; quin & totíus Aſiæ rectórem conſtítuit ac príncipem.

Lectio vj.

Ad eum Apóſtolus duas Epíſtolas ſcripſit; primam è Macedónia, álteram Româ, quibus tamquam Chriſtiánæ plebis doctórem illum inſtítuit de iis ómnibus quæ vel ágere, vel docére, vel fúgere débeat. Scripſit autem Timótheus unà cum Paulo Epíſtolas tres: ſcilicet

alteram ad Corinthios, unam ad Coloſsénſes, & unam ad Philippénſes. Ambo quoque cum Sylváno ſcripſérunt utrámque ad Theſſalonicénſes Epíſtolam. Nec dúbium quin uſque ad víncula & cárceres Chriſto teſtimónium perhibúerit, qui à ſancto Paulo laudátur quòd bonam confeſſiónem conféſſus fuerit coram multis téſtibus, & ab eódem ad Hebræos commendátur ut dimíſſus. Cum Epheſi in quadam celebritáte dæmónibus ſacra fierent, ab hac impietáte pópulum removére conténdens Timótheus, fúſtibus & lapídibus, ut fert Græcórum tradítio, óbrutus, inter diſcipulórum manus paulòpoſt expirávit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14. 26.

IN illo témpore; Dixit Jeſus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxórem, & filios, & fratres, & ſoróres, adhuc autem & ánimam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcípulus. Et réliqua.

Homília ſancti Chryſoſtomi Epiſcopi.

Homil. 1. ad populum Antiochenum. num. 3.

TImóthei virtúti quid æquále? Sic delícias aſpernabátur, ut in morbum ex victûs aſperitáte, & nímio cáderet jejúnio... Quis non admirétur ipsíus philoſóphiam & diligéntiam? Ipſos attígerat cœlos; ad virtútis culmen pervénerat: & hæc ipſi præceptor atteſtátur, dicens: Miſi vobis Timótheũ, qui eſt fílius meus diléctus, & fidélis in Dómino. Quando autem Paulus ipſum vocat filium, & filium diléctum & fidélem, hæc verba omnem ipsíus virtútem demonſtráre ſufficiunt. Sanctórum enim judícia nec ad grátiam, nec ad inimicítiam fiunt, ſed ab omni ſunt præſúmpta opinióne líbera. Non fuiſſet tam beátus Timótheus, ſi Pauli fílius à natúra fuíſſet, quàm nunc eſt admirábilis; quóniam ſecúndùm carnem nihil ad ipſum áttinens, per cognatiónem quæ eſt ſecúndùm religiónem, in ipsíus ſe adoptiónem indúxit, cum ſedulitáte diſciplínæ illíus caractéres in ómnibus ſervans.

Lectio viij. n. 3. & 4.

SIcut vítulus tauro conjugátus, ſic jugum cum illo trahébat ubíque terrárum, & níhilo propter ætátem deficiébat: ſed ſtúdium, ut cum præceptóris labóribus conténderet, præſtábat. Et horum teſtis rurſus ipſe Paulus, ſic dicens: Nemo ipſum contémnat; opus enim Dómini operátur, ſicut & ego. Vidíſti ut omníno æquále ſtúdium ipſi atteſtétur?... Verúmtamen cùm ad tantam officiórum altitúdinem aſcendiſſet, neque ſic confidébat, ſed in

anxietáte animi erat, & in timóre: ídeòque cum inſtántia jejunábat... Sciébat quòd diffícilis res eſt juvéntus, quòd jactábilis, decéptu fácilis, lábilis eſt, & vehementióri índiget fræno. Idcírco ipſam úndique obſtruebat, ut compéſceret.

Lectio ix.

AD hæc autem & illud máximè quiſque in ipſo miráry poſſet, quòd tali labórans infirmitáte, & tanta cum ægritúdine, Dei negótia non negligébat, ſed ámpliùs quàm valētes & córpore vigéntes circúmquàque volitábat, jam Epheſum, jam Corínthum; in Macedónia ſæpè, in Itália, ubíque terrárum, ubíque maríum cum præceptóre appárens, ómnibus in certamínibus, & contínuis perículis cum ipſo cōmunicábat, nec ánimi ſapiéntiam proſtrávit córporis imbecíllitas: tantùm valet in Deum zelus, tam leves éfficit alas.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XXV.

CONVERSIO SANCTI Pauli, Apoſtoli.

Duplex tertiæ Claſſis.

AD I. VESPERAS.

Mirabilia miſericordiæ divinæ in Paulum errantem conſilia.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. irr. BEnjamin lupus rapax, manè cómedet prædam, & veſperè dívidet ſpolia. *Gen.* 49. 27.

Ant. t. 3. E. Non vult Deus períre ánimam; ſed retractat cógitans, ne pénitus péreat qui abjéctus eſt. 2. *Reg.* 14. 14.

Ant. t. 4. E. Convertétur, & erit in oſtenſiónem, ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos. *Iſ.* 6. 13.

Ant. t. 7. C. Vidit Dóminus præſumptiónem cordis ejus, quoniam mala eſt. Adimplévit propitiatiónem ſuā in illo, & oſténdit ei viam æquitátis. *Eccli.* 18. 10. 11.

Ant. t. 8. g. Quàm magna miſericórdia Dómini, & propitiátio illius converténtibus ad ſe! *Eccli.* 17. 28.

Capitulum. Act. 9. 1. 2.

SAulus adhuc ſpirans minárum, & cædis in diſcípulos Dómini, accéſſit ad Príncipem Sacerdótum, & pétiit ab eo Epiſtolas in Damáſcum ad ſynagógas; ut ſi quos inveníſſet hujus viæ viros, ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jeruſalem.

℟. Ut quid, Dómine, víneam tuā exterminávit aper de ſylva: & ſinguláris ferus depaſtus eſt eam? * Deus virtútum, convértere; réſpice de cœlo, & vide, & † Viſita víneam iſtam. ℣. Quanta mala fecit Sanctis tuis in Jeruſalem! & hic habet poteſtátem alligándi omnes, qui invocant nomen tuum. * Deus virtútum. Glória. † Viſita. *Pſ.* 79. 13. 14. 15. *Act.* 9. 13. 14.

HYMNUS.

Ex Guill. Sant. Epiſc.

PAſtóre percúſſo, minas
Spirábat & cædes lupus;
Sparsúmque vaſtábat gregẽ,
Te, Chriſte, Saulus néſciens.

Et jam caténas ſtríngere
Ferox parábat, jam cruces;
Sed ô! repentè ſtérnitur
Verbóque percúſſus ruit.

Quid, Saule, Saule, quid ſtruis?
Agnóſce victrícem manum:
Cœlo reluctári nefas;
Abſiſte Jeſum pérſequi.

Jam tendit imbélles manus;
Jam colla ſubmíttit jugo:
Stupens jacet, clamat tremens,
Quid, Chriſte, quid victor jubes?

Ex hoſte miles, ex lupo
Agnus, gregi ſe dévovet;
Et raptor ipſe, nóbili
Raptus triúmpho dúcitur.

O celſa cedrórum, Deus,
Qui voce vertis cúlmina!
O qui poténti súbjicis
Mentes ſupérbas grátiæ!

Tu, Paſtor, inſénſas tuo
Vires ovíli cóntere;
Et noſtra, ſi quid dévium,
Ad te reflécte péctora.

Uni ſit & trino Deo
Supréma laus; ſummum decus,
De nocte, qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Uſquequò, Deus, improperábit inimícus? ℟. Irritat adverſárius nomen tuũ in finem? *Pſ.* 73. 10.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *g.* Egréſſum tuum, & intróitum tuum cognovi, cùm fúreres advérsùm me: ponam ergo frænum in lábiis tuis, & redúcam te in viam, per quam veníſti. *Iſ.* 37. 28. 29.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commemoratio S. Timothei, & deinde S. Prajecti Martyris Oratio. Omnípotens. *pag.* xj.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Dóminum qui venit peccatóres ſalvos fácere, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 1. 15.

IN I. NOCTURNO.

Pauli in Eccleſiam furentis errores.

Ant. t. 2. *D.* Ego de tribu Bénjamin, ſecúndùm legem Phariſæus, ſecúndùm æmulatiónem pérſequens Eccléſiam Dei. *Phil.* 3. 4. 5. 6.

Ant. t. 3. *a.* Exiſtimáveram me advérsùs nomen Jeſu Nazaréni debére multa contrária ágere; quod & feci Jeroſolymis. *Act.* 26. 9. 10.

Ant. t. 4. *a.* Supra modum perſequébar Eccléſiam Dei, abundántiùs æmulátor exíſtens paternárum meárum traditiónum. *Gal.* 1. 13. 14.

℣. Tu ſcis inſipiéntiam meam: ℟. Et delícta mea à te non ſunt abſcóndita. *Pſ.* 68. 6.

Lectiones ex Script. occurrente.

℟. Audiens audívi: caſti-

gáſti me, Dómine, & erudítus ſum, * Quaſi juvénculus indómitus: convérte me, & convértar; quia tu Dóminus Deus meus. ℣. Ego eram conclúdens in cárcerem & cædens per ſynagógas eos qui credébant in te. * Quaſi. *Jer.* 31. 18. *Act.* 22. 19.

℟. Poſtquam oſtendíſti mihi, Dómine, percúſſi femur meum. * Confuſus ſum, & erúbui; quóniam ſuſtínui oppróbrium adoleſcéntiæ meæ. ℣. Cum funderétur ſanguis Stéphani teſtis tui, ego aſtábam, & conſentiébam, & cuſtodiébam veſtiménta interficiéntium illum. * Confuſus. *Jer.* 31. 19. *Act.* 22. 20.

℟. Dixi: Nunc cœpi; * Hæc mutátio déxteræ Excélſi. † Deus, in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabília. ℣. Ego ſum mínimus Apoſtolórum, qui non ſum dignus vocári Apóſtolus, quóniam perſecútus ſum Eccléſiam Dei. Grátiâ autem Dei ſum id quod ſum. * Hæc mutatio. Glória. † Deus. *Pſ.* 76. 11. 14. 15. 1. *Cor.* 15. 9. 10.

IN II. NOCTURNO.

Gratiæ triumphus.

Ant. t. 4. *a.* Damáſcum pergébam, ut addúcerem inde vinctos in Jeruſalem, ut puniréntur. *Act.* 22. 5.

Ant. t. 7. *a.* Eúnte me médiâ die, súbitò de cœlo circumfúlſit me lux copióſa. *Act.* 22. 6.

Ant. t. 8. *g.* Décidens in terram, audívi vocem dicéntem mihi: Saule, Saule, quid me perſéqueris? *Act.* 22. 7.

℣. A Dño factum eſt iſtud; ℟. Et eſt mirábile in óculis noſtris. *Pſ.* 117. 23.

De Actibus Apoſtolórum. *Lectio iv. Cap.* 9. *v.* 1. *ad* 10.

Saulus adhuc ſpirans minárum, & cædis in diſcípulos Dómini, accéſſit ad Príncipem ſacerdótum, & pétiit ab eo epíſtolas in Damáſcum ad ſynagógas: ut ſi quos inveníſſet hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jeruſalem. Et cùm iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damáſco: & súbitò circumfúlſit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audívit vocem dicéntem ſibi: Saule, Saule, quid me perſéqueris? Qui dixit: Quis es tu, Dómine? Et ille: Ego ſum Jeſus quem tu perſéqueris: durum eſt tibi contra ſtímulum calcitráre. Et tremens ac ſtupens, dixit: Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum: Surge & ingrédere civitátem, & ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, ſtabant ſtupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertíſque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, intro-

duxérunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diébus non videns, & non manducávit, neque bibit.

℟. Audívi vocem ſermónum ejus: * Et áudiens jacébam conſternátus ſuper fáciem meam, & vultus meus hærébat terræ. ℣. Omnes nos cùm decidiſsémus in terram, audívi vocem loquéntem mihi. * Et áudiens. *Daniel.* 10. 9. *Act.* 26. 14.

Lectio v. 10. *ad* 17.

ERat autem quidam diſcípulus Damaſci, nómine Ananías; & dixit ad illum in viſu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge, & vade in vicum qui vocátur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum nómine, Tarsénſem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananíam nómine, introeúntem, & imponéntem ſibi manus ut viſum recípiat.) Reſpóndit autem Ananías: Dómine, audívi à multis de viro hoc, quanta mala fécerit Sanctis tuis in Jeruſalem: & hic habet poteſtátem à Princípibus ſacerdótum alligándi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram géntibus, & régibus, & fíliis Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta opórteat eum pro nómine meo pati.

℟. Illúminans tu mirabíliter à móntibus ætérnis: * Turbáti ſunt omnes inſipiéntes corde ab increpatióne tua, Deus Jacob. De cœlo audítum fecíſti judícium; terra trémuit. ℣. Viri qui comitabántur cum eo, ſtabant ſtupefácti, audiéntes vocem. * Turbáti ſunt. *Pſ.* 75. 5. 6. 7. 9. *Act.* 9. 7.

Lectio vj. v. 17. *ad* 21.

ET abiit Ananías, & introívit in domum: & impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus miſit me Jeſus, qui appáruit tibi in via, quà veniébas, ut vídeas, & impleáris Spíritu ſancto. Et confeſtim cecidérunt ab óculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum recépit: & ſurgens baptizátus eſt. Et cùm accepíſſet cibum, confortátus eſt. Fuit autem cum diſcípulis, qui erant Damáſci, per dies aliquot. Et continuò in ſynagógis prædicábat Jeſum, quóniam hic eſt Fílius Dei.

℟. Diſſipátum eſt vas, quod ipſe faciébat e luto mánibus ſuis: * Cōverſúſque † Fecit illud vas álterum, ſicut placúerat in óculis ejus. ℣. Dixit Dóminus ad Ananíam: Vade, quóniam vas electiónis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram géntibus. * Conversúſque. Gloria. † Fecit illud. *Jerem.* 18. 4. *Act.* 9. 15.

IN III. NOCTURNO.

Paulus ad magna poſt converſionem vocatur.

Ant. t. 8. c. Dóminus dixit ad me : Surgens vade Damaſcum, & ibi tibi dicétur de ómnibus quæ te opórteat fácere. *Act.* 22. 10.

Ant. t. 1. irr. Cum non vidérem præ claritáte lúminis illíus, ad manum dedúctus, veni Damaſcum. *Act.* 22. 11.

Ant. t. 2. D. Dixit ad Ananiam Dóminus : Vade, & quære Saulum nomine Tarsénſem : ecce enim orat. *Act.* 9. 11.

℣. Miſericórdia tua, Dómine, magna eſt ſuper me : ℟. Eruíſti ánimam meam ex inferno inferiori. *Pſ.* 85. 13.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15. 16.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Non vos me elegíſtis ; ſed ego elégi vos, & poſui vos ut eátis, & fructum afferátis ; & fructus veſter maneat. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Serm. 279. de Paulo Apoſt. in Solemnitate Converſionis ejuſdem.

DE perſecutóre prædicatorem fecit (Chriſtus) percútiens & ſanans, occidens & vivíficans ; occíſus agnus à lupis & fáciens agnos de lupis. Prædíctum erat in præclára prophetía, cùm Jacob ſanctus Patriárcha benedíceret filios ſuos, præséntes tangens, futúra proſpíciens, prædíctum erat quod in Paulo cóntigit. Erat enim Paulus, ſicut ipſe teſtátur, de tribu Benjamin. Cùm autem Jacob benedícens filios ſuos, veníſſet ad Bénjamin benedicéndum, ait de illo : Bénjamin lupus rapax, manè rapiet, & ad veſperum dívidet eſcas. Hoc in Apóſtolo Paulo complétum eſt, quia & de illo prædíctum erat. Jam ſi placet, inſpiciámus illum manè rapientem, & ad véſperas eſcam dividentem. Attendite raptórem... Saulus, ſicut Actus Apoſtolórum teſtántur, ibat ſpirans & anhélans cædes. Hic eſt ille manè rápiens. Videamus, ad véſperam dívidet eſcas. Voce Chriſti de cœlo proſtratus audívit, Saule, Saule, quid me perſéqueris ? .. Et ille : Quid me vis fácere ? Jam parat ſe ad obediéndum, qui priùs ſæviébat ad perſequéndum. Jam informátur ex perſecutóre prædicátor, ex lupo ovis, ex hoſte miles.

℟. Abiit vagus in via cordis ſui. * Vias ejus vidi, & ſanávi eum, & redúxi eum, & réddidi conſolatiónes ipſi. ℣. Reſpondit Ananias, Dómine, audívi à multis de viro hoc quanta mala fécerit Sanctis tuis. Dixit autem ad eum Dóminus. * Vias ejus. *Iſ.* 57. 17. 18. *Act.* 9. 13. 15.

Lectio viij. in Joan. Tract. 86. n. 2.

HÆc eléctio grátiæ eſt, de qua dicit Apoſtolus: Sic ergo & in hoc tempore, relíquiæ per electiónem grátiæ ſalvæ factæ ſunt. Unde ſubjúngit: Si autem gratia, jam non ex opéribus; alióquin grátia jam non eſt grátia. Audi, ingráte; ingráte, audi: Non vos me elegiſtis, ſed ego elégi vos. * Non eſt ut dicas, Ideò eléctus ſum, quia jam credébam: ſi enim credébas in eum, jam elégeras eum. Sed audi: Non vos me elegíſtis. Quid ergo dictúri ſumus audiéndo, Non vos me elegíſtis, niſi, quia mali erámus, & elécti ſumus, ut boni per grátiam nos eligéntis eſſémus? Non eſt enim grátia, ſi præceſſerant mérita: eſt autem grátia: hæc igitur non invenit, ſed effécit mérita.

℟. Ananias impónens Saulo manus, dixit: Dóminus miſit me Jeſus, ut vídeas & impleáris Spíritu ſancto. Et* Conféſtim cecidérunt ab óculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum recépit. ℣. Obturátus eſt óculus hóminis, qui viſiónem Omnipoténtis intúitus eſt; cadit, & ſic aperiúntur óculi ejus. * Conféſtim. *Act.* 9. 17, 18. *Num.* 24. 3. 4.

Lectio ix. de S. Præjecto.

Ex Bolland. Mabill. Sæc. 2. *Benedict. & aliis.*

PRæjectus, Arvérnus, Caſſii, Victoríni, Anatoliáni & aliórum qui Arvérnis martyrio coronáti ſunt, Acta conſcrípſit adhuc Diáconus. Candidinénſi cœnobio à Felíce Arvernorum Epiſcopo præpoſitus, & ordinátus Présbyter, eídem deinde ſucceſſor ómnium votis, & ipſius regis aſſénſu datus eſt. Suſcépti múneris partes adimplevit quàm diligentiſſimè, ſic veri Paſtóris inténtus officio, ut ália pietátis ópera non negligeret, ſollícitus monaſtéria conſtrúere, Mártyrum conquírere córpora, quò eis cultus honorátior accéderet. Ad regem Childerícum ſecúndò profectus, ut Eccléſiæ ſuæ bona contra Hectórem Maſſíliæ patrícium vindicáret, diversátus eſt in cœnobio Doroagenſi in Vóſago, ubi Amarínum Abbátem à febre liberávit qui eum ſecútus eſt ad Arvérnos reverténtem. Cùm autem rex in Hectórem animadvertiſſet, Agrícius quidam primóres civitátis in Præjectum excitavit: cùmque à ſicáriis ad necem quæreretur, ejus loco Amarínus per errórem trucidátus eſt. Ille verò ne corónâ martyrii fraudarétur, percuſſóribus ſe ultrò ófferens, Hic eſt, inquit, quem quæritis: implete quod vobis imperatum eſt. Eórum ſtatim alter pugiónem in pectus ipſi adegit, alter ve-

ro cérebrum excúſſit invocánti & dicénti : Dómine, ne ſtátuas illis hoc peccatum, quia néſciunt quid fáciunt.

℟. Véniens ad me Ananías, dixit : Saule frater, Deus præordinávit te, ut vidéres juſtum, & audíres vocem ex ore ejus, quia eris teſtis illíus ad omnes hómines. * Et nunc quid moráris? Exúrge, baptizáre, & áblue peccata tua. ℣. Inſiliet in te Spíritus Dómini, & prophetábis, & mutáberis in virum álium. * Et nunc. Glória. * Et nunc. *Act.* 22. 13. 14. 15. 16. 1. *Reg.* 10. 6.

Te Deum.

AD LAUDES.

Pauli, poſt converſionem labores.

℣. *Sacerdot.* Miſericórdias Dómini in ætérnum cantábo : ℟. In generatiónem & generatióne annuntiábo veritátem tuam. *Pſ.* 88. 2.

Ant. t. 1. *irreg.* BAptizátus eſt Saulus : fuit autem cum diſcípulis qui erant Damáſci per dies aliquot, & continuò in ſynagógis prædicabat Jeſum. *Act.* 9. 18. 19. 20.

Ant. t. 8. *g.* Stupébant omnes qui audiébant, & dicébant : Nonne hic eſt qui expugnábat in Jeruſalem eos, qui invocábant nomen iſtud? *Act.* 9. 21.

Ant. t. 5. *a* Saulus multò magis convaleſcébat, & confundébat Judæos qui habitábant Damáſci, affirmans quóniam hic eſt Chriſtus. *Act.* 9. 22.

Ant. t. 6. *f.* Conſílium fecérunt in unum Judæi, ut eum interfícerent. Accipiéntes autem eum diſcípuli nocte, per murum dimiſérunt eum in ſporta. *Act.* 9. 23. 25.

Ant. t. 1. *a.* Cùm veniſſet in Jeruſalem, Bárnabas illū duxit ad Apóſtolos : & erat cum illis intrans & éxiens, & fiduciáliter agens in nómine Dómini. *Act.* 9. 26. 27. 28.

Capitulum. *Act.* 26. 19. 20.

NOn fui incrédulus viſioni; ſed his qui ſunt Damaſci primùm, & Jeroſólymis, & in omnem regiónem Judææ, & Géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum.

℣. Miſericórdia tua ante óculos meos eſt : ℟. Et complácui in veritáte tua. *Pſ.* 25. 3.

Ad Bened. Ant. t. 1. *D.* Eram ignótus fácie Eccléſiis Judææ; tantùm audítum habébant; Quoniam qui perſequebátur nos aliquándo, nunc evangelízat fidem : & in me clarificábant Deum. *Gal.* 1. 22. 23. 24.

Oratio.

ILla, quæſumus, Dómine, grátia corda noſtra ad te convértat, quæ beátum Apóſtolum tuum Paulum de perſecutore vas electiónis effécit; Per, &c.

Comm. S. Præjecti.

Ad Horas br. Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Gal. 1. 15. 16.

CUm plácuit ei, qui me ſegregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam ſuam, ut reveláret Fílium ſuum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus: contínuò non acquiévi carni & ſánguini.

℟. Deus, docuíſti me; * Uſque nunc pronuntiábo mirabília tua, donec annúntiem bráchium tuum generatióni omni, quæ ventúra eſt. ℣. Non enim erubéſco Evangélium. * Uſque. Glor. Uſque. *Pſ.* 70. 17. 18. *Rom.* 1. 16.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Timot.* 1. 12. 13.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério, qui prius blaſphémus fui. *

℟. *br.* Cogitávi vias meas; * Convérti pedes meos. Cogitávi. ℣. In teſtimónia tua. * Convérti. Glória. Cogitávi. *Pſ.* 118. 59.

℣. Poteſtas Dei eſt, ℟. Et tibi, Dómine, miſericórdia. *Pſ.* 61. 12. 13.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 22. 17. 18. 21.

FActum eſt reverténti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupóre mentis, & vidére Jeſum dicéntem mihi: Exi velóciter in Jeruſalem, quóniam non recipient teſtimónium tuum de me. Vade, quóniam ego in natiónes longè mittam te.

℟. *br.* Erípies me * De contradictiónibus pópuli. Erípies. ℣. Conſtítues me in caput Géntium; * De contradictiónibus. Glória. Erípies. *Pſ.* 17. 44.

℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine; ℟. Magníficans ſalútes regis ejus. *Pſ.* 17. 50. 51.

AD II. VESPERAS.

Miſericordiæ Dei laus & gratiarum actio.

Ant. t. 8. c. FIdélis ſermo, quòd Chriſtus venit in hunc mundum peccatóres ſalvos fácere, quorum primus ego ſum. 1. *Tim.* 1. 15.

Ant. t. 3. a. Insániens in Sanctos, perſequébar uſque in éxteras civitátes. *Act.* 26. 11.

Ant. t. 5. a. Miſericórdiam Dei conſecútus ſum, quia ignórans feci in incredulitáte. 1. *Tim.* 1. 13.

Ant. t. 6. f. Ubi abundávit delíctum, ſuperabundávit grátia. *Rom.* 5. 20.

Ant. t. 8. c. Grátia ejus

in me vácua non fuit; ſed abundántiùs ómnibus laborávi: non ego autem, ſed grátia Dei mecū. 1. Cor. 15. 10.

Capitulum. 1. Tim. 2. 7.

POſitus ſum ego prædicátor, & Apoſtolus (veritátem dico, non méntior) Doctor Géntium in fide, & veritáte.

Hymnus *ex Guil. Ep. S.*

QUæ gloriósum tanta
cœlis évocat,
Te, Chriſte, cauſa? tu ne
rurſum víſere
Mundum Redémptor? tu
ne judex ſæculi?
Novum ne prodis ultor
hoſtem pérdere?
Heu quàm cruéntus perſecútor! quàm ferox
Insúrgit! horret ac fugit
grex quâ premit;
Humana tanto nulla par
hoſti manus:
Te, Chriſte, ſparſæ víndicem poſcunt oves.
Hunc ergo voce victor unâ
súbjicis;
Totum ſed uno ſubdis in
Saulo tibi,
Vincíſque mundum; ſternis ut mox érigas,
Agníſque prædam dívidat
lupus tuis.
Sit Trinitáti ſempitérna glória
Honor, potéſtas, atque
jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat
ómnia,
Per cuncta regnat ſæculórum ſæcula. Amen.

℣. Magnus es tu, Dómine, & fáciens mirabília: ℟. Tu es Deus ſolus. Pſ. 85. 10.

Ad Magnif. *Ant. t. 8. g.* Qui priùs blaſphémus fui, & perſecútor, ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſténderet Chriſtus Jeſus omnem patiéntiam, ad informatiónem eorū, qui creditúri ſunt illi. 1. Tim. 1. 13. 16.

Comm. S. Polycarpi, Mart. Oratio. Omnipotens. *pag.* xj.

Deinde S. Paulæ Viduæ.

Oratio. Tuórum. *pag.* lvij.

Die xxvi.

S. POLYCARPI,
Smyrnenſis Epíſcopi
& Mart.

Semiduplex.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Ignat. Epiſt. ad Smyrn. & Epiſt. ad Polyc. Iren. Epiſt. ad Flor. Euſeb. L. 3. & 5. Hieron. de Script. Eccl. & aliis.

POlycárpus Joánnis Apóſtoli diſcipulus, ab eo Smyrnæ ordinátus Epíſcopus, quem Eccleſiárum totíus Aſiæ Principem Hierónymus appéllat, símili título adhuc in vivis agens, tam ab Ethnicis, quàm à Chriſtiánis fúerat donátus. Unde non mirum quòd Polycrates Ephesiórum Epíſcopus in Epíſtola ad Victórem Papam, primum, poſt Joánnem Apóſtolum, locum inter illuſtrióres Aſiæ viros Polycárpo concésſerit, quippe qui nónullos

Apoſtolórum, & eórum qui Dóminum converſáti fúerant, víderit, & habúerit magíſtros. Apud illum diverſátus eſt ſanctus Ignátius Martyr Romam iter fáciens, & ipſi, quem dignum Deo vocat Epiſcopum, Eccléſiam ſuam Antiochénam morti próximus cõmendávit. Propter quaſdam de die Paſchæ quæſtiónes, ſub Imperatóre Antoníno Pio, Eccléſiam in urbe regénte Anicéto, Romam venit Polycárpus, ibíque plúrimos credéntium Marciónis & Valentíni perſuaſióne decéptos redúxit ad fidem. Cui cùm fortúitò occurríſſet Márcion, & dixíſſet: Cognóſcis nos? Reſpóndit; Cognóſco primogénitũ diáboli. Póſtea verò, quartâ poſt Nerónem perſecutióne, Smyrnæ ſedénte Procónſule, & univérſo pópulo in amphiteátro advérsùs eum perſonánte, igni tráditus eſt. Scripſit ad Philippénſes valdè utilem Epiſtolam, quæ uſque hódie, inquit Hierónymus, in Aſiæ convéntu légitur.

Lectio v.

Ex Epíſtola Eccleſiæ Smyrnénſis ad Eccléſias Ponti.

Euſeb. Lib. 4. Hiſt. Cap. 15.

Polycárpus ad tribúnal Procõſulis addúctus eſt. Cùmque inſtáret Procónſul, diceréque: Jura, & prótinus te dimíttam, dic convítia advérsùs Chriſtum: Polycárpus reſpóndit: Sex & octogínta contínuos annos ei miniſtrávi, nec ullâ me umquam affécit injúriâ: & quómodo poſſum ímpiè loqui advérsùs Regem meum, Auctorémque ſalútis meæ? Urgénte rurſus Procónſule, ac dicénte: Jura per génium Cæſaris; Polycárpus dixit: Síquidem ambitiosè conténdis ut ego per génium quem vocas Cæſaris, jurem, símulans te ignoráre quis ſim, audi líberè profiténtem: Chriſtiánus ſum... Quo audíto, univérſa Gentílium ac Judæórum multitúdo incredíbili furóre acclamávit, ut Polycárpus vivus combureréτur.

Lectio vj.

Extrúcto rogo Polycárpus omni veſte depóſitâ, ac ſolúto cíngulo, cálceos étiã ipſe ſibi detráhere tentábat. Cùmque eum clavis affígere étiam vellent: Sínite me, inquit: Qui enim mihi vires dat ad ignis ſupplíciũ fórtiter ſuſtinéndum, idem dabit ut immótus rogo insíſtã. Proínde omíſſis clavis, vínculis dúmtaxat eum aſtrinxérunt. Ille ígitur manus poſt tergum connéctens, & ad palum revínctus, fuit tamquam áries quidam exímius ex magno grege deléctus, qui gratíſſimum holocáuſtum omnipoténti offerrétur Deo. Et cùm precatiónem compléſſet, miníſtri rogum accéndunt. Cũque in gens flamma exarsíſſet, mira res viſa eſt... Ignis enim fornicis ſpéciem præ-

bens, tamquam velum navis ventórum flatu ſinuátum, circum corpus Mártyris ſtetit. . . Poſtrémò cernéntes ímpii corpus flammis non poſſe consúmi, confectórem própiùs accédere, ensémque altè in corpus adígere juſſérunt. Quo facto tanta vis ſánguinis efflúxit, ut ignis prorſus extingueréntur. . . . Centúrio corpus concremávit: atque ita nos demum oſſa illius gemmis pretioſíſſimis chárióra colligéntes, ubi decébat, condídimus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. 9.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Tradent vos in tribulatiónem, & occídent vos; & éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen méum. Et reliqua.

Homília ſancti Polycárpi Epíſcopi & Mártyris.

Epiſtola ad Philippenſes. n. 2.

QUi ſuſcitávit Jeſum à mórtuis, & nos ſuſcitábit, ſi fecérimus ipsíus voluntatem, & ambulavérimus in mandátis ejus, atque dilexérimus ea quæ diléxit: abſtinéntes ab omni injuſtítia, fraudatióne, avarítia, obtrectatióne, falſo teſtimónio: non reddéntes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto, neque pugnum pro pugno, nec imprecatiónem pro imprecatióne; mémores autem eórum quæ dixit Dóminus, docens: Beáti páuperes, & qui perſecutiónem patiúntur propter juſtítiam: quóniam ipsórum eſt regnum Dei.

Lectio viij. n. 8. & 9.

INdeſinénter ergo perſeverémus in ſpe noſtra, & pígnore juſtítiæ noſtræ, quod eſt Chriſtus Jeſus; qui pértulit noſtra peccáta in córpore ſuo ſuper lignum; qui peccátum non fecit; nec invéntus eſt dolus in ore ejus; ſed propter nos, ut in ipſo vivámus, ómnia ſuſtínuit. Imitatores ígitur ſimus patiéntiæ ipsíus: & ſi patiámur propter nomen ejus, glórià illum afficimus. Hoc quippe exémplum nobis póſuit in ſe ipſo: ac nos id crédimus. ✶ Rogo ítaque vos omnes, ut obediátis verbo juſtítiæ, & omnem patiéntiam exerceátis, quam óculis ipſis vidíſtis: non modò in beátis Ignátio, & Zózymo, & Ruſo; ſed étiam in aliis qui ex vobis, ac in ipſo Paulo, cæteríſque Apóſtolis: perſuaſi quòd hi omnes in vácuum non cucurrérunt, ſed in fide ac juſtítia; & quòd in débito ſibi loco ſunt apud Dóminum, cum quo & paſſi ſunt. Non enim præſens ſæculum dilexérunt, ſed eum qui pro nobis mortuus eſt, ac propter nos à Deo eſt reſuſcitatus.

Lectio ix.

De ſancta Paula.

Ex Epíſtola ſancti Hierónymi Presbyteri, ad Euſtóchium.

Sancta ac venerábilis Paula Gracchórum ſtirps, ſóboles Scipiónum, Pauli hæres, ómnium Romæ matronárum exémplum, poſt óbitum maríti viduitatem ampléctens, divítias in páuperes erogávit. Deínde ſolâ Euſtóchio fíliâ comitánte, loca ſancta circa Jeruſalem mirâ pietáte viſitávit. Cuncta tanto ardóre, tantóque ſtúdio circuíbat, ut niſi ad réliqua feſtináret, à primis non poſſet abdúci. Proſtráta ante crucem, tamquam pendéntem Dóminum cérneret, adorábat; ingréſſaque ſepúlchrum, lápidem quem ab óſtio monuménti amóverat Angelus, & ipſum córporis lóculum ore lambébat. Apud Béthleem consédit, ubi tria Vírginum monaſtéria, virorúmque unum conſtrúxit. Illîc Hierónymo diſſerénte, vetus ac novum Teſtaméntũ perlégit, magnam adépta Hebráicæ linguæ perítiam. Elápſis annis vigínti íncidit in graviſſimam valetúdinem. Imo quod optábat, invénit ut Dómino pléniùs jungerétur. Sentiébat adéſſe mortem, & frigénte jam córporis parte, ſolum ánimæ tepórem in ſancto córpore palpitáre; & nihilóminus quaſi ad ſúos pérgeret, alienóſque deséreret, illos verſículos ſuſurrábat: Dómine, diléxi decórem domûs tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ. Et clauſis óculis, quaſi jam mortália deſpíceret, ad extrémum uſque ſpíritum eóſdem Pſalmi verſículos aſsíduè repetébat. Obiit anno Dómini quadringentéſimo quarto, & ſepúlta eſt apud Béthleem in médio Eccléſiæ ſpelúnçæ Salvatóris.

Veſpera de ſequenti, Commemoratio præced.

Die xxvii.

S. Joannis Chryſoſtomi, Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Eccléſiæ Doctoris.

Duplex quartæ Claſſis.

Oratio, Excita, *pag.* xxix.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Ex Palladio in vita Chryſ. Georg. Alexand. & aliis.

Joánnes Antiochíæ natus, in adoleſcéntia baptizátus à ſancto Melétio Epíſcopo, per annos áliquot in ſolitúdine vitam egit. Quinto poſt ſuſcéptum Diaconátum anno, Présbyter Antiochénæ Eccleſiæ à Flaviáno ordinátus, homílias habuit ad pópulum eâ dicéndi eloquéntiâ, eâ ſermonis ſuavitate, eâ oratiónis vehementiâ, ut Chryſóſtomi nomen meruérit. Exáctis eo in múnere annis duódecim, Antiochíæ ſubdúctus, in ſede Conſtantinopolitána, mortuo Nectário

invítus ſufficitur. Tum de Clericórum móribus ſollícitus, vétuit eos ſubintrodúctas habére mulieres, ac lautióres optimátum menſas frequentáre, ipſe cum leviſſimo cibo natúræ tantùm ſatisfaciens neceſſitáti. In ómnibus gregis forma, factus resécuit ſumptus inutiles Eccléſiæ, ac famíliæ Epiſcopális, & quod inde ſupererat, in páuperum cómmodum convertit, præſertímque infirmórum quibus & Noſocómia conſtrúxit: Sex Aſiæ Epiſcopos ab Antoníno Ephesíno per ſimóniam ordinatos in Ephesína Synodo exauctorávit: ac pari ánimi fortitúdine óbſtitit, ne Arianis Gaínæ ducis Gothórum præsídio elátis Basilica concederétur. Fidem in Scythia prædicári, idolórum templa in Phœnícia dirui curavit. Flaviánum Epíſcopum Antiochénum reconciliávit cum Innocéntio Papa, & Occidentálibus, ac Ægyptiis Epíſcopis qui ab eo propter ſuſceptum in locum Meletii, vivénte adhuc Paulíno, Epiſcopátum diſſidébant.

Lectio v.

Cum autem vitam inſtituiſſet áſperam & ſevéram, ac depravàtos ómnium órdinum mores corrígere niterétur, multórum súbiit invídiam; Eudóxiæ Augúſtæ in primis, quæ concionántis verba quædam quaſi in ſe contumelióſa indígnè ferébat. Quare hábita eſt apud Quercum, Chalcedone ſubúrbium, Epiſcopórum áliquot Chryſoſtomo infensórum tumultuária Synodus, in qua, agénte Theophilo Alexandrino, anniténte Eudóxiâ, depóſitus, ejéctus eſt in exílium; quem populus incredíbili ſtúdio, nocte licèt urgénte, longè proſecútus eſt. Sed paulòpoſt, facto terræ motu, & coortâ ſeditióne plebis, ab exílio revocatur. Cùm autem pérditos mores argúere non deſiſteret, & ad argénteam Eudóxiæ ſtátuam in foro ſanctæ Sóphiæ eréctam hiſtriónes lúdere, & vulgi clamoribus divinam pſalmódiā interturbári mínimè pateréretur, idque veheménti & públicâ oratióne reprehēdiſſet, in Epiſcopórum conventículo íterum damnátus eſt, eo ſcílicet prætéxtu quòd in ſedem abſque novæ Synodi judício rediiſſet; & ipsâ nocte Páſchatis Eccléſiâ pulſus, Arcádii Imperatóris juſſu, paucis poſt ménſibus Cucúſum in Arméniam amandátur, dum Epíſcopi quadragínta aliíque complúres, qui ipſi adhæſerant, hincque Joannítæ dicebántur, váriis afficiuntur torméntis. Poſt Chryſóſtomi diſceſſum, erúpens súbitò ex ejus throno flamma Eccleſiam & palátium aſsúmpſit. Mox introdúcitur in illius ſedem Arſácius Nectárii frater, quod Innocentius

nocéntius, ad quem per lítteras Joánnes confúgerat, & Occidētáles Epíſcopi ádeò improbárunt, ut cum eo communicáre noluérint.

Lectio vj.

INterim continuâ febre debilitátus Joánnes, cœptum iter perágere cógitur, donec Cæſaréam Cappadóciæ venit; ubi cùm per áliquot dies commorátus eſſet, remíttere páululum vis morbi cœpit: ſed Cæſariénſis Epíſcopi monachorúmque factióne rurſum exagitátus, réddere ſe itíneri, atque Iſaurórum terras illas vaſtántium immanitáti ſe expónere coáctus eſt. Cucúſum tandem, quò amandátus fúerat, pervénit; ibíque hyemis incleméntiâ penè enéctus, Arméniæ páuperes fruménto & cœléſti verbo páſcere non déſtitit. Hinc propter crebras Iſaurórum incurſiónes, Arabiſſum munítius óppidum, non ſine perículo tranſlátus eſt, deinde Pithyúntem; ut aſsíduis itínerum labóribus confiecerétur. Comána cùm adventáret, pernoctántem in Eccléſia ſancti Baſilíſci, ſic beátus Martyr in ſomnis affátus eſt; Confíde, frater Joánnes, cras enim ſimul érimus. Sūptis poſtrídie cœléſtibus ſacraméntis, consignans ſe in modum crucis, ánimam Deo réddidit anno quadringentéſimo séptimo. Corpus ejus máximo Vírginum, & Monachórum concúrſu ſepultúræ mandátū, poſt áliquot annos Theodóſius Arcádii fílius Conſtantinópolim tránſtulit insígni pompâ, vigéſimâ séptimâ die Januárii, ejúſque Relíquias venerátus, pro paréntibus véniam precátus eſt. Tot, & præclára ádeò dixit, & ſcripſit, ut exiſtimétur dignus, cui Paulus Apóſtolus, quem ille miríficè cóluit, ſcribénti, & prædicánti dictáſſe multa videátur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. 13.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Homilià 15. in Matth.

VOs eſtis ſal terræ: non enim pro veſtra ſalúte tantùm, ſed pro univérſo orbe hæc vobis doctrína commíttitur. Non ad duas urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam vos mitto gentem, ſed ad omnem terram, totúmque mundum, & hunc váriis criminibus oppréſſum. Dicéndo enim: Vos eſtis ſal terræ, oſténdit ómnium hóminum infatuátam eſſe natúram & putrefáctam à peccátis: & idcircò illas ab eis virtútes requírit, quæ máximè ad multórum ſalútem ſunt neceſſáriæ. Ne ígitur puté-

tis, inquit, ad lévia vos ducéndos eſſe certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam eſſe ratiónem; Vos eſtis ſal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti ſunt? Nequáquam, neque enim fíeri poteſt, ut ea, quæ jam corrúpta ſunt, ſalis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, ſed antè renováta, ſibíque trádita, atque ab illa jam putrédine liberáta aſpergébant ſale, & in ea novitáte conſervabant, quam à Dómino ſuſcéperant.

Lectio viij.

Non illos Palæſtínæ Doctóres eſſe dicit; ſed totíus terræ; nec ſimplíciter Doctóres, ſed ſevéros quoſdam atque terríbiles. Hoc eſt enim omníno mirábile, quia non adulántes, neque palpántes; ſed ſalis inſtar aſtringéntes, fere ómnibus ſe tam deſiderábiles reddidérunt. Nolíte ergo miráti, inquit, ſi álios omíttens vos dóceo: non vos tantúmmodo volo eſſe ſapiéntes, ſed tales fácere & cæteros. Hujúſmodi autem magiſtros, máximâ decet pollére prudéntiâ; tantáſque illis virtútum adéſſe divítias, ut áliis quoque utilitátem impértiant.

Lectio ix.

Deínde ad áliud eos ſublímius ducit exēplū. Vos eſtis lux mundi. Iterum mundi, non uníus gentis; nec vigínti úrbium, ſed totíus orbis; & lux intelligíbilis, ipsóque rádio præſtántior, ſicut étiam ſal ſpiritále. Priùs autem ſal: deínde lux; ut diſcas quantum ſit verbórum aſtringéntium lucrum, quantúmque cómmodū honéſtæ doctrínæ. Hæc ſiquidē ſtringit ánimos, nec diffluére permíttit, facítque ad virtútem aſpícere, ad quam velut apprehénsâ manu addúcit.

In I. Veſp. Comm. de ſequenti.

DIE XXVIII.

S. CYRILLI, Epiſc. Alexan. & Eccl. Doct.

Semidupl.

Oratio Deus, *pag.* xxix.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Actis Concil. Epheſ. Socrate. L. 7. Hiſt.

Cyríllus Theóphili Epíſcopi Alexandríni ex fratre nepos, ei anno quádringentéſimo duodécimo ſucceſſor datus, non multò poſt ínitum Epiſcopátum Chryſóſtomi nomen in dyptica repóſuit. Hæréticis úndique erumpéntibus fórtiter réſtitit, & præcípuè Neſtório, quem contra Chriſtum, & Vírginem matrem ejus blaſphemántem, blandè primùm, nec ſemel admónuit per litteras, ſed contumácem Cœleſtíno Papæ denuntiávit. Coáctâ Alexandríæ Synodo, Incarnatiónem Dómini & Deíparæ matris dignitátem duódecim capítibus, ſive anathematíſmis, luculénter & egrégiè aſſéruit, quatuórque Epíſcopos miſit ad Neſtó-

rium, poſtulans ab eo, ut ſi cathólicam communionem & ſuam ſedem ſibi vellet conſervári, Synodo consentiens accéderet.

Lectio v.

VErùm id recuſánte Neſtorio, Cyrillus de fide cathólica ſollicitus ádmodũ, id egit apud Theodóſium Imperatorem, ut Epheſi congregarétur Synodus Oecuménica, ad diem ſanctum Pentecoſtes anni trigéſimi primi ſupra quadringenteſimum. Ad Concilium venére ducénti ſeptuagínta Epiſcopi, in eóque Præſidem egit Cyríllus, ſibi per epiſtolam commiſſas gerens Cœleſtíni vices. Ter ad Concílium vocátus Neſtórius, cùm ſeſe in judícium ſiſtere recuſáret contumáciter, cauſâ ab Epiſcopis qui áderant maturè diſcúſsâ, tamquam de Chriſto & ejus ſanctiſſimâ matre ímpiè séntiens damnatus eſt.

Lectio vj.

INtérea Joánnes Antiochíæ Epiſcopus, Theodorétus Cyri, aliique Orientales Epiſcopi, Cyrillum ac Memnónem Epheſinum depónunt, & Irenæi, quem legatum míſerat Imperátor, auctoritáte & favóre audaces, trudunt in cárcerem. Sed à Synodi Pátribus, cógnitâ mox cauſâ, ſedi ſuæ utérque reſtitúitur. Perfecto Concílio, proſtratóque Neſtório, Cyrillus Alexandríam rediens, tamquam intrépidus fidei aſſertor, & Athanaſius alter, omnium votis & plauſibus excipitur. Anno ſequenti hortante Theodóſio, pacem cum Joanne, eíſque fœderátis Epiſcopis mirâ facilitate, ſed ſine ullo fidei orthodoxæ diſpéndio, compoſuit. Multas calúmnias a Neſtorii fautóribus ob ſuam in aſſeréndâ fide conſtantiam, patienti non minus quàm invicto ánimo súperans, in pace quievit, anno Chriſti quadringentéſimo quadragéſimo quarto.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangelii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. 13.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ. Quòd ſi ſal evanúerit, in quo ſaliétur? ad níhilum valet ultra, niſi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos eſtis lux mundi. Et réliqua.

Homilia ſancti Cyrilli Aléxandríni Epíſcopi.

Lib. 1. in Joan. Cap. 8.

NOn habent ex ſe creatúræ ut poſſint eſſe & vocári lux; ſed nec ex natúra ſua fructum lúminis umquã dedérunt: ſed quemádmodũ ſunt ex nihilo, ſic cùm non ſint lux, eſſe incipiunt, accépto veri ſplendóris lúmine, & participatióne divínæ natúræ ad ejus imitatiónem illuſtrátæ, dicúntur, & ſunt lux. Et Dei quidem Verbum ſubſtantiáliter lux

eſt, non participativè per gratiam... Creatúra verò non eo modo lux erit: ut non habens, áccipit. Illuminátur ut ténebræ: aſcitam habet grátiam, & humanitáte largiénte dignitátem.

Lectio viij. Cap. 9.

Quicúmque álios illumináre poteſt, non eſt ipſa própriè lux, ſed lucis, quâ prædítus eſt, commodátor, dum áliis infúndit, docendóque commúnicat quod accepit bonum. Proíndeque dictum eſt étiam ſanctis Apóſtolis: Gratis accepíſtis, gratìs date. Quidquid enim bonórum habébant, illud divìnitùs cōſecúti erant. Neque verò natúra hóminum in univérſum própriis bonis gloriári poteſt; ſed ne ipſa quidem Angelórum natúra: nam prætérquam quòd adeſſe pro dúcta ſunt ómnia, unumquódque exiſténdi modum habet à Deo; nec in iis quidquam ſubſtantiáliter eſſe putabimus, quod à benignitáte Creatóris non proficiſcátur, & opificis grátiâ radícitùs innitatur.

Lectio ix.

Sed illud adverténdum ínſuper exiſtimo. Creatúræ ratiónis compotes accépto lúmine illúminant communicatióne doctrinárum, quas ex ſua mente in aliórum mentem infúndunt; quæ illuminatio doctrínâ pótiùs appellánda eſt, quàm revelatio: ſed Dei Verbum illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, non docéndo ſicut hómines, ſed pótiùs, ut Deus, creándo, unicuíque rei in ortum edúctæ ſapientiæ divínæ ſemen indit, & intelligentiæ radícē ínſerit, atque ita rationale ánimal éfficit, natúræ ſuæ párticeps illud reddens, & ineffábilis ſui ſplendoris lúcidos véluti quoſdam vapóres ejus ánimo immittens, eà ratióne ac modo quo ipſe novit.

In Veſperis à Capitulo de ſeq. Comm. præced.

DIE XXIX.

S. FRANCISCI SALESII, Genevénſis Epíſcopi.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio.

Deus, qui ad animárum ſalutem, beatum Franciſcum Pontíficem ómnibus ómnia factum eſſe voluiſti: concéde propitius; ut charitátis tuæ dulcédine perfúſi, ejus dirigentibus mónitis ac ſuffragántibus méritis, ætérna gaudia conſequámur; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita ab Auctoribus ejuſdem ætatis ſcripta.

Franciſcus Saleſius è ſtirpe nobili in Sabáudia natus, dum Paríſiis Philoſóphiæ ac Theológiæ ſtúdio incumberet, ibi in Eccleſia ſancti Stéphani de Gréſſibus, co-

tam imágine Vírginis Deíparæ ſupplex, votum virginitátis emíſit. Tum Patávii juriſprudéntiæ operam datúrus, indeque Romam pietátis grátiâ venit. In pátriam revérſus, abjéctis forénſibus ſtúdiis, quibus nónniſi ex paréntum ordinatióne ſe déderat, Presbyterátu initiátus, & Anicéii, quò ſedes Genevénſis transláta fúerat, Canónicus ac Præpóſitus majóris Eccléſiæ renuntiátur. Hoc in múnere Calviniánam hæreſim in Caballíacis graſſántem, Garnéro Epíſcopo jubénte, adórtus, poſt incredíbiles labóres & perícula innúmera, expugnávit felíciter. His in locis, Thunóne máximè cùm ſacrum fácere non licéret, in arcem Albingiánam quátuor milliáribus diſtantem ſe recípere, & Duréntiam amnem inníxus trabi, quæ glácie plerúmque obriguérat, pédibus & mánibus reptans, trajícere cogebátur.

Lectio v.

Calúmniis & inimicórum insídiis appetitus, látuit ſæpè in ſylvis, in furnis ſæpè & rudéribus; nec idcírco à ſuſcéptis pro extirpándâ hæreſi labóribus quidquam remíttens, complúres, inter quos viri fuére doctrínâ célebres, ad veritátis lumen addúxit. Suſcépto regímine Paróchiæ quam Thunóne eréxerat, cùm eam regiónem dira lues depopularétur, ómnia ómnibus córporis & ánimæ ſubsídia, non mínùs amánter, quàm induſtriè curávit. In Coadjutórem aſcítus à Garnéro Genevénſi Epíſcopo, ómnia ſua ad religiónis proféctum ſtúdia cóntulit, modò Anicéii ſeminárium Clericórum inſtitúere ſollícitus, modò apud Regem Chriſtianiſſimum ágere, ne quid à Genevénſibus, qui tum Gallis advérsùs Sabáudos auxílio erant, in religiónis negótio innovarétur; atque ut ejéctis Párochis ſuæ reſtitueréntur Eccléſiæ.

Lectio vj.

Garnéro mórtuo in Epiſcopátu Genevénſi ſuccédens, coégit Synodum, ut Eccleſiáſticæ diſciplínæ áddità vi, légibus Clericórum mores compóneret. Mirum quàm multis ad vitam rectè inſtituéndam exémplo & mónitis profúerit. Congregatiónem Moniálium Viſitatiónis ſub regula ſancti Auguſtíni inſtítuit, eíque Conſtitutiónes áddidit, ſapiéntiâ, diſcretióne, & ſuavitáte mirábiles. Dum autem recuſáto Coadjutóris Pariſiénſis múnere, ad Diœcéſim luſtrándam revértitur, Lugdúni apopléxiâ corréptus, poſt recépta Eccléſiæ Sacraménta óbiit, anno ætátis ſuæ quinquagéſimo ſexto, Chriſti milléſimo ſexcentéſimo vigéſimo ſecúndo. Quem miráculis clarum Alexánder

ſéptimus Sanctórum albo inſeruit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecundum Matthæum.

Lect. o vj. Cap. 11. 28.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Veníte ad me, omnes qui laborátis & oneráti eſtis, & ego refíciam vos. Et reliqua.

Homília ſancti Joannis Chryſoſtomi.

Hom. 39. in Matth.

TOllite jugum meum ſuper vos. Nolíte jugum audientes pertimeſcere: ſuavitátis enim exímiæ plenum eſt. Neque metuatis etiam ſi onus dixerim, leve enim eſt. Sed quómodo, inquies, leve hoc onus eſt: cùm dicátur: Niſi quis ódio habúerit patrem, ac matrem; & niſi quis tollat crucem ſuam, & ſequátur me, non eſt me dignus: cùm júbeat ipſam quoque ánimam eſſe tradendam; quomodo, inquam, leve eſt? Dóceat te Paulus dicens: Quis nos ſeparabit à charitáte Chriſti? Tribulátio, an anguſtia? Dóceant te illi qui à ſynagógis Judæórum poſt mille flagélla ac vérbera, ſummo gaudio affécti redíbant, quia vidélicet digni ſunt inventi, qui pro Chriſti nómine contuméliam paterentur.

Lectio viij.

QUòd ſi adhuc jugum & onus audiéndo, formídas nimium, atque perhorréſcis, non natúræ rerum hujuſmodi timorē ſed ignáviæ totum attribuas: nam ſi accínctus & præparatus eris, & nullà deſidiâ effeminátus, cuncta tibi facília, leviſſimaque videbúntur. Quapropter Chriſtus ut quantâ curâ vigilandum eſſet, certiores nos rédderet, non cómmoda & ſuávia tantùm poſuit, nec étiam oneróſa, ſed utrúmque compléxus, & jugum dixit, & ſuave appellavit; onus appóſuit, & leve adjécit: ne aut nímium laborióſa fúgeres, aut tamquam nímium facília contémptu proſequeréris.

Lect. o ix.

QUòd ſi hæc ómnia, veheménter árdua difficiliſque tibi virtus vidétur; véniat in mentem tibi quantò difficilior eſt vita vitio dédita. quod ipſe occúltius ſignificat, quando antequam de jugo ſuo aliquid dixerit, exclamat: Veníte ad me, omnes qui laboratis & oneráti eſtis. Hinc enim oſténdere voluit quantum laborem, quantum gravámen intolerábile peccátum homínibus áfferat. Idcirco, non, Qui laborátis, ſolùm ſit, ſed étiam, Qui oneráti eſtis. Quod Pſalmiſta ſignificávit apértiùs, & natúram ipſíus peccati deſcripſit, dicens: Sicut onus grave graváte ſunt ſuper me. Zacharias quoque, peccátum ſimíliter deſcribens, plumbi taléntum eſſe

nit. Id étiam rerum experiéntiâ fácilè intellígimus. Nullo enim póndere gráviùs prémitur ánima: nihil magis déjicit quàm malæ vitæ, ac peccatórum consciéntia & recordátio.

In Veſp. à Capitulo de ſeq. Comm. præced.

DIE XXX.

S. BATHILDIS, Francórum Regínæ Viduæ.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mulieris.

Oratio, Tuórum corda, *pag.* lvij.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita ab auctore contemporaneo, apud Boll.

BAthíldis in Anglia, Saxónico orta género, infántula à prædónibus capta, Ereunváldo majóri domûs regiæ véndita eſt, cùmque ei, tum ob córporis formam, tum ex morum honeſtáte, grata eſſet, mox ab eo ad porrigénda ſibi pócula adhíbita, póſtmodum expetíta eſt in uxórem. Sed illa, ut vitáret núptias ſe ſúbſtrahens, tandem ad Clodovæi ſecúndi Regis conjúgium inſperátò pertráhitur. Tum páuperes & Ecclésias Clodovæo ſtudióſè commendávit: quod ádeò gratum fuit Príncipi, ut Genéſium Abbátem, póſtea Lugdunénſem Epíſcopum, Regínæ piis opéribus exequéndis adjutórem déderit.

Lectio v.

MOrtuo Clodovæo, trium filiórum, Clotárii, Childeríci, & Theodoríci, quorum natu máximus vix quintum annum attígerat, tutélam geſſit; regnúmque ac palátium, consíliis Chrodobérti Pariſiénſis Epíſcopi, & Audoéni Rotomagénſis ſapientíſſimè moderáta eſt, ſápiens in consílio, in agéndo prudens, benígna in pópulum, & in egénos liberaliſſima. Multa dum regnum régeret, præclárè ſanxit, & utíliter. Simoníacam labem jámdiu in Fráncia & palátio graſsántem repréſſit: prohíbuit ne quis Chriſtiános vénderet éxteris, aut áliò vendéndos abdúceret: plures étiam à ſervitúte ſuis ſúmptibus redémit.

Lectio vj.

ECcléſiæ decóri próvidens & ornaménto, énixè curávit, & effécit felíciter, ut Pontíficum & Abbátum ſtúdio, reguláris diſciplína in Monaſtériis ſanctórum Dyoníſii, Germáni, Petri, Medárdi, Aniáni, Martíni, & áliis, aut ſervarétur, aut reſtituerétur. Corbéiæ ad Summam Cœnóbium extrúxit, aliúdque Calæ ad Matrónam, in quo, poſt relíctam Clotário jam adúlto regni adminiſtratiónem, ipſa, ſuſcépto religiónis hábitu, ſub obediéntia Bertíllæ Abbatíſſæ, ómnibus exém-

pio fuit, & admiratióni, ſic inter Chriſti ancíllas húmilis, ut à re culinária, aliíſque vílibus officiis non abhorréret. Obiit in Calénſi Monaſtério, ætátis ſuæ quinquagéſimo quinto.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6. 19.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Nolíte thezaurizáre vobis thesáuros in terra: ubi ærúgo & tínea demolítur, & ubi fures effódiunt, & furántur. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chrysóſtomi.

Hom. 20. in Matth. Num. 5.

DIvites qui ómnia propter pecúnias audent, dúplici calígine involvúntur, tum quòd evérſa mente excæcáti ſint, tum quòd ex falláci ſollicitúdinum mole ténebris obruántur. Quaprópter ne reſpícere quidem fácilè poſſunt. Nam qui in ténebris eſt tantùm, ſole illuceſcénte ab iis liberátur; qui verò óculis excæcátus eſt, neque ſole lucénte videt; id quod & ipſi patiúntur. Neque enim ſole juſtítiæ fulgénte, & hortánte áudiunt, divítiis óculos ipsórum claudéntibus. Quaprópter dúplicem súſtinent cæcitátem, áliam ex ſeípſis, áliam quòd Magíſtro ſuo non atténdant. Attendámus ítaque diligénter dictis illíus, ut ſerò tandem videámus. Et quómodo vidére póſſumus? ſi diſcas quómodo excæcatus ſis. Quómodo ígitur excæcátus es? A mala concupiſcéntia. Verùm hanc nubem diſſipáre, & dirúmpere fácile eſt, ſi Chriſti doctrínæ rádiũ excipiámus; ſi audiámus illum monéntem, ac dicéntẽ: Nolíte theſaurizáre vobis theſáuros in terra.

Lectio viij.

SI enim omníno pecúnias concupíſcis, illas eò transfer ubi poſſũt tutæ & íntegræ manére. Certè quæ nunc facis, non ſunt concupiſcéntis pecúnias, ſed ſervitútem, damna, mulctas, doloréṁque perpétuum. Tu verò, ſi quis tibi homo locum in terra inviolábilem oſténderet, etiámſi te in desértum edúceret, promíttens pecúniis tuis ſecuritátem; non cunctaréris, neque recusáres, ſed pecúnias ibi cum fidúcia depóneres; Deo autem, non hómine, id tibi promitténte, nec desértum, ſed cœlum proponénte, contrária áccipis: quamquam etiámſi tutíſſimè jáceant repóſitæ, tu numquam ſollicitúdine vácuus eſſe poſſis; etiámſi enim non perdas, numquam à ſollicitúdine liberáberis. Illic autem nihil prorſus tale patiéris: atque quod eſt majus, aurum non defódis tantùm, ſed séminas. Idípſum enim eſt & theſáurus, & ſemen; imo utróque majus. Semen quippe non manet ſemper; ille verò theſáurus manet

perpétuò. Rursùm theſáurus hic non gérminat; ille verò immortáles tibi fructus parit.

Lectio ix. Num. 5. & 6.

Quòd ſi tempus mihi objícias, & dilatiónem reditûs, ex ipſis ſæculáribus te confutáre tentábo. Multa enim in præſénti vita paras, quibus numquam fruéris. Et ſi quis te hac de re árguat, filios & nepótes próferens, vidéris ſuperfluórum labórum conſolatiónem reperíſſe. Cùm enim in extréma ſenectúte ſpléndidas conſtruis ædes, quæ ántequam perficiántur tu decédis, & arbores ſeris, quæ poſt multos annos fructum allatúræ ſunt, aliaque multa paras, quorum numquam fruéris; an pro te, vel pro ſucceſſóribus hæc agis? Quómodo ígitur non extrémæ deméntiæ eſt, hîc non ægrè ferre témporis dilatiónem, etiámſi per illam dilatiónem à mercéde labórum nos privándos eſſe expectémus; cùm de cœlo autem ágitur, propter dilatiónem torpére, cùm tamen illa dilátio majus tibi lucrum áfferat, nec ad álios bona tranſmíttat, ſed tibi dona tradénda cuſtódiat?

Comm. ſequentis.

Die xxxi.

S. PETRI NOLASCI, Ordinis B. M. V. de Mercede Redempt. Inſtitut.

Simplex.

Omnia de Communi unius Juſti.

Oratio.

Deus, qui ad captivórum redemptiónem, Eccléſiam tuam novâ prole per beátum Petrum Noláſcum fœcundáſti; ejus nobis interceſſióne concéde, ut à peccáti ſervitúte ſoluti, perpétuâ in cœléſti pátria libertáte gaudeámus; Per, &c.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctoribus, Zumel. & Ramon. apud Boll.

Petrus Noláſcus Recáudi prope Carcaſſónam, nobílibus in Gallia ortus paréntibus, ſingulári in páuperes miſeratióne motum ſe à téneris annis exhíbuit. Hæc véluti innáta cum ipſo ita crevit cháritas, ut toto património in rediméndis ab infidélium ſervitúte Chriſtiánis conſúmpto, ſeipſum dénique pro iis liberandis venumíre ſummis in votis habúerit: ut autem certióra míſeris illis aſſéreret auxília, ſancti Raymúndi de Pennafórti, & Jacóbi primi Aragóniæ Regis adjútus ſuffrágiis, Ordinem Religioſórum inſtítuit, quibus hoc eſſet ſpeciále votum, ut ipſi in pignus ſub paganórum poteſtáte manérent, quóties pro captivórum fidélium liberatióne opus fúerit. Ipſe in Províncias à bárbaris occupátas profectus ſemel atque íterum, qui votum Ordinis primus impléret, captivos ſecum abdúxit quadringén-

Lectio ix. n. 6. & 7.

ILlum quæro qui pro nobis mortuus eſt. Illum volo qui propter nos reſurréxit. Ille mihi lucrum eſt. Sinite me imitatórem eſſe paſſiónis Dei mei. Si quis illum in ſeipſo póſſidet, intélligat quid volo, & compatiatur mihi, ut qui ſciat quæ me conſtríngant. Scribo vobis amóre captus moriéndi; Meus amor crucifixus eſt; & non eſt in me ignis amans ullã aquam; ſed vivens & loquens in me, intùs mihi dicit: Veni ad Patrem.

Veſperæ de ſequenti ſine Comm. præced.

DIE II. FEBRUARII.

PRÆSENTATIO Domini, & Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.

Duplex 1. Claſſ.

Solemne Majus.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

De adventu Salvatoris in templum prophetiæ.

Ant. t. 5. f. APerite portas, & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem. *Iſ.* 26. 2.

Ant. t. 6. F. Magna erit glória domûs iſtíus noviſſimæ pluſquam primæ. *Aggæi.* 2. 10.

Ant. t. 2. d. Statim véniet ad templum ſuum Dominátor, quem vos quæritis; & Angelus teſtaménti, quem vos vultis. *Malach.* 3. 1.

Ant. t. 1. irr. Ecce venit: & placébit Dómino ſacrifícium Juda & Jeruſalem. *Malach.* 3. 1. 4.

Ant. t. 3. E. Domus Jacob, veníte, & ambulemus in lúmine Dómini. *Iſ.* 2. 5.

Capitulum. Agg. 2. 7. 8.

ADhuc unum módicum eſt, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes gentes: Et véniet Deſiderátus cunctis géntibus: & implébo domum iſtam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Ex Sion ſpécies decóris ejus. Deus manifeſtè véniet.* Congregáte illi ſanctos ejus, qui órdinant teſtaméntum ejus ſuper ſacrifícia. ℣. Umbram habens lex futurorum bonórum, hóſtiis quas óffe runt, numquam poteſt accedéntes perfectos fácere.* Cõgregáte. Gloria.* Congregáte. *Pſ.* 49. 2. 3. 5. *Hebr.* 10. 1.

HYMNUS. *Ex Sant. Victor.*

TEmpli ſacrátas pande,
Sion, fores;
Chriſtus ſacérdos intrat &
hóſtia:
Cedant inánes veritáti,
Quæ ſe ánimis áperit, figúræ.
Non immolándi jam pécudũ
greges;
Fumábit ater non cruor
ámpliùs:
En ipſe placándo paránti
Ipſe ſuis Deus aſtat aris.
Virgo laténtis cónſcia Núminis,
Demíſſa vultus, quem péperit Deum,

Hunc geſtat ulnis; pauperumque
Múnera fert, téneras volúcres.
Hic omnis ætas, omnis & áſtitit
Sexus, propínquo Númine plenior:
Omnes anhelántis tot annos
Nunc fídei prétium repórtant.
Teſtes tot inter, magnánimo, Deus,
Tibi litábat firma ſiléntio
Verbi ſiléntis muta mater:
Cuncta ánimo pénitùs premébat.
Sit ſumma Patri, súmmaque Fílio;
Sanctóque compar glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu.
Amen.

℣. Prope timéntes Dóminum ſalutáre ipsíus; ℟. Ut inhábitet gloria in terra noſtra. *Pſ.* 84. 10.

Ad Magníſic. *Ant. t.* 5. *F.* Præparáre in occúrſum Dei tui, Iſrael; quia ecce formans montes, & creans ventum, & annúntians elóquium ſuum: Dóminus Deus exercítuum nomen ejus. *Amos* 4. 12. 13.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Ad Completorium, Hymnus O quæ polo ſublímior. *p.* xci.

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. *F.* Dimíttis, Dómine, ſervum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei ſalutáre tuum. *Luc.* 2. 29. 30.

Et ſic etiam dicitur in die.

AD OFFIC. NOCT.

Inv. Ad templum ſuum Dominátor quem quæritis, ecce venit; * Veníte, adorémus. *Malach.* 3. 1.

IN I. NOCTURNO.

Præcepti de oblatione primogenitorum, & de purificatione matrum figura impletur.

In Pſ. 39. Expéctans expectávi, *pag.* 95.

Ant. t. 1. *d.* Sacrifícium & oblatiónem noluíſti: tunc dixi: Ecce vénio. *Pſ.* 39. 7. 8.

In Pſ. 44. Eructávit, *p.* 95.

Ant. t. 3. *E* Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. *Pſ.* 44. 3.

In Pſalm. 45. Deus noſter refúgium, *pag.* 96.

Ant. t. 4. *E.* Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus: Deus in médio ejus. *Pſ.* 45. 5. 6.

℣. Attóllite portas, príncipes, veſtras; ℟. Et introíbit Rex glóriæ. *Pſ.* 23. 7.

De libro Exodi.

Lectio j. Cap. 13. 1. *ad* 3. *&* 11. *ad* 16.

Locútus eſt Dóminus ad Moyſen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in fíliis Iſrael, tam de homínibus, quàm de juméntis: mea ſunt enim ómnia. Et ait Móyſes ad pópulum: Cùm introduxerit te Dóminus in terram Chananæi, ſicut juravit tibi & pátribus tuis,

rum miraculórum majeſtátem prædicántes illórum efficiémur partícipes dignitatis.

℟. Quò mihi multitúdinem victimárum veſtrárum, dicit Dóminus? Plenus ſum: holocáuſta aríetum, & ádipem pínguium nólui: * Ne offeratis ultrà ſacrifícium fruſtrà. ℣. Prióre tabernáculo habénte ſtatum, hóſtiæ non poſſunt perféctum fácere ſerviéntem: nunc autem ad deſtitutiónem peccáti per hóſtiam ſuam Chriſtus appáruit. * Ne offerátis. *Iſ.* 1. 11. 13. *Hebr.* 9. 8. 9. 26.

Lectio v.

SAnctíficat autem Chriſtus Deo & Patri non ſolùm hóminum partus primogénitos, ſed étiam omne genus humánum per eas quas in ſe habet maſſæ noſtræ primítias, id eſt, per carnem à nobis accéptam, & ánimâ intelligénte præditam, & novo quaſi fermento humánæ natúræ maſſam ad ſanctificatiónem conſpérgit. Nam & ego nunc méritò díxerim ſicut divínus ait Apóſtolus: Si delibatio ſancta eſt, & maſſa. At quemádmodum olim lex per figúram, eam tribum cui ſacerdótii munus obvénerat, pro primogenitorum primítiis Deo obtulit: ita nunc per ſpléndidam veritatis imáginem Pontíficem, & noſtræ confeſſionis Apóſtolum ſanctum, innocentem, impollútum ab ómnium peccatorum sórdibus & cogitatiónibus immúnem, corporáliter Deo & Patri pro humána natúra quæ ipſi per fidem eſt conſecráta, oblátum eſſe intellígimus.

℟. Holocáuſtum pro peccáto non poſtuláſti: tunc dixi: * Ecce vénio. In cápite libri ſcríptum eſt de me ut fácerem voluntátem tuam: Deus meus, vólui. ℣. Impoſsíbile eſt ſánguine tauró-rum & hircórum auférri peccáta: ídeo Chriſtus, ingrédiens mundum dicit. * Ecce vénio. *Pſ.* 39. 7. 8. 9. *Hebr.* 10. 4. 5.

Lectio vj.

TUnc quidem ad ſolam Iſraelíticam gentem ſacerdótii dígnitas referebátur, & in locum primogenitórum dúmtaxat qui apud ipſos naſceréntur, Levítas ſuffectos eſſe Scriptúræ teſtimónio declarátum eſt. Chriſtus verò aſsíſtens futurórum bonórum Póntifex, non ſecúndùm órdinem Aaron, ſed ſecúndùm órdinē Melchíſedech, non pro ſolo Iſraéle, ſed pro ómnibus géntibus prétium redemptiónis ſeſe Patri óbtulit, & ómnium confeſſiónis Póntifex conſtitútus eſt, quóniam Melchíſedech, tam ex parte géntium cognóſcitur, quam ex génere Abraham eſſe repéritur. Porrò quæ ex lege fiébat æſtimátio quinque didrachmórum pro unoquóque primogénito, obſcúrè ſignificáre ſolet, opórtere u-

num

numquémque noſtrûm omnes ſenſus Deo conſecráre, atque ea quæ inſunt ſénſibus, purum atque ab omni inhonéſtâ voluptáte aliénum, quaſi quoddam redemptiónis prétium ſanctum atque legítimum offérre Creatóri.

℟. Lauda, & lætáre, fília Sion: * Poſſidébit Dóminus Judam partem ſuam in terra ſanctificáta. † Síleat omnis caro à fácie Dómini; quia conſurréxit de habitáculo ſancto ſuo. ℣. Chriſtus Póntifex futurórũ bonórum per ámpliùs & perféctiùs tabernáculũ introívit in ſancta.* Poſſidébit. Glória.† Síleat. *Zach.* 2. 10. 12. 13. *Hebr.* 9. 11. 12.

IN III. NOCTURNO.

Simeonis adimpleta expectatio.

In Pſ. 84. Benedixiſti, *pag.* 78.

Ant. t. 5. *f.* Miſericórdia & véritas obviavérũt ſibi: juſtítia & pax oſculátæ ſunt. *Pſ.* 84. 11.

In Pſalm. 86. Fundaménta ejus. *pag.* 99.

Ant. t. 2. *d.* Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea; & ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ.* 86. 5.

In Pſalm. 96. Dóminus regnávit: exúltet, *pag.* 33.

Ant. t. 6. *F.* Adoráte eum, omnes Angeli ejus: audívit, & lætáta eſt Sion. *Pſ.* 96. 7. 8.

℣. Deus, in ſancto appárui tibi, ℟. Ut vidérem virtútem tuam, & glóriam tuam. *Pſ.* 62. 2. 3.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2. 22.

IN illo témpore; Poſtquam impléti ſunt dies purgatiónis Maríæ ſecúndũ legem Móyſi tulérunt Jeſum in Jerúſalem, ut ſiſterent eum Dómino, ſicut ſcriptum eſt in lege Dómini. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

In Luc. Lib. 2. *n.* 55. 56. & 58.

FActus eſt ſub lege Chriſtus, ut eos qui ſub lege eſſent lucrifaceret. Síſtitur in Jerúſalem. Vides omnem legis véteris ſériem fuiſſe typum futúri. Omne maſculínum adapériens vulvam, ſanctum Dómino vocábitur: verbis enim legis promittebátur Vírginis partus; & verè ſanctus, quia immaculátus. Solus enim per ómnia, ex natis de fœmina ſanctus Dóminus Jeſus, qui terrénæ contágia corruptelæ immaculáti partûs novitáte non ſénſerit, & cœléſti majeſtáte depúlerit. Et ecce homo erat in Jerúſalẽ cui nomẽ erat Síṁeon; & homo iſte juſtus, & timorátus, expéctans conſolatiónem Iſrael. Non ſolùm ab Angelis & Prophétis, à paſtóribus & parẽtibus ſed étiam à ſenióribus & juſtis generátio Dómini accépit teſtimónium. Omnis ætas, & utérque ſexus, eventorúmque mirácula fidem aſtruunt. Virgo génerat, ſterilis parit, mutus lóqui-

tur, Elizabeth prophétat, Magus adórat, útero clauſus Joánnes exúltat, vídua confitétur, juſtus expéctat.

℟. Apparébit, & non mentiétur: * Expécta illum; quia véniens véniet, & non tardábit: juſtus autem in fide ſua vivet. ℣. Homo erat in Jerúſalem, cui nomen Símeon, & iſte juſtus reſpónſum accéperat à Spíritu ſancto, non visúrum ſe mortem, niſi priùs vidéret Chriſtum Dómini. * Expécta illum. *Habac.* 2. 3. 4. *Luc.* 2. 25. 26.

Lectio viij. n. 58. & 59.

Et bene juſtus, qui non ſuam ſed pópuli grátiam requirébat, cúpiens ipſe corpóreæ vínculis fragilitátis absólvi, ſed expéctans vidére promíſſum; ſciébat enim quia beáti óculi qui eum vidérent. Et accépit eum in mánibus ſuis, & benedíxit Deum, & dixit: Nunc, Dómine, dimítte ſervum tuum in pace. Vide juſtum velut corpóreæ cárcere molis inclúſum velle diſsólvi, ut incípiat eſſe cum Chriſto. Diſſólvi enim multò mélius eſt. Sed qui vult dimítti, véniat in templum, véniat in Jerúſalem, expéctet Chriſtum Dñi: accípiat in mánibus Verbum Dei, compleㄘtátur velut quibúſdam fídei ſuæ bráchiis, opéribus ſuis; tunc dimittétur ut non vídeat mortem, qui víderit vitam.

℟. Ut notum fíeret nomen tuum, deſcendíſti. * Dómine, occurríſti lætánti, & faciénti juſtítiam. ℣. Cùm indúcerent púerum Jeſum paréntes ejus, ipſe Símeon accépit eum in ulnas ſuas. * Domine. *Iſ.* 64. 2. 3. 5. *Luc.* 2. 27. 28.

Lectio ix. n. 60.

Vides úberem in omnes grátiam Dómini generatióne diffúſam, & prophetíam incrédulis negátam eſſe, non juſtis. Ecce & Símeon prophétat in ruínam & reſurrectiónem multórum veníſſe Dóminum Jeſum Chriſtum; ut juſtórum iniquorúmque mérita diſcérnat, & pro noſtrórum qualitáte factórum, judex verus & juſtus aut ſupplícia decérnat, aut præmia.

℟. Expéctans expectávi Dóminum; & inténdit mihi: * Exaudívit preces meas, & diréxit greſſus meos, & † Immíſit in os meum cánticum novum, † Carmen Deo noſtro. ℣. Benedíxit Deum Símeon, & dixit; Nunc dimíttis ſervum tuum, Dómine, ſecúndùm verbum tuum in pace. * Exaudívit. Glória. † Immíſit. *Pſ.* 39. 2. 3. 4. *Luc.* 2. 28 29.

Dicto Glória Patri, *& repetitâ reclamatione uſque ad hæc verba*, Carmen Deo, *incipitur*

HYMNUS.

Invioláta, íntegra, & caſta es, María;

Quæ es effecta fúlgida cœli
porta.
O mater alma, Chriſti charíſſima,
Súſcipe pia laudum præcónia,
Noſtra ut pura péctora ſint, & córpora:
Quæ nunc flagitant devóta corda, & ora,
Tu da per precáta dulcíſona,
Nobis concédas véniam per ſæcula,
O María, quæ ſola inviolá-ta permansíſti.

Te Deum.

AD LAUDES.

Lætare, Sion, Deus in medio tuî.

℣. *Sacerdot.* Annúntient in Sion nomen Dómini; ℟. Et laudem ejus in Jerúſalem. *Pſ.* 101. 22.

Pſalmi de Dominica.

En adeſt lapis ille angularis prædictus, aliis in reſurrectionem, aliis in ruinam futurus.

Ant. t. 1. *irr.* Erat pater Jeſu, & mater mirántes ſuper his quæ dicebántur de illo. *Luc.* 2. 33.

Ant. t. 3. *a.* Símeon dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce póſitus eſt hic in ruínam, & in reſurrectiónem multórum. Et tuam ipſíus ánimam pertransíbit gládius. *Luc.* 2. 34. 35.

Ant. t. 8. *g.* Anna Prophetíſſa ſupervéniens loquebátur de illo ómnibus qui expectábant redemptiónem Iſrael. *Luc.* 2. 36. 38.

Ant. t. 5. *f.* Exúlta.

Cant. C. *Soph.* 3. *à v.* 14. *ad* 18.

Lauda, fília Sion, júbila, Iſrael: * lætáre, & exúlta in omni corde, fília Jeruſalem.

Abſtulit Dóminus judícium tuum: * avértit inimícos tuos.

Rex Iſrael Dóminus in médio tuî, * non timébis malum ultrà.

In die illa dicétur Jerúſalem: Noli timére; * Sion, non diſſolvántur manus tuæ.

Dóminus Deus tuus in médio tuî, fortis; * ipſe ſalvábit:

Gaudébit ſuper te in lætítia, ſilebit in dilectióne ſua, * exultábit ſuper te in laude.

Glória Patri, &c.

Ant. Exúlta in omni corde, Jerúſalem: Rex Iſrael Dóminus in médio tuî; ipſe ſalvábit. *Soph.* 3. 14. 15. 17.

Ant. t. 6. *F.* Offértur pro expiatióne, ut ſit placábilis hóſtia. *Num.* 5. 8.

Capitulum. Coloſſ. 1. 26. 27.

Myſtérium, quod abſcónditum fuit à ſæculis, & generatiónibus, nunc manifeſtátum eſt ſanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ ſacraménti hujus.

℣. Magnus Dóminus, & laudábilis in civitáte Deî noſtri, ℟. In monte ſancto ejus. *Pſ.* 47. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *a.* Salutáre tuum paráſti, Dó-

mine, ante fáciem ómnium populórum, lumen ad revelatiónem géntium, & glóriã plebis tuæ Iſrael. *Luc.* 2. 30. 31. 32.

Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, majeſtátem tuam súpplices exorámus; ut ſicut unigénitus Filius tuus hodiérnâ die cum carnis noſtræ ſubſtántia in templo eſt præſentátus; ita nos fácias purificátis tibi mẽtibus præſentári; Per eúmdem, &c.

Ad Horas br. Hymni & Pſalmi de Dominica.

In Hymnis Doxologia.

Qui natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

AD PRIMAM.

Ant. Erat pater Jeſu.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Mexicáno. *Part.* 3. *C.* 6.

OMnes ſolémni Purificatiónis beátæ Maríæ Proceſſióni intervẽtúros hortátur in Dómino ſancta Synodus, ut ſinguli, céreis accénſis, cum devotiónis fervóre, & ſpíritûs elevatióne, quæ & ipsorum ſtatum, & illum actum déceat, procédant.

AD TERTIAM.

Ant. Símeon dixit.

Capitulum. Iſ. 8. 13. 14.

DOminum exercítuum ipſum ſanctificáte: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificatiónem; in lápidem autem offenſiónis & in petram ſcándali, duábus dómibus Iſrael; in láqueum & in ruínam habitántibus Jerúſalem.

℟. Aperíte mihi portas juſtítiæ, ingréſſus in eas confitébor Dómino. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, * Hic factus eſt in caput ánguli. † A Dómino factũ eſt iſtud; & eſt mirábile in óculis noſtris. ℣. Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lápidem offenſiónis, & petram ſcándali. * Hic factus. Glória. † A Dómino. *Pſ.* 117. 19. 22. 23. *Rom.* 9. 33.

℣. Benedicéntes ei hæreditábunt terram: ℟. Maledicéntes autem ei diſperíbunt. *Pſ.* 36. 22.

AD SEXTAM.

Ant. Anna Propheuíſſa.

Capitulum. 1. *Joan.* 1. 1. 2.

QUod vídimus óculis noſtris, quod perſpéximus, & manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ: & vita manifeſtáta eſt, & vídimus, & teſtámur, & annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis.

℟. *br.* Sicut audívimus, * Sic vídimus * Allelúia, allelúia. Sicut. ℣. In civitáte Dómini virtútum. * Allel. Glória. Sicut. *Pſ.* 47. 9.

℣. Vidérunt ingréſſus tuos, Deus, ℟. Ingréſſus Regis mei, qui eſt in ſancto, all. *Pſ.* 67. 25.

AD NONAM.

Ant. Offértur.

Capitulum. Hebr. 9. 26.

CHriſtus, nunc ſemel in conſummatióne ſæculórum, ad deſtitutionem peccáti per hóſtiam ſuam appáruit.

℟. *br.* Memor ſit Dóminus * Sacrifícii tui * Allelúia. all. Memor. ℣. Et holocáuſtũ tuum pingue fiat. * Allelúia. Glória. Memor. *Pſ.* 19. 4.

℣. Protéctor noſter, áſpice, Deus: ℟. Réſpice in fáciem Chriſti tui, allelúia. *Pſ.* 83. 10.

Si Feſtum hoc celebretur poſt Septuageſimam, in ℟. *br. omittitur*, allelúia, *& reſumptio fit ad primum aſteriſcum.*

AD II. VESPERAS.

Ex Chriſti oblatione nobis venit gratia & vitæ exemplum.

Pſalmi ut in parvo Officio B. M. V.

Ant. 1. 8. g. LEx per Móyſen data eſt; grátia & véritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. *Joan.* 1. 17.

Ant. 1. 3. *E.* Finis legis, Chriſtus, ad juſtítiam omni credénti: omnis qui credit in illum, non confundétur. *Rom.* 10. 4. 11.

Ant. 1. 5. *f.* Miſit Deus Fílium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redímeret. *Gal.* 4. 4. 5.

Ant. 1. 2. *d.* Semetípſum óbtulit immaculátum Deo; & ídcò novi teſtaménti mediátor eſt. *Hebr.* 9. 14. 15.

Ant. 1. 6. *F.* Per ipſum ergo offerámus hóſtiã laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. *Hebr.* 13. 15.

Capitulum. Hebr. 8. 6.

NUnc Chriſtus mélius ſortítus eſt miniſtérium quantò & melióris teſtaménti mediátor eſt, quod in melióribus repromiſſiónibus ſancitum eſt.

HYMNUS *Ex Sant. Vict.*

STupéte, gentes: fit Deus
 hóſtia;
Se ſpontè legi légifer óbligat:
Orbis redémptor, nunc
 redémptus;
Seque piat ſine labe mater.

De more matrum, Virgo
 puérpera
Templo ſtatútos abſtínuit
 dies:
Intráre ſanctum quid pavébas,
Facta Dei priùs ipſa templum?

Ara ſub una ſe vovet hóſtia
Triplex; honórem virgíneum ímmolat
Virgo ſacérdos, parva
 mollis
Membra puer, ſeniórque
 vitam.

Eheu! quot enſes tranſádigent tuum
Pectus! Quot altis nata
 dolóribus,

O Virgo! Quem geſtas, cruéntam
Imbuet hic ſacer Agnus aram.
Chriſtus futúro, corpus adhuc tener,
Prælúdit inſons víctima fúneri:
Creſcet; profúſo vir cruóre,
Omne ſcelus móriens piábit.
Sit ſumma Patri, súmmaque Fílio,
Sanctóque compar glória Flámini:
Sanctæ litémus Trinitáti
Perpétuo pia corda cultu. Amen.

℣. Sanctimónia, & magnificéntia ℟. In ſanctificatióne ejus. *Pſ.* 95. 6.

Ad Magnif. Ant. t. 3. *a.* Chriſtus preces ſupplicatiónéſque ófferens, exaudítus eſt pro ſua reveréntia: & factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi, cauſa ſalutis ætérnæ. *Hebr.* 5. 7. 9.

Oratio ut ſupra in Laudibus. Commem. de ſeq. Oratio. Fac nos, Dómine. *pag.* xj.

DIE III.

SANCTI BLASII,

Epiſcopi & Martyris.

Simplex.

De Communi unius Martyris.

Lectio iij.

Ex Menolog. & Bolland.

Hic ad temporibus difficíllimis Sebaſtæ in Arménia factus Epíſcopus, multos pro grege ſibi commiſſo perpeſſus labores, multóſque pro fide ſibi crédita cruciátus, Martyr Chriſti occúbuit, regnánte Licínio Imperatóre, & Agrícola Cappadóciæ Præfécto. Illíus cultum apud Orientáles Eccléſias celebérrimum jam ab antíquis tempóribus fuiſſe, patet ex vetuſtiſſimis eórum Menológiis. Non minus célebris fuit per omnes Occidéntis, & máximè Galliárum Eccléſias ſancti Bláſii memória, pópulis úndique ad ejus patrocínium confugiéntibus, ex eo máximè témpore, quo ſancti Mártyris Relíquiæ huc illuc, per Itáliam & Gálliam váriè tranſlátæ ſunt.

DIE IV.

SANCTI ISIDORI,

Presbyteri & Peluſiotæ ſolitarii.

Simplex.

Omnia de Communi unius Presbyteri.

Oratio. Deus, qui ad plebis, *pag.* xxxv.

Lectio iij.

Ex ſancti Iſidori ſcriptis.

Iſidórus natus Alexandríæ paréntibus, quos inter & Patriárchas ſanctum Cyríllum & Theóphilum fuit affínitas, património paupéribus diſtribúto, non longè à Peluſio, in montem deſértum ad Nili os orientale ſeceſſit. Presbyter ordinátus, Evangélicæ veritatis & diſciplínæ Eccleſiáſticæ integritátem contra impugnatores tuéri non déſtitit, verbo ſi-

ſimul & & exémplo. Scripſit Epíſtolas ad uſque decem míllia, quarum ferè quarta pars ad noſtram uſque ætatem deláta, auctóris pietáti, non minùs quàm doctrínæ teſtimónium pérhibet. Contra Theóphilum ſancti Chryſóſtomi partes ſuſcépit. Sanctum Cyríllum Alexandrínum, cui ſummæ fuit venerati óni, adjúvit máximè illos inter motus, qui Concílium generále Epheſínum ſubſecúti ſunt. Ratus illátas Eccléſiæ & ſibi perſecutiónes, ad majórem fídei ſplendórem, & própriam ſalútem non parum conférre, infrácto ánimo várias expértus tempeſtátes, mortem ut labórum finem, & quiétis portum ſuſcépit, anno círciter quadringentéſimo quadragéſimo quinto.

Die v.

SANCTÆ AGATHÆ, Virginis & Martyris.

Simplex.

Oratio. Deus, qui inter cætera. *pag.* lj.

Lectio. iij.

De Sermone ſancti Methódii Epíſcopi Conſtantinopolitáni.

Apud Boll. Cap. 4. n. 27.

HOdie Chriſtiána Eccléſia ſeſe exórnet, cùm jam ſuam glorióſâ intínxerit púrpuram puriſſimo Mártyris Agathæ cruore. Gáudeat & exultet, canátque ejus victórias & triúmphos. Quænam enim res creáta magis admirábilem Dei poténtiam, quid magis amábilem ejus bonitátem oſténdat, quàm in frágili fœminárum corpúſculo viríles ánimos, atque heróïcas virtútes intuéri? Inter fœminas autem quid illúſtrius invénias, quam tenéllas vírgines Deo conſecrátas? Inter Vírgines verò, poſt Déiparam Vírginem, quid admirabílius, quàm hæc Virgo ſingularis Agatha? Agatha enim non ſolùm de primítijs córporis ſui, ſed étiam de tota ſua ſubſtántia honorándum ſibi decrévit Deum, ac cuncta córporis animíque ornaménta Chriſto mancipávit. (Hæc Cátanæ in Sicília ſub Imperatóre Décio, júdice Quintiáno, poſt álapas & cárcerem, poſt equúleum & tortiónes, poſt mamillárum abſciſſiónem, ſed à Dómino ſanatiónem, poſt volutatiónem in téſtulis, ac carbonibus, tandem martyrio in cárcere conſummáta eſt. Carmen de ea ſcripſit ſanctus Dámaſus Papa, in quo poſt Mártyris exímiæ laudes, teſtátur beátæ Agathæ præſídio ſervátos ab Ethnæ montis ígnibus cives Catanénſes, oppóſito ſcilicet flammis erumpéntibus velo, quo ſacer Vírginis túmulus obtegebátur.)

Die vi.

S. VEDASTI. Attrebaténſis Epíſcopi.

Semiduplex.

Si occurrat in Quadrageſi-

ma, fit ritu Simpl. per Comm tantùm.

Omnia de Comm. unius Pontif. *Oratio.* Da Eccleſiæ, *pag.* xxix.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Duch. & alia ab Alcuino, &c. apud Boll. ex Mart. Flori.

VEdáſtus, relíctis ab adoleſcéntia paréntibus, & prædiis ampliſſimis, cæléſtem ac véluti Angélicam Tulli Leucórum vitam agébat, cùm eò tránſiens Clodovæus, à fuſis Germánis Remos properáret à ſancto Remígio baptizándus. Vedáſtum tum Presbyterum ex ſanctitátis & doctrínæ famâ cógnitum Rex aſcívit viæ cómitem, ac futúrum ſibi in fidei Chriſtiánæ rudiméntis præceptórem. Salutáribus illius documéntis ad baptíſmum inſtitútus Clodovæus, Remis ab Antíſtite Remígio luſtrálibus tinctus eſt aquis; cui Vedáſtum, quem in ſingulari habebat honóre, impénsè commendavit, dum ipſe poſt accéptam baptíſmi grátiam, ad regni negótia proficiſcerétur.

Lectio v.

REmis aliquándiu commorátus eſt Vedáſtus, totus & indeféſsè piis invigilans opéribus, egénis impertiens cibum, levámen ægris, afflíctis ſolátium, modò álios docens públicè, modò privátim monens álios, omnes ubíque verbis adhórtans, & infórmans exémplis, donec à ſancto Remígio Attrebaténſium ordinátus Epíſcopus, ad gentem bárbaram, & paganíſmi ſuperſtitiónibus máximâ ex parte déditam míttitur. Attrébatum véniens, qui commíſſum onus ſuſcíperet, pópulum ténebris involútum, veritátis exórtem miſerátus, nec ſine lácrymis, ad felícem óperis difficíllimi éxitum, miſericórdiam Dei eníxè & génibus flexis auxiliatrícem ſibi deprecátur.

Lectio vj.

TUm Dei opus fortì adórtus ánimo, ſic in pópulos curæ ſuæ mandátos ſe geſſit, congréſſu affábilis, benéficus máximè in páuperes, ómnia ómnibus factus, ut Chriſto multos acquiſíverit éthnicos, & plúribus in locis Eccléſias eréxerit, in quibus Diáconos conſtítuit, & Presbyteros. Tandem exáctis in Pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, & ſacro córporis & ſánguinis Chriſti confirmátus Viático, ánimam Deo réddidit ſextâ die Februárii, anno Dómini quingentéſimo trigéſimo nono, multis ante, & poſt mortem clarus miráculis. Sub illíus nómine erécta eſt Tulli Eccléſia, ubi ſanctíſſimi viri domicílium olim fuiſſe créditur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangelii ſecúndùm Matthæum.

Lectio 7. Cap. 25. 14.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis parabolam hanc: Homo péregrè proficiſcens, vocávit ſervos ſuos, & trádidit illis bona ſua. Et réliqua.

Homília ſancti Bernardi Abbatis.

De Officio Epiſc. Cap. 3. n. 11.

FIdélis Póntifex, qui bona quælibet per manus ſuas tranſeúntia, ſive divína beneficia ad hómines, ſive hóminum vota ad Deum, columbíno íntuens óculo, nihil ſibi reténtat ex ómnibus. Nec pópuli requírit datum, ſed lucrum, nec Dei glóriam uſúrpat ſibi. Accéptum taléntum non ligat in ſudário, ſed partítur nummulariis à quibus uſúras récipit; & non ſibi, ſed Dño Non habet fóveam ut vulpes, non tamquam vólucres nidum, non lóculos quómodo Judas.... Imitátur profécto illum qui non habébat ubi reclináret caput; factus in præſentiárum tamquam vas pérditum, quándoque procul dúbio futúrum vas in honórem, & non in contuméliam. Dénique perdit ánimam ſuam in hoc mundo, ut in vitam ætérnam cuſtódiat eam. Hoc tanto puritátis íntimæ bono gloriári non poteſt veráciter, niſi qui extrínſecas glorìolas perfécte reſpúerit: nec enim purè valet Dei, vel próximi quærere lucra, qui própria non contémpſerit.

Lectio viij. Cap. 7. n. 25. 27.

NUnc verò quia ſola atténditur glória, & non pœna, purum eſſe Cléricum erubéſcitur in Eccléſia; ſeque viles æſtimant & inglórios, qui quocúmque eminentióri in loco non fúerint ſublimàti. Cúrritur in Clero paſſim ab omni ætáte & órdine, à doctis páriter & indóctis ad Eccleſiaſticas curas, tamquam ſine curis jam quiſque victúrus ſit, cùm ad curas pervénerit. Nec mirum de his qui necdum in ſemetípſis experti ſunt. Vidéntes quippe illos qui jam próprios húmeros cupítæ ſárcinæ ſubmíſerint, non ſolùm non gémere tamquam ſub ónere, ſed ínſuper appétere plus onerári; non deterréntur perículis, quæ cupiditáte cæcáti non vident; ſed favóribus ámpliùs, quos illis ínvident, provocántur.

Lectio ix.

O Infiníta ſemper ambítio, & inſatiábilis avarítia! cùm primos honórum gradus merúerint in Eccléſia, merúerint autem, vel vitæ mérito, vel pecúniæ, ſive étiam carnis & ſánguinis, quæ regnum Dei non poſſidébunt, prærogatívâ; non ídeò corda quiéſcunt: dúplici ſemper æſtuántia deſidério, quo útique magis ac magis, & dilaténtur in plura, & ad celſióra ſubliméntur. Verbi grátiâ, cùm factus quis fúerit in quacúmque Eccléſiâ Decánus, vel Præpóſitus, ſeu

Archidiáconus, aut áliquid hujúſmodi; non contentus uno in una, plures ſibi, imo quotquot valet, conquírere honóres ſátagit, tam in una, quàm in plúribus. Quibus tamen ómnibus, ſi locus evénerit, libénter unſus præferet Epíſcopi dignitátem. Sed numquid ſic ſatiábitur? ſi lucri ſpirituális grátiâ hæc fáciunt, laudándus eſt zelus; ſed præſúmptio corrigénda.

In Veſperis Comm. ſequentis.

DIE VII.

S. ROMUALDI, ABB.

Simplex.

Oratio. Omnípotens ſempitérne. *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore B. Petro Damiano, & aliis apud Boll.

Romuáldus, cui pátria fuit Ravénna, pater nóbili genere Sérgius, vitæ prióris pœniténdi ánimo ad Claſſénſe monaſtérium venit adoléſcens, ubi religióſi hóminis frequénti colloquio ad pietátis ſtúdium multóties incénſus. viſo étiam ſemel & íterum in Eccléſia beáto Apollinári, mónachus effícitur. Mox ad Marínum, vitæ ſanctitáte ac ſeverióre diſciplína in fínibus Venetórum eo témpore cógnitum, ſe cóntulit, ut eo magíſtro ad ſublimiórē perfectiónis viam aſſúrgeret. Inter multa quæ Romuáldus conſtrúxit Monaſtéria, celebérrimum fuit illud Camálduli in Florentinórum fínibus cónditum, quò multi convenére diſcípuli, álii conſervátâ, álii reparátâ innocéntiâ illúſtres, & ex loci nómine Camaldulenſes nuncupáti. Nec dictu fácile quot dévios ad Chriſtum convérterit, ex quibus plures nobilitáte & dignitáte conſpícui; ac inter cæteros ſanctus Bonifácius Imperatóris propínquus, Ruſſórum Apóſtolus, & Martyr, & Boleſlaï Polóniæ Regis fílius, qui à mundi delíciis ad Romuáldi régulam tránſiit. Inſuper & ex ſummo Martyrii deſidério in Pannóniam proféctus Romuáldus, morbo, quo affligebátur progrediens, levabátur cùm recéderet, revérti cógitur. Tandem multas à dæmónibus inſídias, multas à falſis frátribus perſecutiónes perpéſſus æquali humilitáte, & conſtántiâ, ſanctitátis & miraculórum famâ clarus, quâ & Imperatóribus Othoni tértio, & Henríco ſecúndo innotuit, ab iis deſiderátus, & honorífice exceptus, óbiit anno millésimo vigéſimo séptimo.

DIE VIII.

S. JOANNIS DE MATHA, Presbyteri & Inſtitutóris Ordinis ſanctiſſimæ Trinitátis.

Simplex.

Omnia de Communi unius Monachi.

Oratio.

Deus, qui beáto Joánni Presbytero ejuſque ſé-

eſis zelum fidéles rediméndi captívos infudíſti; da ſervis tuis illam córporis, & ánimæ libertátem, quâ Chriſtus nos liberávit; Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Lectio iij.

Ex bullis Innocentii III. Robert. Gaguin. Spond. Contin. &c.

JOánnes de Matha in Província Narbonénſi ſecúnda natus eſt paréntibus pietáte non minùs, quàm nobilitáte conſpícuis. Conféɛto Paríſiis Theológiæ curſu, magiſtérii gradum ſumma cum laude adéptus eſt. Presbyterátûs órdinem juſſus accípere, dum primùm in ſacéllo Pariſiénſis Epíſcopi offérret ſacrifícium, à Deo vocátum ſe ſenſit, qui captívos ab infidélium ſervitúte redímeret. Sed ne quidquam in re tanti moménti léviter ágeret, Deum procul à tumúltu auditúrus, in ſolitúdinem Valéſii, Diœcéſis Meldénſis ſeceſſit; ubi cum Felíce Eremíta, máximæ pietátis viro, inítâ ſocietáte & juncto consílio, per triénnium ſanctæ ac duriòris vitæ exercítiis ad opus consúltum ſe comparávit. Tum Romam unà cum Felíce proféctus, ab Innocéntio tértio benígnè excéptus, & honoríficè hábitus inſtitutiónem novi Ordinis rogávit, quem de ſanctíſſima Trinitáte redemptiónis captivórum ánnuens Póntifex vocári juſſit. Rebus próſperè conféctis, in Valéſium redux Joánnes, primùm in loco qui Cervus frígidus appellátur, Monaſtérium, deínde multa ália per Itáliam, Gállias & Hiſpánias Ordinis ſui conſtrúxit cœnóbia, innumeróſque captívos tum per ſe, tum per Ordinis ſui alúmnos, in libertátem aſſéruit. Dénique váriis aſperióris vitæ, itínerum, & ſummæ charitátis labóribus conféctus, Romæ óbiit anno Chriſti milléſimo ducentéſimo décimo tertio.

Die ix.

SANCTÆ APOLLONIÆ, Virginis & Martyris.

Simplex.

Oratio, Deus, qui inter, *pag.* lj.

Lectio iij.

Ex Epíſtola ſancti Dionyſii Alexandríni, ad Fábium Antiochénum.

Euſeb. Hiſt. Lib. 6. Cap. 41.

NEquáquam ex Décii Imperatóris edícto perſecútio apud nos cœpta eſt, ſed íntegro anno antevérterat. Nam infáuſtus quidam vates ac poéta commóvit Alexandríæ advérsùs nos Gentílium turbas. Ab illo ígitur ſtimuláti, hanc ſolam pietátem cultúmque dæmonum ſuórum exiſtimabant, ſi cædibus advérsùs nos ſævírent. Itaque admirándam illam provéctæ jam ætátis Vírginem Apollóniam tunc comprehendé-

runt; & maxíllas quidem ejus percutiéntes, cunctos ei dentes excuſſérunt. Accénſo autem extra urbem rogo, minabántur vivam ſe illam combuſtúros, niſi unà cum ipſis ímpia verba pronuntiáret. At illa véniam deprecári paulíſper viſa, atque ínterim dimíſſa, celériter in ignem inſiliit, & conflagrávit.

DIE X.

S. SCOLASTICÆ, Virginis.

Simplex.

Oratio, Omnípotens ſempitérne, *pag.* lj.

Lectio iij.

Ex Lib. 2. Dialog. S. Greg. Cap. 33. & 34.

SOror ſancti Benedícti fuit Scoláſtica nómine, Dómino ab ipſo infántiæ témpore dedicáta. Ad quam ſemel per annum vir Dei non longè extra jánuam in poſſeſſióne monaſtérii deſcéndere conſuéverat. Quâdam autem die venit ad eam cum diſcípulis ex more: cùmque totum diem in Dei láudibus, & ſacris collóquiis cum illa duxíſſet, incumbéntibus jam ténebris noctis, poſt ſumptum ſimul cibum, ad monaſtérium redíre vóluit. Rogánti ínterim Scoláſticæ, ut uſque ad mane de paradíſi gáudiis mútuos habérent ſermónes, cùm ille non acquiéſceret, inſértas dígitis manus ad oratiónem ſuper menſam illa póſuit, ut Deus fratris mentem inflécteret. Tántaque ſúbitò tonítrui vis, & inundátio plúviæ erúpit, ut Benedíctus pedem extra limen efférre non poſſet. Sicque factum eſt, ut totam noctem in ſacris collóquiis, ſicut optáverat illa, tranſégerint pervígilẽ. Hinc revérſus ad cellam Benedíctus, poſt tríduum elevátis óculis, vidit ejúſdem ſorórìs ſuæ ánimam de córpore egréſſam in colúmbæ ſpécie, cœli ſecréta penetráre. Qui tantæ glóriæ congáudens, prótinus fratres miſit, qui corpus ejus ad Monaſtérium ſuum deférrent, & in ſepúlchro, quod ſibi paráverat, pónerent.

DIE XVIII.

S. SIMEONIS, Epiſcopi Hieroſolymitáni, & Martyris.

Simplex.

Oratio, Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex libro quinto Commentariórum ſancti Hegeſippi, Hiſtoriógraphi.

Euſeb. Hiſt. Lib. 3. Cap. 32.

SImeon, cognátus Dómini, fílius Cléophæ, calúmniam paſſus ab hæréticis, accusátus eſt coram Attico Conſulári; & per plúrimos dies excruciátus, Martyr effféctus eſt; ita ut omnes ſupra modum admiraréntur, & ipſe quoque Conſuláris, quómodo is qui centum vigínti annos attígerat, tália pertulíſſet. Tandem verò ſententiâ

Júdicis cruci affixus eſt. Ad hæc uſque témpora Eccléſia virgo pura & incorrúpta permanſit, in obſcúro adhuc receſſu deliteſcéntibus quicúmque rectam ſalutáris prædicatiónis régulam depraváre nitebántur. Poſtquam autem ſacer Apoſtolórum chorus vário mortis génere extínctus eſt, effluxerátque jam ætas hóminum illórum, qui divinam ipſam ſapiéntiam ſuis áuribus auſcultare merúerat; tunc demum exórta eſt ímpii erróris conſpirátio, nullo vidélicet ámplius ex Apóſtolis ſupérſtite.

Die xxi.

S. GUNDELBERTI,
Ex Senonenſi Epiſcopo
Monachi Tullénſis.

Simplex.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio. Da Eccléſiæ, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Sanctos inter & célebres viros, qui Vóſagos Diœcéſis Tullénſis montes ſuis illuſtravére virtútibus, & exemplis, viſus eſt Gundelbértus, qui alter poſt Gotelcálcum in ſede Senonénſi numerátur Epíſcopus. Is ſolitáriæ vitæ deſidério incénſus, quò humílius atque ſecúriùs Chriſti inſiſteret obſéquiis, relictâ ſede, ad hanc ſe cóntulit ſolitúdinem, ubi Monaſtérium de ſui Epiſcopátûs nómine conſtrúxit. Paucis hæc encómia de illo ſcribit beátus Petrus Damiánus, illos laudans Epíſcopos, qui ab honóre Pontifício ad Voſagénſem erémum confúgerant; (Quid Gundelbértum, præclariſſimum vidélicet Archiepíſcopum Sénonum? Hic planè cæléſti deſidério æſtuans, commíſſam dimíſit Eccléſiam, & in loco qui Grandiávium dícitur, cœnóbium Senonénſe conſtrúxit; quod ſcilicet ex relictæ Eccléſiæ vocábulo denominávit.) Diem illius Natálem ad vigeſimum primum Februárii célebrat Menárdus in Martyrológio monáſtico.

Die xxiv.

(In anno Biſſextili, die xxv.)

S. MATTHIÆ,
Apóſtoli.

Duplex iij. Claſſis.

Si hoc Feſtum venerit in Quadrageſima, anticipatur in Feriam 2. poſt Dominicam in Quinquageſima.

Omnia de Communi Apoſtol. præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

Deus, qui beátum Matthíam Apoſtolórũ tuórum collégio ſociaſti: tríbue, quæſumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis ſemper víſcera ſentiámus; Per, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio iv. Cap. I. 15. ad finem.

In diebus illis exurgens Petrus in médio fratrum

dixit : (erat autem turba hóminum ſimul ferè centum viginti.) Viri fratres, opórtet impléri Scripturã quam prædíxit Spiritus ſanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jeſum, qui connumerátus erat in nobis, & ſortítus eſt ſortem miniſtérii hujus. Et hic quidem poſſédit agrum de mercéde iniquitátis, & ſuſpénſus crépuit médius: & diffúſa ſunt ómnia víſcera ejus. Et notum factum eſt ómnibus habitántibus Jerúſalem; ita ut appellarétur ager ille linguâ eórum, Hacéldama, hoc eſt, Ager sánguinis. Scriptum eſt enim in libro Pſalmórum : Fiat commorátio eórum desérta, & non ſit qui inhábitet in eâ, & epiſcopátum ejus accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris qui nobíſcum ſunt congregáti in omni témpore, quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jeſus, incípiens à baptíſmate Joánnis uſque in diem quâ aſſúmptus eſt à nobis, teſtem reſurrectiónis ejus nobíſcum fíeri unum ex iſtis. Et ſtatuérunt duos; Joſeph, qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus, & Matthíam. Et orántes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda noſti ómnium, oſténde quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum miniſtérii hujus, & Apoſtolátûs, de quo prævaricátus eſt Judas, ut abíret in locũ ſuum. Et dedérunt ſortes eis; & cécidit ſors ſuper Matthíam, & annumeratus eſt cum úndecim Apóſtolis.

Lectio v.

Ex Commentáriis S. Joánnis Chryſóſtomi in Actus Apoſtolórum.

Homil. iij.

IN diébus illis, exúrgens Petrus. Tamquam férvidus, & tamquam is cui à Chriſto grex commíſſus fúerat, & tamquam Chori Princeps, ubíque primus íncipit loqui. Viri fratres, oportébat impléri Scriptúram. Illud consídera quòd Petrus agit ómnia ex commúni ſenténtia, nihil ex auctoritáte, nihil cum império. Oportet ígitur ex váriis nobíſcum congregátis in omni témpore. Quamóbrem commúnicat hoc negótium cum illis? Ne delaberéntur in contentiónem: nam ſi his ipſis hoc áccidit, multò magis accidiſſet illis. Proptérea ait: Viri fratres, opórtet elígere è nobis. Multitúdini permíttit judícium; ſimul eos qui eligebántur reddens venerándos; & ſeipſum líberans ab ódio cæterórum. Ex quibus autem faciénda ſit eléctio, ipſe interpretátur dicens; Ex viris nobíſcum congregatis in omni témpore : étenim ſi dixíſſet, modéſtos opórtet adéſſe, cæteros affecíſſet contuméliâ. Et ſtatuérunt duos; Joſeph, qui

vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus, & Matthíam. Quare non multos? Ne major fíeret animórum dejéctio, neve res in multos diſtraherétur.

Lectio v.

ET verò omnes commúniter precántur, dicéntes: Tu, Dómine, qui noſti corda ómnium, oſtende. Tu, ínquiunt; non nos. Aptè córdium cognitórem appéllant: hinc enim eléctio erat faciénda, non ab exterióribus. Neque dixérunt, Elige; ſed, Oſtende electum, hoc eſt, quem tu elegíſti, ſciéntes ómnia præfinita eſſe à Deo. Et dedérunt eis ſortes. Nondum judicabant ſe eſſe idóneos, ut rem ipſi ſibi permítterent. Ideóque cúpiunt áliquo ſigno edocéri. Alióqui, ſi illìc ubi nec erat precátio, neque viri probi, tantùm váluit ſors, eò quòd recto ánimo fieret ſuper Jona; multò magis hîc explévit chorum, ac perfécit órdinem. Nec alter ille dóluit; non enim celáſſent Apóſtoli próprios defectus, qui de ipſis primóribus non vériti ſunt dícere, quòd álibi commoti fúerint indignatióne. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor, ſed his tantùm qui principátum affectant. Si credis Dei eſſe electiónem, ne indignéris; illi enim indignáris, & irritáris advérsùs illum. Ille eſt qui elégit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 13. 16.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Amen, amen dico vobis; Non eſt ſervus major Dómino ſuo: neque Apoſtolus major eſt eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beáti éritis, ſi fecéritis ea. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. in Joan. 59. n. 1.

CUm hæc Dóminus præmiſiſſet, adjúnxit: Non de ómnibus vobis dico, ego ſcio quos elégerim. Notum eſt de quo loquátur: Judas ille tráditor ejus attíngitur. Ergo ipſum non elégerat, unde ab eis, quos elégit, iſto ſermóne ſecérnit. Quid eſt ergo quod álio loco dicit, Nonne ego vos duódecim elégi, & unus ex vobis diábolus eſt? An & ipſe ad aliquid eſt eléctus, ad quod útique erat neceſſárius; non autem ad beatitúdinem de qua modò ait: Beáti éritis, ſi fecéritis ea? Hoc non de omnibus dicit; ſcit enim quos ad ſocietátem beatitúdinis hujus elégerit. Non eſt ex eis iſte, qui panem illíus ſic edébat, ut ſuper eum levá ret calcáneum.

Lectio viij. Tract. 27. n. 10.

ELecti in laude ſolent dici: An eléctus eſt & iſte, de quo nolente & neſciente, magnum áliquid boni

fieret? Hoc eſt próprium Dei: contrárium iniquis. Omnibus bonis Dei malè útitur malus: contrà, malis hóminum malórum bene útitur bonus. Et quid tam bonum, quàm unus Deus? Quando quidem ipſe Dóminus dixit: Nemo bonus, niſi unus Deus. Quantò ergo ille mélior, tantò mélius útitur & malis noſtris. Quid Judâ pejus? ſed malo ejus bene uſus eſt Dóminus. Tradi ſe pértulit ut redímeret nos. Ecce malum Judæ in bonum convérſum eſt.... Poteſt & ſic intélligi quod ait, Duódecim elégi, quia ſacrátus eſt númerus. Non enim quia périit inde unus, ideò illíus númeri honor demptus eſt: nam in locum pereuntis álius ſubrogátus eſt.

Lectio 9. Tract. 50. n. 10.

Ecce audíte quia Judas iſte non tunc perverſus factus eſt, quando à Judæis corrúptus Dóminum trádidit. Pleríque enim incurióſi Evangélii exíſtimant tunc periiſſe Judam quando accépit à Judæis pecúniam ut Dóminum tráderet. Non tunc périit: jam fur erat, & Dominum pérditus ſequebátur: quia, non corde, ſed córpore ſequebátur. Duodenárium númerum Apoſtolórum implébat, Apoſtolicam beatitudinem non habébat: ad imaginem fúerat duodécimus: quo decedénte, & Matthía ſuccedénte, & ſuppléta eſt Apoſtólica véritas, & númeri permánſit intégritas.

FESTA MARTII.

Die iv.
S. CASIMIRI, è Polonia Laici.

Simplex.

Omnia de Communi unius Juſti.

Oratio.

Deus, qui inter regáles delícias & mundi illécebras, ſanctum Caſimírum virtúte conſtantiæ roboráſti; quæſumus ut ejus interceſſióne, fidéles tui terréna deſpíciant, & ad cœléſtia ſemper aſpírent; Per Dóminum, &c.

Lectio iij.

Ex probationibus ad ipſius Canonizationem factis à Zach. Ferr. Leg. Sum. Pontif.

Caſimirus, patre Caſimíro, matre Elizabéthâ Auſtríacâ, Poloniæ régibus ortus, à pueritia optimis magíſtris traditus eſt, pietate & bonis ártibus informándus. Júvenis jugum Chriſti ſuſcípiens,

piens, artus téneros aſpero domábat cilício, & aſsiduis extenuábat jejúniis, durâ cubans humo, clam intempéſtâ nocte præ fóribus temploórum in oratióne pervígilans, Chriſti paſſióni contemplándæ, & Miſsárum ſolémniis ſic inténtus, ut ſæpiùs extra ſe rapi viderétur, in páuperes & afflíctos ſic beneficus, ut Patris orphanórum cognómen meruérit. Cathólicam fidem promovére ſollícitus, ut Ruthenórum ſchiſma aboléret, à patre Caſimíro legem obtínuit, ne ſchiſmáticis nova templa conſtrúere, nec vétera reſtauráre licéret. Virginitátem, quam ab incunábulis ſervávit illæſam, ſub extrémo vitæ perículo fórtiter aſséruit, dum gravi preſſus infirmitáte, mori pótiùs quàm caſtitátis jactúram, ex medicórũ consílio, ſubíre conſtánter elégit. Conſummátus in brevi, prænuntiáto ſuæ mortis die, inter Sacerdótum chóros ánimam Deo réddidit, anno ætátis ſuæ vigéſimo quinto, Chriſti milleſimo quadringentéſimo octogéſimo quarto.

DIE VII.

SS. PERPETUÆ, & Felicitátis, & Sociorum Mártyrum.

Simplex.

Omnia de Communi plurium Martyrum.

Oratio.

DA nobis, quæſumus, Dómine Deus noſter, Perpétuæ, Felicitátis, Revocáti, Saturníni, Secúnduli, & Sátyri Mártyrum triúmphos inceſsábili devotióne veneràri; ut quos dignâ mente non póſſumus celebráre, humílibus ſaltem frequentémus obséquiis, Per, &c.

Lectio iij.

Ex eorum actis apud Ruinart.

PErpétua & Felícitas in perſecutióne Sevéri Imperatóris Carthágine in Africa, unà cum Revocáto, Saturníno, & Secúndulo comprehénſæ ſunt. & in tenebricóſum cárcerem detrúſæ, quibus ultrò adjúnxit ſe Sátyrus. Erant adhuc cathecúmenæ; ſed paulò poſt baptizátæ, & paucis abhinc diébus è cárcere ad forum dedúctæ cum sóciis, poſt glorioſam confeſſiónem, ab Hilariáno Procuratóre damnántur ad béſtias. Inde hílares deſcéndunt ad cárcerem, ubi váriis viſiónibus recreátæ, ad martyrii palmam accendúntur. Perpétuam, nec patris ſénio penè confécti iterátæ preces & lácrymæ, nec erga fílium infántem pendéntem ad úbera matérnus amor, nec ſupplícii atrócitas à Chriſti fide dimovére unquam potuérunt. Felícitas verò inſtánte ſpectáculi die, cùm octo jam menſes prægnans eſſet, in magno erat luctu ne differrétur: leges

quippe vetábant prægnantes ſupplício áffici. At précibus Commártyrum acceleráto partu, eníxa eſt fílium...... Cùmque in partu labórans dolêret, ait illi quidam ex miniſtris: Quæ ſic modò doles, quid fácies objécta béſtiis? Cui illa: Modò ego pátior quod pátior; illìc autem álius erit in me, qui patiétur pro me; quia & ego pro illo paſsúra ſum. In amphiteátrum toto inſpectánte pópulo producúntur tandem generóſæ Mulíeres nonis Mártii. Ac primùm flagéllis cædúntur: tum à ferociſſima vacca aliquámdiu jactátæ, plagis conciſæ, & in terram elíſæ ſunt: demum cum sóciis qui à váriis béſtiis vexáti erant, gladiatórum énſibus conficiúntur.

D I E I X.

S. FRANCISCÆ, Viduæ Románæ.

Simplex.

Omn. de Com. unius Mulieris.

Oratio. Tuórum corda, *pag.* lvij.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Joan. Matth. ipſius Confeſſario, & aliis apud Boll.

Franciſca, nóbilis Matróna Románа, à téneris annis virtútis amans, pueríles ludos, & álias mundi réſpuens illécebras, nec niſi ſolitúdine & oratióne delectáta, vix undécimum annum attígerat, cùm virginitátem ſuam Deo vovére, & Monaſterium íngredi propóſuit. Nupta tamen ex húmili paréntum juſſis obséquio, nihil, quantùm lícuit, ab arctióris vitæ remíſit propóſito, à ſpectáculis & convíviis fúgiens, vulgári indúta veſte, & quidquid à doméſticis curis ſupérerat témporis, illud oratióni tríbuens, & proximórum utilitáti. Insígne dedit virtútis ſuæ ſpécimen, cùm beáti Job répetens verba, & imitáta exémplum, viſa eſt viri exílium, & bonórum ómnium jactúram non modò ferre conſtánter, ſed & Deo grátias læta ágere. Viro defúncto, ad domum Oblatárum, quam adhuc nupta in urbe inſtitúerat, ſupplex venit, nudis pédibus, fune ad collum alligáto, eárum número adſcríbi póſtulans cum lácrymis. Voti compos facta, licèt eſſet ómnium mater, abjectiſſimam ómnibus ſe geſſit ancíllam, ad vilióra deſcéndens, à cæteris non niſi último loco, non niſi humilióri diſtíncta obséquio. Poſt vitam in oratiónibus pervígilem, in ómnibus charitátis offíciis exércitam, & voluntáriis conſúmptam maceratiónum ſupplíciis, miráculis clara óbiit anno milléſimo quadringentéſimo quadragéſimo.

D I E X.

SS. QUADRAGINTA Mílitum, Sebaſtienſium Martyrum.

Simplex.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui glorióſos Mártyres fortes in ſua confeſſióne cognóvimus, pios apud te in noſtra interceſſióne ſentiámus; Per, &c.

Lectio iij.

Sermo ſancti Baſílii Epiſc.

Hom. in 40. Martyres.

QUadragínta Chriſti mílites magnitúdine córporis, & ætátis flore ac virtúte, cæteris ómnibus præcelléntes, ad militáres órdines regéndos promóti ſunt, & propter militárem expeñéntiam, animíque fortitúdinem, jam primos honóres apud Imperatóres obtinébant. Ubi verò ímpium edíctum denuntiátum eſt, ne quis Chriſtum profiterétur; tunc horum quílibet in médium procédens, En, ait, Chriſtiánus ſum. Quæ ut audívit bárbarus Judex, cùm conſideráſſet regiónis natúrã quòd eſſet frígida, & anni tempus quòd hibérnum, & noctem in qua Bóreas máximè ſpiráret, juſſit omnes nudos ſub dio in média civitáte congelándos mori. Qui, loco ſummâ cum lætítiâ conſpécto, últimum étiam amíctum alácriter abjiciéntes, ad mortem properárunt. Uná autem erat ómnium orátio: Quadragínta in ſtádium ingréſſi ſumus; quadragínta, ô Dómine, coronémur. Unus autem ex eórum número vacíllans ad pœnam desértor ábiit, luctum inconſolábilem Sanctis relínquens. Verùm Dóminus eórum preces írritas eſſe non permíſit. Nam cuſtos Mártyrũ cùm evéntum obſerváret, mirum vidit ſpectáculum; virtútes quaſdam è cœlis deſcendéntes, & tamquam à Rege magna dona Milítibus diſtribuéntes, quæ áliis quidem ómnibus dona dividébant, unum verò ſolum indonátum dimiſérunt, qui ſtatim dolóres detréctans, ad adverſários cónfugit. Lictor autem ut illum defecíſſe vidit, & ad bálneum accurríſſe, ſeípſum in deſertóris locum ſubſtítuit; & abjíciens veſtes, nudis ſe permíſcuit, eamdémque cum ſanctis vocem emíſit, Chriſtiánus ſum. Hic baptíſma ſuſcépit non ab ullo, ſed à própria fide; non in aqua, ſed in próprio sánguine. Sicque illuceſcénte die, adhuc ſpirántes igni tráditi ſunt; & ignis relíquiæ in flúvium projéctæ,

OFFICIUM SACRATISSIMI CORDIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

SOLEMNE MAJUS.

AD I. VESPERAS.

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 7. *A.* DElíciæ meæ eſſe cum fíliis hóminum. Beáti qui cuſtódiunt vias meas. *Prov.* 8. 31. 32.

Ant. t. 2. *d.* Lætábor ſuper eis, cùm bene eis fécero in toto corde meo & in totâ ánimâ meâ. *Jerem.* 32. 41.

Ant. t. 6. *F.* In funículis Adam traham eos, in vínculis charitátis. *Oſ.* 11. 4.

Ant. t. 3. *E.* Dabo eis cor, ut ſciant me, quia ego ſum Dóminus; & erunt mihi in pópulum, & ego ero eis in Deum. *Jer. ch.* 24. *v.* 7.

Ant. t. 5. *F.* Lætábitur cor eórum quaſi à vino, & lætabúntur, & exultábit cor eórum in Dómino. *Zachar.* 10. 7.

Capitul. Iſa. 66. 13. 14.

HÆc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo ſuper Jerúſalem quaſi flúvium pacis, & quaſi torréntem inundántem glóriam géntium quam ſugétis; ad úbera portabímini, & ſuper génua blandiéntur vobis. Quómodo ſi cui mater blandiátur, ita ego conſolábor vos; vidébitis, & gaudébit cor veſtrum.

℟. Noli timére, Sion; non diſſolvántur manus tuæ. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis. * Ipſe ſalvábit: † Gaudébit ſuper te in lætítiâ, ſilébit in dilectióne ſuâ. ℣. Verbum caro factum eſt, & habitávit in nobis. * Ipſe ſalvábit. Glória. † Gaudébit. *Soph.* 3. 16. 17. *Joan.* 1. 14.

Hymnus.

O QUAM digna coli cántibus æmulis,
Quæ Chriſti látitant corde ſub íntimo!
Patris progénies, Chriſtus homo Deus,
Quantis dignus honóribus!
TEMPLUM, tu Génitor, péctoris íntima
Præſens ipſe tuo númine conſecras,
Tu votis, Génitus, ſupplícibus Patrem,
Cultu non colis ímpari.

Templum perpétuis láudibus íntonat,
Templum perpétuis fragrat odóribus,
Hic mens pura Deo múnera dévovet,
Dignas mens litat hóſtias.

In Chriſto quot opes, dona ſciéntiæ,
Quot præclára Pater pródigus ábdidit!
O quàm dives adeſt in penetrálibus,
Theſáurus ſapiéntiæ!

Ardens intériùs, qui ſacer ártifex,
Tantum finxit opus, Spíritus ínſidet;
Perlúſtrans óperis grande decus ſui,
Mirum quàm ſibi cómplacet.

Quæ Chriſti cúmulas, alta ſacrária,
Tantis divítiis, laus tibi, Trínitas,
Fac nos, Chriſte, tuis ſacri munéribus,
Cordis perpétuò frui. Amen.

℣. Delectáre in Domino; ℟. Et dabit tibi petitiónes cordis tui. *Pſalm.* 36. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Deus omnípotens ipſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam. Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre confitémini illi: Regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris. *Tob.* 13. 5. 6.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Pro Comm. Dominicæ.

Ant. Ecce nos vénimus ad te: tu enim es Dóminus Deus noſter: verè in Dómino Deo noſtro ſalus Iſrael. *Jerem.* 3. 22. 23.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: ℟. Facti ſumus lætántes. *Pſal.* 125. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD COMPLETORIUM.

Hymnus.

Fausto transádigit vúlnere láncea,
Quo nos partúriat pectus amábile:
Hoc quæ fonte fluit, nos aqua, nos cruor,
Sanat, líberat, ábluit.

O vitæ látices, vívida flúmina!
O ſacros áditus péctoris íntimi!
O petræ ſólidæ tuta forámina!
O cordis penetrália!

Te ſi noſtra, Pater, crímina próvocant,
Nati ſacra lubens víſcera réſpice;
Ut cum prole tibi júgiter ac tuo
Demus Spirítui decus. Amen.

Ad Nunc dimittis. *t.* 5. *A.* Jeſus Chriſtus dedit ſemetípſum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte & mundáret ſibi pópulum acceptábilem, ſectatórem bonórum óperum. *Tit.* 2. 14.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitatorium.

Jeſum Chriſtum qui diléxit nos, * Veníte, adorémus. *Ap.* 1. 5.

Pſal. 94. Veníte, &c.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. *D.* Sciens Jeſus,

PSALMUS 33.

BEnedícam Dóminum in omni témpore ; * ſemper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant manſuéti, & læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum ; * & exaltémus nomen ejus in idípſum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me ; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini ; * & fácies veſtræ non confundéntur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immíttet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum ; * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus : * béatus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus ; * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt ; * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, filii, audíte me, * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum : * inquíre pacem, & perſéquere eam.

Oculi Domini ſuper juſtos ; * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſuper faciéntes mala, * ut perdat de terrâ memóriâ eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum ; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum ; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima : * & qui odérunt juſtum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum ſuórum ; * & non delínquent omnes qui ſperant in eo.

Ant. Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tránſeat ex hoc mundo ad Patrem ; cùm dilexíſſet ſuos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. *Joan.* 13. 1.

Ant. t. 6. *f.* In dilectióne.

PSALMUS 102.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me ſunt, nómini ſancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivíſci omnes retributiónes ejus,

Qui propitiátur ómnibus

iniquitátibus tuis ; * qui ſanat omnes infirmitátes tuas ,

Qui rédimit de intéritu vitam tuam :* qui corónat te in miſericórdiâ & miſeratiónibus ;

Qui replet in bonis deſidérium tuum ; * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens miſericórdias Dóminus , * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias ſuas Móyſi , * fíliis Iſrael voluntátes ſuas.

Miſerátor & miſéricors Dóminus ; * longánimis , & multùm miſéricors.

Non in perpétuum iraſcétur , * neque in ætérnum comminábitur.

Non ſecúndùm peccáta noſtra fecit nobis , * neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuit nobis ;

Quóniam ſecúndùm altitúdinem cœli à terrâ , * corroborávit miſericórdiâ ſuam ſuper timéntes ſe :

Quantùm diſtat ortus ab occidénte , * longè fecit à nobis iniquitátes noſtras.

Quómodo miſerétur pater filiórum , miſértus eſt Dóminus timéntibus ſe ; * quóniam ipſe cognóvit figméntum noſtrum.

Recordátus eſt quóniam pulvis ſumus ; * homo ſicut fœnum dies ejus , tamquam flos agri ſic efflorébit.

Quóniam ſpíritus pertranſíbit in illo , & non subsíſtet ; * & non cognóſcet ámplius locum ſuum.

Miſericórdia autem Dómini ab ætérno , & uſque in ætérnum , * ſuper timéntes eum ;

Et juſtítia illíus in fílios filiórum , * his qui ſervant teſtaméntum ejus.

Et mémores ſunt mandatórum ipsíus , * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit ſedem ſuam : * & regnum ipsíus omnibus dominábitur.

Benedícite Dómino , omnes Angeli ejus , * poténtes virtúte , facientes verbum illíus , ad audiéndam vocem ſermónum ejus.

Benedícite Dómino , omnes virtútes ejus , * miníſtri ejus , qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino , ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus , bénedic , ánima mea , Dómino.

Ant. In dilectióne ſuâ & in indulgentiâ ſuâ ipſe redémit eos , & portávit eos , & elevávit eos. *Iſa.* 63. 9.

Ant. t. 7. *D.* Dóminus.

PSALMUS 91.

BOnum eſt confitéri Dómino , * & pſállere nómini tuo , Altíſſime ;

Ad annuntiándum manè miſericórdiam tuam , * & veritátem tuam per noctem ,

In decachórdo pſaltério , * cum cántico in cíthara ;

Quia delectáſti me , Dómine , in factúrâ tuâ , * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt

ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ :

Vir inſípiens non cognóſcet, * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fuérint peccatóres ſicut fœnum, * & apparuérint omnes qui operántur iniquitátem, ut intéreant in ſæculùm ſæculi :

Tu autem Altiſſimus * in ætérnum, Dómine :

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & diſpergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicórnis cornu meum, * & ſenéctus mea in miſericórdiâ úberi.

Et deſpéxit óculus meus inimícos meos; * & in inſurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea

Juſtus ut palma florébit, * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in ſenécta úberi : * & bene patiéntes erunt,

Ut annúntient quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iníquitas in eo.

Ant. Dóminus Jeſus in quâ nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit; Accípite & manducáte : Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradétur. 1. *Cor.* 11. 23. 24.

℣. Accédite ad eum, & illuminámini. ℟. Et fácies veſtræ non confundéntur. *Pſal.* 33. 5.

Pater noſter, &c.

De Epíſtolâ beati Pauli Apóſtoli ad Ephéſios.

Lect. j. Cap. 1. 3. & 9.

BEnedictus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedíxit nos in omni benedictióne ſpirituáli in cœléſtibus in Chriſto; ſicut elégit nos in ipſo ante mundi conſtitutiónem, ut eſſémus ſancti & immaculáti in conſpéctu ejus in charitáte, qui prædeſtinávit nos in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum in ipſum ſecúndùm propóſitum voluntátis ſuæ, in laudem glóriæ grátiæ ſuæ, in quâ gratificávit nos in dilécto Filio ſuo. In quo habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum ſecúndùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis in omni ſapiéntiâ & prudéntiâ. Tu autem, &c.

℟. Sapiéntia locúta eſt : * Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míſcui vobis. ℣. Deſidério deſiderávi hoc paſcha manducáre vobíſcum. * Veníte. *Prov.* 9. 5. *Luc.* 22. 15.

Lect. ij. Cap. 2. 4. & 11.

DEus autem qui dives eſt in miſericórdia, propter nímiam charitátem ſuam quâ diléxit nos, cùm eſſémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Chriſto (cujus grá-

cupíſcere : * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi ; quia potéſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia ; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

Ant. Totâ die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, & contradicéntem. *Iſa.* 65. *v.* 2.

℣. Foràs fugérunt à me.
℟. Oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde. *Pſ.* 30. ℣. 13.

De ſermóne ſancti Bonaventúræ Epíſcopi.

De ſtimulo amoris.

Lectio iv. p. 1. *cap.* 1.

BOnum eſt cum Jeſu eſſe, & in ipſo volo tria tabernácula fácere, unum in mánibus, unum in pédibus, ſed áliud contínuum in látere, ubi volo quiéſcere, dormíre, vidére, bíbere, comédere, légere, oráre, & ómnia mea negótia pertractáre. Ibi loquar ad Cor ejus, & ab ipſo quod volúero, impetrábo. Sic fáciens dulcíſſimæ Matris veſtígia ſequar, cujus ánimam paſſiónis Fílii gládius pertransívit.

℟. Duo mala fecit pópulus meus : * Me dereliquérunt fontem aquæ vivæ ; & fodérunt ſibi ciſtérnas, ciſtérnas diſſipátas, quæ continére non valent aquas. ℣ Cor eórum longè eſt à me : in vanum autem me colunt. Me dereliquérunt. *Jerem.* 2. 13. *Marc.* 7. 6. 7.

Lectio v.

ECce apértus eſt theſáurus divínæ ſapiéntiæ & charitátis ætérnæ. Intra ergo per vúlnerum apertúram, & cum cognitióne delícias obtinébis. O quàm beáta láncea & beáti clavi qui apertiónem hujúſmodi fácere meruérunt ! O ſi fuíſſem loco illíus lánceæ, exíre de Chriſti látere noluíſſem, ſed dixíſſem : Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi, hic habitábo, quóniam elégi eam.... O ánima ad imáginem Dei facta, quómodo te potes ámpliùs continére ? Ecce Sponſus tuus dulcíſſimus pro te vulnerátus, jam factus glorióſus te cupit ampléꝉti, & tibi dulcíſſima elargíri óſcula ; & ad ipſum négligis feſtináre ! Nam præ nímio amóre apéruit ſibi latus, ut tibi tríbuat cor ſuum.

℟. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, ego autem orábam. * Et poſuérunt advérsùm me mala pro bonis & ódium pro dilectióne meâ. ℣. Ego veni, ut vitam hábeant, & abundantiùs hábeant. * Et poſuérunt adversùm. *Pſ.* 108. 4. 5. *Joan.* 10. 10.

Lectio vj.

O Quàm mirábilis eſt tua diléctio, dulcíſſime Dómine Jeſu, cùm non poſſis ab homínibus ſeparári ! Nonne cùm aſcenſúrus eras ad déxteram Patris tui, poteſtátem hómini dimiſíſti, ut te, cùm velit, hábeat in al-

tui; hanc poteſtátem, & ántequam mori incíperes, dimisíſti, ne amíttere te timéret? Sed cur hoc fácere voluíſti, cùm miſſúrus eſſes Spíritum ſanctum? Cur ſemper cum hómine vis morári? Sed tuo córpori incorporáre nos totáliter voluíſti, & tuo nos potáre ſánguine, ut ſic tuo inebriáti amóre, tecum unum cor, & unam ánimam haberémus. Quíd enim áliud eſt tuũ ſánguinem bíbere, qui ſedes eſt animæ, quàm noſtram ánimam tuæ animæ inſeparabíliter colligári? Hoc eſt certè quod vis; hoc certè eſt quod desíderas, Deus meus; hoc eſt, Redémptor & Dómine mi, quod tanto témpore procuráſti. Pro hoc enim ab infántiâ tuâ laboráſti. Hoc nobis concédas, qui in ætérnum vivis & regnas, Amen.

℟. Si inimícus meus maledixíſſet mihi, ſuſtinuíſſem útique. * Si is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuiſſet, abſcondíſſem me fórſitan ab eo. † Tu verò, homo unánimis, qui ſimul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum ſuum. * Si is. Glória. † Tu verò. *Pſ.* 54. 13. 14. 15. *Joan.* 13. 18.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. *d.* Præbe, fili mi.

P S A L M U S 107.

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo, & pſallam in glóriâ meâ.

Exúrge, glória mea: exúrge, pſaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſallam tibi in natiónibus;

Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua; & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus, * & ſuper omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo; * exultábo & divídam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manáſſes; * & Ephraim ſuſcéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes ſpei meæ;

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulíſti nos, * & non exibis, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipſe ad níhilum dedúcet inimícos noſtros.

Ant. Præbe, fili mi, cor tuum mihi; & óculi tui vias meas cuſtódiant. *Prov.* 23. 26.

Ant. t. 8. *G.* Stude.

PSALMUS 41.

QUemádmodum deſíderat cervus ad fontes aquárum, * ita deſíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte,* dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum; & effúdi in me ánimam meam;* quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei,

In voce exultatiónis & confeſſiónis,* ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat,* in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suſcéptor meus es:

Quare oblítus es mei? * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur oſſa mea,* exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies; * Ubi eſt Deus tuus?

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Stude ſapiéntiæ, fili mi, & lætífica Cor meum; ut poſſis exprobránti reſpondére ſermónem. *Prov.* 27. 11.

Ant. 1. 5. *A.* Fili mi.

PSALMUS 83.

QUàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíſcit & défícit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum,* Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine! * in ſæcula ſæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te: * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noſter, áſpice, Deus, * & réſpice in fáciem Chriſti tui;

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ: * Dómine virtútum, béatus homo qui ſperat in te.

Ant. Fili mi, ſi ſápiens fúerit ánimus tuus, gaudébit tecum Cor meum; & exultábunt renes mei, cùm locúta fúerint rectum lábia tua. *Prov.* 23. 15. 16.

℣. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, ℟. Quia magna eſt ſuper cœlos miſericórdia tua. *Pſ.* 107. 3. 4.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 15. 9. & 17.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sicut diléxit me Pater, & ego diléxi vos. Manéte in dilectióne meâ. Et réliqua.

Homília ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

In Joan. Homil. 75.

SIcut diléxit me Pater, & ego diléxi vos. Hic jam magis ſecúndùm hóminem lóquitur . . . Nam qui mori vóluit, qui ſervos, inimícos, hoſtes tanto honóre dignátus eſt, & in cœlum addúxit, quómodo dilectiónis menſúram oſténdit? Si ergo vos díligo, confídite: ſi Patris glória eſt fructum fácere, nihil mali ſuſpicámini. Indè ne negligéntes fáceret, vide quómodo eos rurſus éxcitat: Manéte in dilectióne meâ. Hoc in veſtrâ eſt poteſtáte. Quómodo autem hoc erit? Si præcépta mea ſervavéritis, ſicut & ego præcépta Patris mei ſervávi. . . Conſídera autem quantâ eos auctoritáte alloquátur. Non enim dixit; Manéte in dilectióne Patris, ſed, meâ. Indè ne dícerent: Quando nos ómnibus inimícos reddidíſti, tunc nos dimíttis, tunc diſcédis: hoc negat, ſed ita, modò velint, conglutinári dicit, ut palmes viti.

℟. Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum, ut ſignáculum ſuper bráchium tuum; * Quia fortis eſt ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. ℣. Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque creatúra ália póterit ſeparáre à charitáte Dei, quæ eſt in

Chriſto Jeſu Dómino noſtro. * Quia. *Cant.* 8. 6. *Rom.* 8. 38. 39.

Lect. viij. ibid.

IN me, inquit, reſpícite; díligit me Pater, & tamen mors mihi ſubeúnda propónitur. Non ígitur ego vos, quia non díligam, in præſéntia relínquo. Nam ſi ego mórior, nec tamen proptérea non amári à Patre conjectúram fácio, neque vos perturbári opórtet. Si in dilectióne meâ manébitis, nihil vobis nocére póterit. Magnum nempe & inſuperábile quiddam diléctio eſt, quæ non nudis verbis, ſed re oſtendénda eſt. Ipſe inimícos reconciliávit; nos in amóre perſtémus: ipſe incœpit, nos ſaltem proſequámur: ipſe non ſui cómmodi grátiâ; nullíus enim eget; nos ſaltem ad noſtram utilitátem diligámus: ipſe inimícos nos: nos ſaltem eum qui amícus eſt, amóre proſequámur.

℟. Ego diligéntes me díligo. * Et qui manè vígilant ad me, invénient me. ℣. Qui díligit me, diligétur à Patre meo, & ego díligam eum, & manifeſtábo ei meípſum.* Et qui. *Prov.* 8. 17. *Joan.* 14. 21.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio ix. cap. 2. v. 1.

IN illo témpore; Núptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: & erat mater Jeſu ibi. Vocátus eſt autem & Jeſus, & diſcípuli ejus ad núptias. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 8. in Joan. n. 1. & 3.

QUis eſt qui conſíderat ópera Dei, quibus régitur & adminiſtrátur totus hic mundus, & non obſtupéſcit, obruitúrque miráculis? Sed quia hómines in áliud inténti perdidérunt conſideratiónem óperum Dei, in qua darent laudem quotídiè Creatóri: ſervávit ſibi Deus inuſitáta quædam, quæ fáceret, ut tamquam dormiéntes hómines ad ſe coléndum mirabílibus excitáret. Prióra mirácula fecit per Verbum ſuum Deum apud ſe: poſterióra mirácula fecit per ipſum Verbum ſuum incarnátum, & propter nos hóminem factum. Cùm ergo tanta videámus facta per Deum Jeſum, quid mirámur aquam in vinum convérſam per hóminem Jeſum? ipſe fecit hoc, qui illa ómnia.

℟. Beátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídiè, & obſérvat ad poſtes óſtii mei. * Qui me invénerit, invéniet vitam, & † Háuriet ſalútem à Dómino. ℣. Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſaliéntis in vitam ætérnam.* Qui. Glória. † Háuriet. *Prov.* 8. 34. 35. *Joan.* 4. 14.

Te Deum.

AD LAUDES.

Pſalmi de Dominica.

℣. *Sacerd.* Parátum cor meum, Deus; parátum cor meum. ℣. Cantábo & pſalmum dicam. *Pſ.* 56. 8.

Ant. t. 1. *irreg.* Effúdi ánimam meam in conſpéctu Dómini. *Reg.* 1. 15.

Ant. t. 3. *E.* Cháritas Dei diffúſa eſt in córdibus noſtris per Spíritum ſanctum qui datus eſt nobis. *Rom.* 5. 5.

Ant. t. 5. *F.* Signávit nos Deus & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris. 2. *Cor.* 1. 22.

Ant. t. 6. *F.* Diléxit me.

CANTICUM. *Iſa.* 12.

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérſus eſt furor tuus, & conſolátus es me.

Ecce Deus ſalvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo;

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus eſt mihi in ſalútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino: & invocáte nomen ejus:

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntóte quóniam excélſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magníficè fecit: annuntiáte hoc in univérſâ terrâ.

Exúlta & lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Iſrael.

Glória, &c.

Ant. Diléxit me, & trádidit ſemetípſum pro me. *Gal.* 2. 9.

Ant. t. 2. *d.* Beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt. *Mat.* 5. 8.

Capit. Thren. 3. 24. 25.

Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptéreà expectábo eum. Bonus eſt Dóminus ſperántibus in eum, ánimæ quærénti illum.

℣. Suávis eſt Dóminus univérſis;

℟. Et miſeratiónes ejus ſuper omnia ópera ejus. *Pſ.* 144. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Aſpiciéntes in auctórem fídei & conſummatórem Jeſum, qui propóſito ſibi gáudio ſuſtínuit crucem, recogitáte eum. *Heb.* 12. 2. 3.

Oratio.

Deus, qui omnes theſáuros ſapiéntiæ & ſciéntiæ tuæ poſuíſti in corde ſacratíſſimi dilécti Fílii tui, ut per ipſum vitam habeámus, & abundántiùs habeámus; tuórum ánnue votis fidélium, ut hoc donórum cœléſti fonte patefácto, de ejus plenitúdine ſupereffluéntem grátiam accípere mereámur; Per eúmdem.

Pro. Comm. Dominicæ.

Ant. Fecit inítium ſignórum Jeſus in Canâ Galilææ; & manifeſtávit glóriam ſuam. *Joan.* 2. 1.

℣. Exultábo manè miſericórdiam tuam; ℟. Quia factus es ſuſcéptor meus. *Pſal.* 58. 17.

Oratio.

DOmine Deus, qui ut núptias ſanctificáres, iis intereſſe voluiſti: da nobis eárum intellígere myſtérium; & ad illas núptias pertinére, in quibus ipſe ſponſus es caſtárum animárum; Qui vivis.

Ad Horas breves, Pſalmi de Dominica, Ant. de Laudibus, omiſſâ quartâ.

AD PRIMAM.

Hymnus.

HOc unde, Patris únice,
Quòd ſede lapſus ætheris
Cœli triúmphos déſeris,
Jungíſque nobis cor tuum?

O Cor amóris víctima?
Amoris ô incéndium!
In te perénnis hóſtia,
Mortálium culpas luis.

VINDEX reis iráſcitur
Deus; ſed ut te réſpicit,
Placátus iras ábjicit,
Et fulmen oblivíſcitur.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui Cordis alto vúlnere
Nos ſanat; & quo péctora
Fervent, ſit æqua Flámini.
Amen.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui mitis es & húmilis corde. *Mat.* 11. 29.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 6. *de Juſtif. c.* 11.

QUi ſunt filii Dei, Chriſtum díligunt: qui autem díligunt eum, ut ípſemet teſtátur, ſervant ſermónes ejus: quod útique cum divino auxílio præſtáre poſſunt.

AD TERTIAM.

Hymnus.

QUIBUS, Redémptor, æſtuat
Amóre noſtri Cor tuum,
Sacris amóris æmuli
Adúre pectus ignibus.

Nos urget ingrátum genus
Imménſa Chriſti cháritas:
Se ſponte nobis trádidit,
Litemus illi péctora.

SIT laus, &c. *ut ſuprà.*

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 11.

CHaríſſimi; Si ſic Deus diléxit nos, & nos debémus altérutrum dilígere.

℟. Quid mihi eſt in cœlo, Dómine, & à te quid vólui ſuper terram? * Mihi autem adhærére Deo bonum eſt. ℣. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti. * Mihi autem. Glória. * Mihi autem. *Pſ.* 72. 25. 28. *Phil.* 2. 21.

℣. In Deo ſalutáre meũ;
℟. Et glória mea. Allelúia. *Pſ.* 61. 8.

AD SEXTAM.

Hymnus.

COR, vera lux fidélium,
Mentis fuga calígines;
Imis ut una lex tua,
Inſculpta vivat córdibus.

LEGI patérnæ te lubens
Ad uſque mortem ſúbjicis:
Amóre noſtrum, fac tuis
Subdátur & cor légibus.

SIT laus, &c. *ut ſuprà.*

Capitulum 1. *Joan.* 3. 21. 22.

CHaríſſimi; Si cor noſtrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo,

quóniam mandáta ejus custodímus, & ea quæ ſunt plácita coram eo, fácimus.

℟. *br.* Tibi dixit cor meũ; * Allelúia, all. Tibi ℣. Fáciem tuam, Dómine, requíram. * Allelúia. Glória. Tibi. *Pſ.* 26. 8.

℣. Adhæſit ánima mea poſt te. ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. Allelúia. *Pſ.* 62. 8.

AD NONAM.

Hymnus.

O Cor, Deo par víctima,
Cor ara cœlo célſior,
Quas ante non excéperis,
Deus repéllit hóſtias.

Ut pura ſummo júgiter
Litent Paréntimúnera,
Pennis amóris érige
Affíxa terræ péctora.

Sit laus, *ut ſuprà.*

Capitulum Joan. 5. 23. 25.

Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in ſpíritu & veritáte; nam & Pater tales quærit qui adórent eum. Spíritus eſt Deus, & eos qui adórant eum, in ſpíritu & veritáte opórtet adoráre.

℟. *br.* Afférte Dómino, fílii Dei. * Allelúia, allelúia. Afférte. ℣. Afférte Dómino glóriam & honórem; * Allelúia, allelúia. Glória. Afférte. *Pſ.* 28. 1.

℣. Afférte Dómino glóriam nómini ejus: ℟. Adoráte Dóminum in átrio ſancto ejus, allelúia. *Pſ.* 28. 2.

AD II. VESPERAS.

Ant. t. 1. *D.* Majórem.

Pſ. 109. Dixit Dóminus, *pag.* 24.

Ant. Majórem hâc dilectiónem nemo habet; ut ánimam ſuam ponat quis pro amícis ſuis. *Joan.* 15. 13.

Ant. t. 2. *d.* Comméndat.

Pſ. 110. Confitébor tibi, Dómine, *pag.* 24.

Ant. Comméndat autem charitátem ſuam Deus in nóbis, quóniam cùm adhuc peccatóres eſſémus, ſecúndùm tempus Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. *Rom.* 5. 8.

Ant. t. 3. *A.* Habémus.

Pſ. 112. Laudáte, puéri, Dóminum, *pag.* 25.

Ant. Habémus redemptiónem per ſánguinem ejus, remiſſiónem peccatórum ſecúndùm divítias grátiæ ejus, quæ ſuperabundávit in nobis, in omni ſapiéntiâ & prudéntiâ. *Eph.* 1. 7. 8.

Ant. t. 6. *F.* Nos ergo.

Pſ. 115. Crédidi, propter quod locutus ſum, *pag.* 91.

Ant. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. 1. *Joan.* 4. 19.

Ant. t. 7. *D.* Si quis.

Pſ. 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 91.

Ant. Si quis non amat Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathéma. 1. *Cor.* 16. 22.

Capit. 2. *Cor.* 5. 14, 15.

Cháritas Chriſti urget nos: æſtimántes hoc, quóniam ſi unus pro ómnibus mórtuus eſt, ergo omnes mórtui ſunt; & pro ómnibus mortuus eſt Chriſtus; ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro

ipſis mórtuus eſt, & reſurréxit.

Hymnus.

CHRISTE, fons jugis ſaliéntis undæ,
Péctoris ſacros áperi receſſus,
Ut Deo plenos bibat ore puro
Spíritus amnes.

HIC latens blando plácidus ſopóre,
Nóxio mundi procul à tumúltu,
Ebrius largo jacet affluéntis
Núminis hauſtu.

IGNEIS pectus jáculis ferítur:
Vulnus inflígit Deus ipſe; telum
Lædit, & ſanat feriéntis idem
Ictus amóris.

ARDOR hinc creſcit, priùs hinc amáta
Mens amat Chriſtum, redamánte Chriſto:
Æmulum pectus nimis æſtuánti
Sólvitur igne.

CHRISTE, quo ferves, cremer intùs æſtu,
Corda fac zelus bene doctus urat:
Qui tuos regit, regat ille noſtros
Spíritus actus.

CORDIS in ſacris látebris ſepúlta,
Mens ſibi ſanctè moritúra vivat,
Vana dedíſcens, tibi, Chriſte, fida
Sérviat uni.

QUI pari ſeſe rédamant amóre
Summa laus Patri, Genitóque ſumma;
Laus tibi, compar utriúſque ſanctum
Flamen amóris. Amen.

℣. Quid retríbuam Dómino,
℟. Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? *Pſ.* 115. 3.

Ad Mag. Ant. t. 1. D. Princeps regum terræ diléxit nos, & lavit nos à peccátis noſtris in ſánguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdótes Deo & Patri ſuo; ipſi glória & impérium in ſæcula ſæculórum, Amen. *Apoc.* 1. 5. 6.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Pro Comm. Dominicæ.

Ant. Relínquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærébit uxori ſuæ; & erunt duo in carne unâ. Sacraméntum hoc magnum eſt, in Chriſto, & in Eccléſia. *Eph.* 5. 31.

℣. Hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum; ℟. Ipſe reget nos in ſæcula. *Pſ.* 47. 15.

Oratio ut ſuprà ad Laudes.

Completorium ut heri.

DOMINICA PROXIMIORE

Primo diei Februarii non impeditâ.

SANCTI SIGISBERTI,

AUSTRASIÆ REGIS.

Duplex 1. *Cl.* Annuale *in Eccl. Cath. alibì* Sol. maj.

AD I. VESPERAS.

Futura ſancti Sigisberti prænuntiatur ſanctitas.

Pſalmi de Feria.

Ant. *t.* *1.* *D.* PRæparábitur in miſericórdia ſólium; ſedébit ſuper illud júdicans & quærens judícium, & reddens quod juſtum eſt. *Iſ.* 16. 5.

Ant. *t.* *2.* *d.* Crevit puer, & benedíxit ei Dóminus: cœpítque ſpíritus Dómini eſſe cum eo. *Judic.* 13. 24. 25.

Ant. *t.* *3.* *A.* Cùm eſſet júnior, nihil puerîle geſſit in ópere: ſed pergébat ad templum, & ibi adorábat Dóminum. *Tob.* 1. 4. 6.

Ant. *t.* 4. *E.* Sapiéntia exaltábit caput illíus, & in médio magnatórum conſedére illum fáciet. *Eccli.* 11. 1.

Ant. *t.* *5.* *F.* Laudis ejus plena eſt terra, ſplendor ejus ut lux erit. *Hab.* 3. 3. 4.

Capitulum. *Jerem.* 23. 5.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus: & ſuſcitábo germen juſtum: & regnábit Rex, & ſápiens erit: & fáciet judícium & juſtítiam in terra.

℟. Regna terræ, cantáte Deo, pſállite Dómino: * Quóniam Rex omnis terræ Deus. ℣. Lucérna civitátis eſt Agnus, & Reges terræ ásferent glóriam ſuam & honórem in illam. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Pſal.* 67. 33. & 46. 8. *Apoc.* 21. 23. 24.

HYMNUS.

MEndax facéſſat glória príncipum,

Illúſtre tantùm quam péperit nefas;
Quo totus exhorréſcit orbis,
Debúerat periiſſe nomen.

Virtus triúmpha; glória ſánctior
Hîc te corónet: ſánctiùs & juvat
Auſtráſiam cantáre dignas,
Dive, tibi, Sigebérte, laudes.

Spirans imágo Núminis, heu! brevi
Monſtrátus orbi; ſat tibi, non tuis:
Sic nos relínquis? vix beátis,
Invida mors rápuit paréntem.

Ceſſent dolóres: totus adeſt ſuæ
Vivítque genti, cœlícolum thronis
Adſcriptus: & caris ab alto
Invígilat pópulis olympo.

Nil mors nocébit: prodígiis potens
Corpus corrúſcat; mémbraque púlveris
Secúra, prægúſtant ſupérnæ
Pígnora primitiáſque vitæ.

Exémpla vivunt: relígio, fides,
Intáctus aulæ delíciis pudor,
Et turma virtútum nefándo
Haud léviùs temeráta flatu.

Sit ſumma Patri, ſúmmaque Fílio,
Sit alme compar, laus tibi, Spíritus,
Dignéris & cum Rege plebem
Sidéreis ſociáre regnis.
Amen.

℣. Dabis eum in benedictiónem,
℞. In ſæculum ſæculi.
Pſal. 20. 7.

Ad Magníf. *Ant. t. 6.*

F. Percúſſit fœdus coràm Dómino ut ambuláret poſt eum, & cuſtodíret præcépta; & fecit omnes ſervíre Dómino Deo. 2. *Paral.* 34. 31. 33.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Commemor. Dominicæ.

AD COMPLETORIUM.

Omnia ut in Pſalt. exceptis iis quæ ſequuntur.

Doxologia.

Ter ſancte, Regum ter potens
Regnátor, unà fac thronis
Et Príncipes & ſúbditi
Donéntur immortálibus.
Amen.

Et dicitur ad Horas breves.

Ad Nunc dimit. *Ant. t.* 5. *F.* Oriétur in ténebris lux tua ; & ténebræ tuæ erunt ſicut merídies. *Iſ.* 58. 10.

AD OFFICIUM NOCT.

Iuvitator. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 6. 15.

Pſalmi de Dominica.

IN. I. NOCTURNO.

Dedit Deus S. Sigisberto ſapientiam aſſiſtricem ſedium ſuarum.

Ant. Quæsívit Dóminus ſibi virum juxtà cor ſuum ; & præcépit ei ut eſſet Dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. Cùm adhuc júnior eſſem, quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea. *Eccli.* 51. 18.

Ant. Confortátus eſt in regno ſuo, & Dóminus Deus erat cum eo. 2. *Paral.* 1. 1.

℣. Ego primogénitum ponam illum ;

℟. Excélſum præ Régibus terræ. *Pſal.* 88. 28.

De libro tértio Regum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 5.

APpropinquavérunt dies David ut moreréttur, præcepítque Salomóni fílio ſuo, dicens : Ego ingrédior viam univérſæ terræ : confortáre & eſto vir. Et obſérva cuſtódias Dómini Dei tui, ut mbules in viis ejus, ut cuſtódias ceremónias ejus, & præcépta ejus, & judícia & teſtimónia, ſicut ſcriptum eſt in lege Móyſi : ut intélligas univérſa quæ facis, & quocúmque te vérteris : ut confirmet Dóminus ſermónes ſuos, quos locútus eſt de me, dicens : Si cuſtodíerint fílii tui vias ſuas, & ambuláverint coràm me in veritáte, in omni corde ſuo, & in omni ánima ſua, non auferérur tibi vir de ſólio Iſrael.

℟. Deus patrum meórum, & Dómine miſericórdiæ, qui fecíſti ómnia verbo tuo, * Da mihi ſédium tuárum aſſiſtricem ſapiéntiam. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo. * Da. *Sap.* 9. 1. 4. *Jac.* 1. 5.

Lectio ij. Cap. 3. v. 5. ad 8.

APpáruit Dóminus Salomóni per ſómnium nocte, dicens: Póſtula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecíſti cum ſervo tuo David patre meo miſericórdiam magnam, ſicut ambulávit in conſpéctu tuo, in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum: cuſtodíſti ei miſericórdiam tuam grandem, & dedíſti ei fílium ſedéntem ſuper thronum ejus, ſicut eſt hódiè. Et nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecíſti ſervum tuum pro David patre meo; ego autem ſum puer parvulus & ignórans egréſſum & intróitum meum.

℞. Sapiéntia attíngit à fine ad finem fórtiter, & diſpónit ómnia ſuáviter. * Hanc amávi, & exquisívi à juventúte mea. ℣. Quæ deſúrsùm eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, plena miſericórdiâ, & frúctibus bonis. * Hanc amávi. *Sap.* 8. 1. 2. *Jac.* 3. 17.

Lectio iij. v. 9. ad 13.

DAbis ergo, (Dómine Deus,) ſervo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre poſſit, & diſcérnere inter bonum & malum: quis enim póterit judicáre pópulum iſtum, pópulum tuum hunc multum? Plácuit ergo ſermo coràm Dómino, quòd Sálomon poſtulâſſet hujuſcémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni: Quia poſtuláſti verbum hoc, & non petíſti tibi dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum, ſed poſtuláſti tibi ſapiéntiam ad diſcernéndum judícium: ecce feci tibi ſecúndùm ſermónes tuos, & dedi tibi cor ſápiens & intélligens, in tantùm ut nullus antè te ſímilis tuî fúerit, nec poſt te ſurrectúrus ſit.

℞. Tu elegíſti me Regem pópulo tuo, & júdicem filiórum tuórum: mitte ſapiéntiam de cœlis ſanctis tuis, * Ut mecum ſit & mecum labóret, † Ut ſciam quid accéptum ſit apud te. ℣. Innotéſcat

multifórmis ſapiéntia Dei. * Ut mecum. Glória. † Ut ſciam. *Sap.* 9. 7. 10. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Suos in miſericordia atque judicio S. Sigisbertus rexit populos.

Ant. Auris áudiens beatificábat me, eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem, & pupíllum, cui non eſſet adjútor. *Job.* 29. 11. 12.

Ant. Pater eram páuperum; & cauſam quam neſciébam, diligentíſſimè inveſtigábam. *Job.* 29. 16.

Ant. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne; & adéptus eſt glóriam in converſatióne gentis. *Eccli.* 50. 4. 5.

℣. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi:

℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſal.* 111. 9.

Lectio iv.

SIgebértus tertius, vulgò Sigisbértus, ortus è régia Francórum ſtirpe, anno ætátis tértio, Auſtráſiæ à Dagobérto patre Rex coronátus, Pipínum, Cunibértum & Adalgíſum viros pietáte rerúmque perítiâ commendándos, inſtitutóres ac regni adminiſtratóres hábuit: quórum curâ & exémplo edóctus, omnígenis virtútum donis, divínâ ſic operánte gratiâ, brevi cumulátus eſt. Sedáto advérsùs Radúlphum Turíngiæ Ducem bello, rebúſque compóſitis, totum ſe divíno cúltui promovéndo mancipávit: blaſphémiis & ſuperſtitiónibus pénitùs extirpándis incúbuit; diſciplínam quoque eccleſiáſticam, epíſtolis & edíctis, obſervándam curávit.

℟. Díſſipat ímpios Rex ſápiens: miſericórdia & véritas cuſtódiunt Regem; * Et roborátur cleméntiâ thronus ejus. ℣. Qui cuſtodíerit uſque in finem ópera mea, dabo illi poteſtátem ſuper gentes, & reget eas. * Et roborátur. *Prov.* 20. 26. 28. *Apoc.* 2. 26. 27.

Lectio v.

POpulórum judex & pater, non tantùm

intégerrimis & perſpicácis ingénii viris adminiſtrándæ juſtítiæ curam demandávit; verùm étiam ómnium lites & júrgia, ac máximè paúperum & oppreſſórum, ipſemet compónere non erúbuit. Cùm damnatiónes, quæ ſub regno patris fato functi fúerant prolátæ, relégeret, Brunúlphi líberis erépta bona reſtitúere mínimè dubitávit. Theſaúros pátrios à Clodovæo fratre recéptos in aléndis paupéribus, templis ædificándis, condéndis ampliandíſque monaſtériis adhíbuit. In brevi conſummátus, ad Deum raptus eſt, Caléndis Februarii, anno ætátis vigéſimo octávo, Chriſti verò ſexcentéſimo ſexagéſimo tértio. Corpus ejus in Eccléſia ſancti Martíni, quam ipſe propè Metas condíderat, ſepúltum multis coruſcávit miráculis.

℟. Propóſuit pópulo præcépta atque judícia; & poſt hæc mórtuus eſt ſervus Dómini. * Sepeliérúntque eum in fínibus poſſeſſiónis ſuæ. ℣. Fide móriens, de óſſibus ſuis mandávit. * Sepeliérúntque. *Joſ.* 24. 25. 29. 30. *Hebr.* 11. 12.

Lectio vj.

POſtquàm insígnis Basílica Primatiális fuit erécta, ac ómnibus Abbátiæ ſancti Martíni bonis dotáta, in eam ſacrum corpus tranſlátum eſt; & tot ab hinc annis manſit incorrúptum. Ità crevit in dies pro recéptis benefíciis cultus, ut Nanceiáni Sigisbértum, cui majóres illórum véluti óptimo Regi parúerant; in Urbis ſuæ Patrónum adoptáverint. Hinc in calamitátibus, in æſtu ferventióri, crebrioribúſve ímbribus, públicæ preces, efflagitánte Magiſtrátu, & inſtántibus Incolis, fundúntur; ad quas, Clerus, Urbis Præféctus & Ædíles, Cives, & álii quàm plúrimi fidéles convéniunt. Primatiáli Eccléſiâ, regnánte Ludovíco décimo ſexto, à Pio ſexto Pontífice máximo in Cathedrálem eréctâ, Ludovícus-Apollináris, primus Nanceiénſis Epiſ-

copus, & Lotharingiæ Primas, veneratiónis & reveréntiæ ergà ſanctum Sigisbértum, públicum expótans erigere monuméntum, quotánnis in ſua Diœceſi ejúſdem Sancti Feſtivitátem ſolemnióri cultu injúnxit.

℟. Oratióne orávit ut non plúeret ſuper terram, & non pluit; & rursùm orávit; & cœlum dedit plúviam, & * Terra dedit fructum ſuum. ℣. Verbo Dómini contínuit cœlum; & ſic amplificátus eſt in mirabílibus ſuis. * Terra. Gloria. * Terra. *Jac.* 5. 17. 18. *Eccli.* 48. 3. 4.

IN III. NOCTURNO.

Maxima Dei providentia in ſervandis S. Sigisberti Reliquiis.

Ant. Quis eſt títulus ille? Sepúlchrum eſt hóminis Dei, & intácta manſérunt oſſa illíus. 4. *Reg.* 23. 17. 18.

Ant. Potentiâ nemo vicit illum, & mórtuum prophetávit corpus ejus. *Eccli.* 48. 13. 14.

Ant. Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum, unum ex his non conterétur. *Pſal.* 33. 21.

℣. Caro mea requiéſcet in ſpe.

℟. Nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Pſal.* 15. 9. 10.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19. 12.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis, parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere ſibi regnum & revérti. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

De obitu Theodoſii Imperat. n. 12. 13. 16.

SI magnum eſt miſericórdem aut fidélem quemcúmque hóminem inveníre; quantò magis Imperatórem, quem poteſtas ad ulciſcéndum impéllit, ſed révocat tamen ab ultióne miſerátio? Quid præſtántius fide Imperatóris, quem non extóllat poténtia, ſupérbia non érigat, ſed píetas inclínet? Quantùm eſt depónere terrórem poténtiæ, præferre ſuavitátem grátiæ? Beneficium ſe putábat accepiſſe, cùm

rogáretur ignóſcere. Hoc erat remédium reórum, quóniam cùm háberet ſuprà omnes poteſtátem, quaſi párens expoſtuláre malébat, quàm quaſi judex puníre. Miſéricors homo, dùm áliis ſúbvenit, ſibi cónſulit; & in aliéno remédio vúlnera ſua curat. Agnóſcit enim ſe eſſe hóminem; & vias Chriſti ſéquitur, qui, carne ſuſcépta, máluit in hunc mundum redémptor veníre, quàm judex.

℟. Numquid narrábit áliquis in ſepúlchro miſericórdiam tuam, Dómine? * Numquid cognoſcéntur in ténebris mirabília tua; & juſtítia tua in terra obliviónis? ℣. Nunc, Dómine, réſpice in eo quod manum tuam exténdas ad ſanitátes, & ſigna, & prodígia fieri. * Numquid. *Pſal.* 87. 12. 13. *Act.* 4. 29. 30.

Lectio viij.

n. 32. 39. 54. 56.

ABſolútus ígitur dúbio certámine, frúitur nunc luce perpétuâ, tranquillitáte diutúrnâ; & pro iis quæ in hoc geſſit témpore, remuneratiónis divínæ frúctibus gratulátur. Ergo quia diléxit Dóminum Deum ſuum, méruit Sanctórum consórtia: manet in lúmine, & Sanctórum cœtibus gloriátur. Sed jam veniámus ad augúſti córporis tranſmiſſiónem. Beáta planè (*Civitas*,) quæ paradíſi íncolam ſúſcipis; & habitatórem ſupérnæ illíus civitátis augúſto ſepúlti córporis tenébis hoſpítio.

℟. Teſtimónium conſecútus eſt eſſe juſtus, teſtimónium perhibénte munéribus ejus Deo; * Et defúnctus adhuc lóquitur. ℣. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabília operátus eſt. * Et defúnctus. *Hebr.* 11. 4. *Eccli.* 48. 15.

Lectio ix.

De Homilia in Evangelium Dominicæ.

℟. De manu mortis liberábo eos; de morte rédimam eos: * Ero mors tua, ô mors! morſus tuus, inférne! ℣. Cùm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet ſermo qui ſcrip-

tus eſt: Abſórpta eſt mors in victória. * Ero. Glória. * Ero. *Oſée.* 13. 14. 1. *Cor.* 15. 54. Te Deum.

AD LAUDES.

In operibus & mirabilibus ſuis laudatur S. Sigisbertus.

℣. *Sacerd.* Véritas mea & miſericórdia mea cum ipſo:

℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Pſalmi de Dominica.

Ant. *t.* 7. *D.* Gentes ad te current propter Dóminum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificávit te. *Iſ.* 55. 5.

Ant. *t.* 6. *F.* Implétus es quaſi flumen ſapiéntia: ad Inſulas longè divulgátum eſt nomen tuum, & diléctus es in pace tua. *Eccli.* 47. 16. 17.

Ant. *t.* 5. *F.* Fecit judícium & juſtítiam: judicávit causam paúperis & egéni in bonum. *Jerem.* 22. 15. 16.

Ant. *t.* 3. *E.* Natus eſt. *Canticum. Sap. Cap.* 6. *v.* 2. *ad* 5. *&* 10. *ad* 13.

Audíte, Reges & intellígite: * diſcite, júdices fínium terræ.

Præbéte aures vos, qui continétis multitúdines, * & placétis vobis in turbis natiónum.

Quóniam data eſt à Dómino potéſtas vobis, & virtus ab Altíſſimo, * qui interrogábit ópera veſtra, & cogitatiónes ſcrutábitur.

Ad vos ergo, Reges, ſunt hi ſermónes mei, * ut diſcátis ſapiéntiam & non excidátis.

Qui enim cuſtodíerint juſta juſtè, juſtificabúntur: * & qui didícerint iſta, invénient quid reſpóndeant.

Concupíſcite ergo ſermónes meos, dilígite illos, * & habébitis diſciplínam.

Glória Patri, &c.

Et dicitur per Oct. quandò fit de ea.

Ant. Natus eſt Princeps fratrum, firmaméntum gentis, ſtabiliméntum pópuli. *Eccli.* 49. 17.

Ant. *t.* 2. *d.* Salus in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus. *Hebr.* 2. 3. 4.

Capitulum. 1. Eſdræ. 7. 27.

BEnedíctus Dóminus Deus patrum noſtrórum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificáret domum Dómini.

℣. Dómine in virtúte tua lætábitur Rex:

℞. Et ſuper ſalutáre tuum exultábit veheménter. *Pſal.* 20. 1.

Ad Benedict. *Ant. t.* 8. *G.* Rex qui ſedet in ſólio judícii, díſſipat omne malum intúitu ſuo. *Prov.* 20. 8.

Oratio.

DEus, qui beátum Sigisbértum, de terréno regno ad cœléſtis regni glóriam tranſtulíſti: ejus, quæſumus, méritis & interceſſióne, Regis regum Jeſu Chriſti Fílii tui fácias nos eſſe conſórtes; Per eúmdem, &c.

Commem. Dominicæ.

Ad Horas breves, Hymni & Pſalmi de Dominica. Ant. de Laud. (*4. omiſſâ.*) *Doxologia propria.*

AD PRIMAM.

Ad ℞. *br.* ℣. Qui das ſalútem régibus. *Pſ.* 143. 10.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *Anno 1549. Can. 43.*

RElíquias Sanctórum velut divínæ grátiæ olim receptácula, & veríſſima Chriſti membra, & pura Spíritûs Sancti domicília, monémus in Eccléſiis, vel ob id proponéndas, & religióſâ pietáte venerándas; ut per eas fidéles commóniti, diſcant virtútem & fidem Sanctórum imitári.

AD TERTIAM.

Capitulum. Sap. 7. 7. 8.

INvocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & ſédibus, & divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus.

℞. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. * Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & † Laudem ejus enuntiábit Eccléſia. ℣. Quis, putas, eſt fidélis diſpenſátor, & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuprà famíliam

ſuam ? * Sapiéntiam. Gloria. † Laudem. *Eccli.* 39. 13. 14. *Luc.* 12. 42.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus;

℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. (All.) *Pſal.* 36. 31.

Per Octavam. ℟. *br.* Lucérna pédibus meis * Verbum tuum. (* Allel. allelúia.) Lucérna. ℣. Et lumen ſémitis meis. (* Allelúia.) Glória. Lucérna. *Pſal.* 118. 105.

Poſt Septuageſimam omitt. Allelúia. *ſed reſumitur à primo aſteriſco; & ſic in ſeq.*

℟. A judíciis tuis non declinávi;

℟. Quia tu legem poſuíſti mihi (Allelúia.) *Pſal.* 118. 102.

AD SEXTAM.

Capitulum. Prov. 29. 14.

REx qui júdicat in veritáte paúperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. *br.* Judicábit paúperes pópuli; * Salvos fáciet fílios paúperum. (* Allelúia, allelúia.) Judicábit. ℣. Et humiliábit calumniatórem. (* Allelúia.) Glória. Judicábit. *Pſal.* 71. 4.

℣. Nunc, Reges, intellígite;

℟. Erudímini, qui judicátis terram. (Allelúia.) *Pſal.* 2. 10.

AD NONAM.

Capitulum. 4. *Reg.* 19. 32. 34.

HÆc dicit Dóminus: prótegam urbem hanc, & ſalvábo eam propter me, & propter ſervum meum.

℟. *br.* Protéctor noſter * Aſpíce, Deus. (* Allelúia, allelúia.) Protéctor. ℣. Reſpíce in fáciem Chriſti tui (* Allelúia.) Glória. Protéctor. *Pſal.* 83. 10.

℣. Dóminus virtútum nobíſcum;

℟. Suſcéptor noſter Deus Jacob. (Allelúia.) *Pſal.* 45. 8.

AD II. VESPERAS.

In æternum remuneratur ſanctus Sigisbertus, ob ſuas inſignes virtutes.

Pſalmi de Dominica; & locò ultimi, dic. Pſal. 100. Miſericórdiam & judícium, *page* 143. in-4.° 125.

Ant. DEdit illi
t. 8. G. Dóminus glóriam regni, qualem nullus hábuit antè eum Rex. 1. *Par.* 29. 25.

Ant. t. 7. A. Dóminus exaltávit in ætérnum cornu ejus: & dedit illi teſtaméntum regni, & ſedem glóriæ. *Eccli.* 47. 13.

Ant. t. 6. F. Plácita erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. *Sap.* 4. 14.

Ant. t. 5. F. Vitâ decéſſit, univérſæ genti memóriam mortis ſuæ ad exémplum virtútis derelínquens. 2. *Machab.* 6. 31.

Ant. t. 1. D. Conſummátus in brevi, explévit témpora multa. *Sap.* 4. 13.

Capitulum. Eccli. 11. 13.

OCulus Dei reſpéxit illum in bono, & eréxit eum, & exaltávit caput ejus: & miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum.

HYMNUS.

TErra, quid fletu ſúperos fatígas?
Nempè qui dignus ceciſſe nunquam,
Occidit primo Sigebértus ævi
Flore perémptus.

Príncipis ſanctos númerans triúmphos
Mors ſenem credit; méritis & annos
Métiens, plenis grávidum diébus,
Mittit ad aſtra.

Cœlites plaudunt: Deus alme, juſtum
Sic amas: huic pes titubaret, olli
Advolat mors, propitio ruínam
Occupat ictu.

Naúfraga regum pietas ab aula
Enatat raro; ſcópulos, procéllas
Tu maris rides, Sigéberte, fido
Líttore tutus.

Nos, tui, ſævis agitámur undis,
Mérgimur fluctu ſuperánte; felix
Hùc ades, noſtram, Pater, & carínam
Anchora firmes.

Summe Rex regum, ſólio tonánti
Qui ſedes, pennis Chérubim triúmphans

Unus & Trinus, tibi laus decúſque
Omne per ævum.
Amen.

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum.

℟. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſal.* 19. 7. 8.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *d.* Réſpice ad oratiónem ſervi tui, Dómine Deus, quam orat coram te hódiè : ut exaúdias deprecatiónem pópuli tui. 3. *Reg.* 8. 28. 30.

Oratio ut in Laudibus.

COMPLETORIUM

ut heri.

De Octava fit in Eccl. Cath.-Primat. non verò per Diœceſim.

Diebus intra Octa.

Invit. ut in die : Pſal. de Feria : tres Ant. ℣. *&* ℟. ℟. ℟. *ex uno Noct. diei juxtà Rubricam. Lectio* 1. *de Scrip. occur.* (*tribus in unam junctis.*) 2. *de Octava, ut intrà Octavam Patroni*, pag. lxîj. *& ſequent.* 3. *de Simplici occurrente.*

Ad Laud. 1. *Ant. de Laudibus diei ſuper Pſal. de Feria. Idem de Veſp. cætera ut in die.*

Intrà Octavam fit Officium de Semidupl. occur. & ſuprà. Die Octavâ fit Officium Dominicæ cum Commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.

Si intrà Octavam adveniat Feria IV. Cinerum, ab hac die & deinceps non fit ampliùs de Octava.

COMMUNE SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

In hoc Communi, & in cæteris ad totum Officium ſemper dicuntur Pſalmi de Feria, niſi aliter notetur in Proprio.

AD I. VESPERAS.

Prophetiæ vel figuræ de Apoſtolis prænuntiantes.

Ant. 1. 1. *d.* QUi ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi colúmbæ ad feneſtras? *Iſ.* 60. 8.

Ant. 1. 5. *A.* Iſti ſunt, quos miſit Dóminus, ut perambulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. t. 6. *f.* Locútus es, Dómine, cum eis, & dedíſti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Eſd.* 9. 13.

Ant. t. 3. *a.* Ecce venérunt: ponent Dómino glóriam, & laudem ejus in Inſulis nuntiábunt. *Iſ.* 42. 9. 12.

Ant. t. 8. *g.* Ædificábunt deſérta à ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes diſſipátas. *Iſ.* 61. 4.

Capitulum. Iſ. 66. 12. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus … Mittam ex eis qui ſalváti fúerint, ad gentes, .. ad Inſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros donum Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit Deus cum illis, & * Judícia ſua oſténdit illis. Et † Magnalia honóris ejus vidit óculus illórum: & mandávit illis unicuíque de próximo ſuo. ℣. Póſuit Deus in Eccleſia primùm Apóſtolos; * * Judícia. Glória. † Magnália. *Eccli.* 17. 10. 11. 12. 1. *Cor.* 12. 28.

HYMNUS.

QUos Chriſtus ténebras
pellere méntibus,
(Ceu biſſéna novi lúmina fœderis)
Doctóres fídei mittit Apóſtolos,
Feſto cármine pángimus.

Ut nubes plúviis dentæ ſalúbribus,
Veri fœta cohors tránſvolat æquora:
Chriſtum voce tonat; fálſaque córruunt,
Verbi fúlmine, númina.

Velóces óperi, quo páritur ſalus,
Plures per lácrymas, dum ſtérili ſacrum
Fundunt ſemen agro, ſpem ſimul aúreæ
Meſſis córdibus ínſerunt.

Nec torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati, móllia ſpérnere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm bene dédocent!

His Chriſti réferunt dógmata móribus,
Naſcentíſque gregis partúriunt fidem,
Quam, ne degéneri péctore décidat,
Fuſo ſánguine nútriunt.

Heu! noſtris ſua vox aúribus ínſonans
Hortátur; nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per eos ſata,
Da, Numen, frúticet fides.

Sit laus ſumma Patri, ſummaque Fílio:
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donánte, ferunt lumen Apóſtoli
Fines orbis ad últimos.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur;

℟. Et mirabília tua narrábunt. *Pſ.* 144. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 1. *D.* Exúrge, Jeruſalem, & vide collectos fílios tuos ab Oriéte ſole uſque ad Occidéntem in verbo ſancti gaudéntes Dei memóriâ. *Baruch.* 5. 5.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Chriſtum Apoſtolórum Magíſtrum & Dóminum * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13. *Pſalmus* 94. Veníte. *Pag* 2.

IN I. NOCTURNO.

Apoſtolorum vocatio, & electio.

Ant. t. 2. *D.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis. *Iſ.* 61. 6.

Ant. t. 2. *d.* Vocabúntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum *Iſ.* 61. 3.

Ant. t. 8. *C.* Aſcéndent ſalvatóres in montem Sion: & erit Dómino regnum. *Abdiæ.* 1. 21.

℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii:

℟. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram. *Pſ.* 44. 17.

Pater noſter, &c.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Laudémus viros glorióſos, & paréntes noſtros in generatióne ſua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à ſæculo, * Hómines magni virtúte, & prudéntiâ ſuâ prædíti, & imperántes pópulis ſanctíſſima verba. ℣. Vocávit Jeſus ad ſe quos vóluit; & venérunt ad eum: & fecit ut eſſent duódecim cum illo, * Hómines magni ... *Eccli.* 44. 1. 2. 3. 4. *Marc.* 3. 13. 14.

℟. 2. Póſuit Dóminus óculum ſuum ſuper corda illórum, oſténdere illis magnália óperum ſuórum, * Ut nomen ſanctificatiónis collaúdent, & magnália enárrent óperum ejus. ℣. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. * Ut nomen ... *Eccli.* 17. 7. 8. *Luc.* 6. 13.

℟. 3. Qui dat laſſo virtútem: * His fortitúdinem & robur multíplicat: † Aſſúment pennas ſicut áquilæ; current, & non laborábunt; ambulabunt, & non defícient. ℣. Ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret. . . * His fortitúdinem ... ℣. Glória . . . † Aſſúment. *Iſ.* 40. 29. 31. 1. *Cor.* 1. 28.

IN II. NOCTURNO.

Apoſtolorum miſſio; & ipſis data poteſtas:

Ant. t. 4. *A.* Seminábo eos in pópulis; & confortábo eos in Dómino; & in nómine ejus ambulábunt. *Zach.* 10. 9. 12.

Ant. t. 2. *D.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fáci-

COMMUNE SANCTORUM.

PARS HYEMALIS.

COMMUNE APOSTOLORUM.

In hoc Communi, & in cæteris ad totum Officium ſemper dicuntur Pſalmi de Feria, niſi aliter notetur in Proprio.

AD I. VESPERAS.

Prophetiæ vel figuræ de Apoſtolis prænuntiantes.

Ant. 1. 1. *d.* QUi ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi colúmbæ ad feneſtras? *Iſ.* 60. 8.

Ant. 1. 5. *A.* Iſti ſunt, quos miſit Dóminus, ut perambulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. 1. 6. *f.* Locútus es, Dómine, cum eis, & dediſti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Eſd.* 9. 13.

Ant. 1. 3. *a.* Ecce venérunt: ponent Dómino glóriam, & laudem ejus in Inſulis nuntiábunt. *Iſ.* 42. 9. 12.

Ant. 1. 8. *g.* Ædificábunt deſérta à ſæculo, & ruínas antíquas érigent, & inſtaurábunt civitátes diſſipátas. *Iſ.* 61. 4.

Capitulum. *Iſ.* 66. 12. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus ... Mittam ex eis qui ſalváti fúerint, ad gentes, .. ad Inſulas longè, ad eos qui non audiérunt de me. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres veſtros donum Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. Teſtaméntum ætérnum conſtítuit Deus cum illis, & * Judícia ſua oſténdit illis. Et † Magnália honóris ejus vidit óculus illórum: & mandávit illis unicuíque de próximo ſuo. ℣. Póſuit Deus in Eccleſia primùm Apóſtolos; * * Judícia. Glória. † Magnália. *Eccli.* 17. 10. 11. 12. 1. *Cor.* 12. 28.

HYMNUS.

QUos Chriſtus ténebras péllere méntibus,
(Ceu biſſéna novi lúmina fœderis)
Doctóres fídei mittit Apóſtolos,
Feſto cármine pángimus.

Ut nubes plúviis denſa ſalúbribus,
Veri fœta cohors tránſvolat æquora:
Chriſtum voce tonat; falſaque córruunt,
Verbi fúlmine, númina.

Velóces operi, quo páritur ſalus,
Plures per lácrymas, dum ſtérili ſacrum
Fundunt ſemen agro, ſpem ſimul aúreæ
Meſſis córdibus ínſerunt.

Nec torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati, móllia ſpérnere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm bene dédocent!

His Chriſti réferunt dógmata móribus,
Naſcentíſque gregis partúriunt fidem,
Quam, ne degéneri péctore décidat,
Fuſo ſánguine nútriunt.

Heu! noſtris ſua vox áuribus ínſonans
Hortátur; nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per eos ſata,
Da, Numen, frúticet fides.

Sit laus ſumma Patri, ſummaque Fílio:
Par ſit, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donánte, ferunt lumen Apóſtoli
Fines orbis ad últimos.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur;

℟. Et mirabília tua narrábunt. *Pſ.* 144. 5.

Ad Magníficat. *Ant. t.* 1. *D.* Exúrge, Jerúſalem, & vide colléctos fílios tuos ab Oriẽte ſole uſque ad Occidéntem in verbo ſancti gaudéntes Dei mẽmóriâ. *Baruch.* 5. 5.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Chriſtum Apoſtolórum Magíſtrum & Dóminum * Veníte, adorémus. *Joan.* 13. 13. *Pſalmus* 94. Veníte. *Pag* 2.

IN I. NOCTURNO.

Apoſtolorum vocatio, & electio.

Ant. t. 2. *D.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Miníſtri Dei noſtri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis. *Iſ.* 61. 6.

Ant. t. 2. *d.* Vocabúntur fortes juſtítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum *Iſ.* 61. 3.

Ant. t. 8. *C.* Aſcéndent ſalvatóres in montem Sion: & erit Dómino regnum. *Abdiæ.* 1. 21.

℣. Pro pátribus tuis nati ſunt tibi fílii:

℟. Conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram. *Pſ.* 44. 17.

Pater noſter, &c.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Laudémus viros glorióſos, & paréntes noſtros in generatióne ſua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ ſuâ à ſæculo, * Hómines magni virtúte, & prudéntiâ ſuâ præditi, & imperántes pópulis ſanctíſſima verba. ℣. Vocávit Jeſus ad ſe quos vóluit; & venérunt ad eum: & fecit ut eſſent duódecim cum illo, * Hómines magni ... *Eccli.* 44. 1. 2. 3. 4. *Marc.* 3. 13. 14.

℟. 2. Póſuit Dóminus óculum ſuum ſuper corda illórum, oſtèndere illis magnália óperum ſuórum, * Ut nomen ſanctificatiónis collaudent, & magnália enárrent óperum ejus. ℣. Elégit duódecim ex ipſis, quos & Apóſtolos nominávit. * Ut nomen ... *Eccli.* 17. 7. 8. *Luc.* 6. 13.

℟. 3. Qui dat laſſo virtútem: * His fortitúdinem & robur multíplicat: † Aſſúment pennas ſicut áquilæ; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non defícient. ℣. Ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrúeret. . . * His fortitúdinem . . . Glória . . . † Aſsúment. *Iſ.* 40. 29. 31. 1. *Cor.* 1. 28.

IN II. NOCTURNO.

Apoſtolorum miſſio; & ipſis data poteſtas:

Ant. t. 4. *A.* Seminábo eos in pópulis; & confortábo eos in Dómino; & in nómine ejus ambulábunt. *Zach.* 10. 9. 12.

Ant. t. 2. *D.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fáci-

te: leváte ſignum, prædicáte, & nolíte celáre. *Jerem.* 50. 2.

Ant. *t.* 1. *d.* In doctrínis glorificáte Dóminum; in Inſulis maris nomen Dómini Dei Iſrael. *Iſa.* 24. 15.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Pſ.* 95. 3.

Pater noſter, &c.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Vox ſpeculatórum tuórum, Sion: levavérunt vocem; óculo ad óculum vidébunt. * Conſolátus eſt Dóminus pópulum ſuum: parávit bráchium ſanctum ſuũ in óculis ómnium géntium. ℣. Duódecim Apóſtolos miſit Jeſus; præcípiens eis, dicens: Eúntes prædicáte: quia appropinquávit regnum cœlórum. * Conſolátus. *Iſ.* 52. 8. 9. 10. *Matth.* 10. 5. 7.

℟. 5. Aperíte portas, & ingrediátur gens juſta, cuſtódiens veritátem. * Vetus error ábiit: Servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te ſperávimus. ℣. Egreſſi circuíbant per caſtélla, evangelizántes & curántes ubíque. * Vetus error. . . . *Iſ.* 26. 2. 3. *Luc.* 9. 6.

℟. 6. Ite, ángeli velóces, ad gentem convulſam; * Ad pópulum terríbilem, poſt quem non eſt álius. † Omnes habitatóres orbis, cùm elevátum fúerit ſignum in móntibus, vidébitis. ℣. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum. * Ad pópulum. Glória. † Omnes. *Iſ.* 18. 2. 3. *Matth.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Apoſtolorum prædicatio: & fructus.

Ant. *t.* 7. *D.* Elécti mei non laborábunt fruſtrà, quia ſemen benedictórum Dómini eſt. *Iſa.* 65. 23.

Ant. *t.* 5. *F.* Sanctificábunt ſanctum Jacob, & Deũ Iſrael prædicabunt. *Iſ.* 29. 23.

Ant. *t.* 3. *a.* Pópulus, quem ignóto, ſérviet mihi: filii alieni audítu auris obédient mihi. 2. *Reg.* 22. 44. 45.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Pſ.* 67. 12.

Pater noſter, &c.

Evang. & Homil. ut in Proprio.

℟. 7. Nova bella elégit Dóminus: qui própriâ voluntáte obtuliſtis vos diſcrímini, benedícite Dómino: qui ſedétis in judício, loquímini. * Salvátæ ſunt relíquiæ pópuli, Dóminus in fortibus dimicávit. ℣. Magnificábat eos pópulus, augebátur credéntium in Dómino multitúdo. * Salvátæ ſunt. *Judic.* 5. 8. 9. 10. 13. *Act.* 5. 13. 14.

℟. 8. Spíritum tuum bonum dediſti, Dómine, qui docéret eos. * Et dediſti eis regna, & pópulos, & partítus es eis ſortes: & multiplicaſti fílios eórum ſicut ſtellas cœli. ℣. Salutem

de qua exquiſiérunt Prophétæ, evangelizavérunt, Spíritu ſancto miſſo de cœlo. * Et dedíſti . . 2. *Eſa.* 9. 20. 22. 23. 1. *Petri.* 1. 10. 12.

℟. 9. Magnificávit Dóminus fácere cum eis. * Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina ſua. † Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos ſuos. ℣. Illi pertransibant narrántes converſiónem géntium, & faciébant gaúdium magnum. * Eúntes . . . Glória. † Veniéntes. *Pſ.* 125. 2. 6. *Act.* 15. 3.

Te Deum *dicetur.*

AD LAUDES.

Apoſtolorum virtutes: & per eos facta judicia.

℣. *Sacerdotalis.* Póſuit in eis Dóminus verba ſignórum ſuórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Pſ.* 104. 27.

Ant. t. 1. *A.* ISti hómines ſervi Dei excélſi ſunt, qui annúntiant vobis viam ſalútis *Act.* 16. 17.

Ant. t. 5. *A.* Dedit illis Jeſus virtútem & poteſtátem ſuper ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. *Luc.* 9. 1.

Ant. t. 2. *D.* Prædicavérunt ubíque, Domino cooperánte, & ſermónem confirmánte, ſequéntibus ſignis. *Marc.* 16. 20.

Ant. t. 6. *f.* Erat manus Dómini cum eis; multúſque númerus credéntium convérſus eſt ad Dóminum. *Act.* 11. 21.

Ant. t. 7. *C.* Loquebántur verbum Dei cum fidúcia: & grátia magna erat in ómnibus. *Act.* 4. 31. 33.

Capitulum. Heb. 2. 3. 4.

CUm inítium accepíſſet ſalus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta eſt, conteſtánte Deo ſignis & porténtis, & váriis virtútibus.

℣. Glóriam regni tui dicent; ℟. Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam. *Pſ.* 144. 11. 12.

Ad Bened. *Ant.* t. 1. *D.* In fundaméntis civitátis ſanctæ Jerúſalem nómina duódecim Apoſtolórum Agni. *Apoc.* 21. 14. *Oratio ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ, quod ſemper obſervatur.

Ant. Iſti hómines.

Capitulum. Regi ſæculórũ, &c. *Canon, ut in Proprio de Tempore, reliqua ut in Pſalterio.*

AD TERTIAM.

Ant. Dedit illis.

Capitulum. Act. 5. 12.

PEr manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe.

In Duplicibus. ℟. Ecce dedi vobis poteſtátem ſuper omnem virtútem inimíci. * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte autem, quòd nómina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen . . . Glória † Gau-

déte . . . *Luc.* 10. 19. 20. *Soph.* 3. 20.

℣. Nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus eſt principátus eórum. *Pſ.* 138. 17.

In Semiduplicibus, & per Oct. ℟. *br.* Príncipes populórum congregáti ſunt * Cum Deo Abraham: (*rep.*) Príncipes: ℣. Quóniam dii fortes terræ, veheménter eleváti ſunt (*rep.*) Cum Deo. Glória. (*reſum.*) Príncipes. *Pſ.* 46. 10.

℣. Nimis honorificáti ſunt &c. *ut ſuprà.*

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Ant. Prædicavérunt

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 19. 20.

POſuit Deus in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Chriſto ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit ſonus eórum. (*rep.*) In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. (*rep.*) Exívit. Glória.. (*rep.*) In omnem. *Pſ.* 18. 5.

℣. Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Pſ.* 18. 4.

AD NONAM.

Ant. Loquebántur.

Capitulum. Eph. 2. 19. 20.

FRatres, Jam non eſtis, hóſpites & ádvenæ: ſed eſtis cives ſanctórum & doméſtici Dei, ſuperædificáti ſuper fundaméntum Apoſtolórum, & Prophetárum, ipſo ſummo anguLári lápide Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Annuntiavérunt * Opera Dei. (*rep.*) Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. (*rep.*) Opera. Glória. (*reſum.*) Annuntiavérunt. *Pſ.* 63. 10.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Narrábimus mirabília tua. *Pſ.* 74. 2.

AD II. VESPERAS.

Apoſtolorum labores, & ipſorum poſt paſſionem gloria.

Ant. 1. VIrtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti. *Act.* 4. 33.

Ant. 1. 5. *F.* Ibant gaudéntes, quóniam digni hábiti ſunt pro nómine Jeſu contuméliam pati. *Act.* 5. 41.

Ant. 1. 1. *d.* Tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. *Act.* 15. 26.

Ant. 1. 8. *G.* Apóſtoli Eccleſiárum, Glória Chriſti. 2. *Cor.* 8. 23.

Ant. 1. 6. *f.* Exúlta ſuper Babylónem, cœlum, & ſancti Apóſtoli; quóniam judicávit Deus judícium veſtrum de illâ. *Apoc.* 18. 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 9.

DEus nos Apóſtolos noviſſimos oſténdit, tamquam morti deſtinátos: quia ſpectáculũ facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus.

HYMNUS. *Ex Sanct. Vict.*

QUem miſit in terras Deus,
Ut morte nos ſervet ſuâ,
Amóris hic fidos ſui
Vos éligit Vicários.
Occíſus Agnus à lupis,
Vos miſit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repénte de lupis.
Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Veſtris eam ſudóribus,
Veſtro piáſtis ſánguine.
Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta ſurréxit ſeges!
Et iſta nos ſeges ſumus.
Quam ſi bonus reſpéxeris,
Qui das rigátis créſcere;
Fruménta nos cœléſtibus
Matúra condes hórreis.
Uni ſit & Trino Deo
Supréma laus, ſummũ decus,
De nocte qui nos ad ſuæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Pſ.* 125. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Sedébitis & vos ſuper ſedes duódecim, judicántes duódecim tribus Iſrael. *Matth.* 19. 28.

Oratio ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Certanti pro juſtitia adfuturum ſe promittit Deus.

Ant. t. 1. *d.* JUſtus quaſi leo confídens, abſque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. t. 3. *E.* In tentatióne Deus illum conſervábit, non illidétur quaſi in procélla navis. *Eccli.* 33. 1. 2.

Ant. t. 2. *d.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & ſciens ſperántes in ſe. *Nahum.* 1. 7.

Ant. t. 7. *D.* Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Ant. t. 5. *A.* Uſque in tempus ſuſtinébit patiens, & poſtea rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Joſue. 1. 9.

ECce præcipio tibi, confortare, & eſto robúſtus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum eſt Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus. ℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino, * Erit Dóminus fidúcia ejus. † Non timébit cùm vénerit æſtus. ℣. Si propter Dei conſciéntiam ſúſtinet triſtítias, pátiens injúſtè. * Erit Dóminus. Glória. † Non timébit. *Jerem.* 17. 7. 8. I. *Petri* 2. 19.

HYMNUS.

MArtyr ſancte, tibi débita nos decet
Virtútis mémores prómere cántica:
Quem nec blandítiis, nec pótuit minis

Fallax víncere ſæculum.
Mundi ſpernis opes, flúxaque gaúdia;
Diras nec métuis carníficum manus:
Enſes, flagra, rotas, ómnia pérpeti,
Victrix te dócuit fides.
Ut Chriſto móriens, quà póteris tuâ
Reddas morte vices, víctima víctimæ,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas,
Divínæ necis æmulus.
I nunc, ſancte pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant præmia mílitem:
Præſens Chriſtus adeſt: hoc duce, non cades,
Ni victâ nece fórtior.
Æternùm cita mors vívere Martyri
Quòd ſpondet, próperas, Martyr, ovans mori,
Palmam dum móriens conſéqueris tibi,
Firmas, noſque mori doces.
Et nos chriſtíadæ, blanda per ótia
Vitæ delícias quærimus ánxii,
Noſtram ſegnítiem dúriùs íncrepat
Fuſo ſánguine víctima.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque ſacro máxima Flámini,
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Juſtus cùm cecíderit, non collidétur: ℟. Quia Dóminus ſuppónit manum ſuã. *Pſ.* 36. 24.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce Deus ſalvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus. *Iſ.* 12. 2.

Oratio ut infrà ad Laudes, niſi ſit Propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Chriſtum qui dat vincénti manna abſcónditum; * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 17. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Firmus Martyris ad pugnam ſe præparantis animus.

Ant. t. 1. *A.* Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13. 5.

Ant. t. 7. *D.* Prompto ánimo pro ſanctíſſimis légibus, honéſtâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6. 28.

Ant. t. 8. *G.* In quocúmque loco fúeris, Dómine, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. *Reg.* 15. 21.

℣. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam; ℟. Quia Deus ſuſcéptor meus es. *Pſ.* 58. 10.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. E cœló membra iſta poſſídeo; ſed * Propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpício, quóniam ab ipſo me

ea receptúrum ſpero. ℣. Ego non ſolùm alligári, ſed & mori parátus ſum, propter nomen Dómini Jeſu. * Propter Dei leges. 2. *Mach.* 7. 11. *Act.* 21. 13.

℟. 2. Angúſtiæ ſunt mihi úndique: ſed * Mélius eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. * Mélius *Dan.* 13. 22. 23. *Act.* 20. 23. 24.

℟. 3. Ille glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad ſupplícium; patiénter ſuſtinens, * Deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Magis éligens afflígi, quàm temporális peccáti habére jucunditátem. * Deſtinávit. Glória. * Deſtinávit. 2. *Mach.* 6. 19. 20. *Heb.* 11. 25.

IN II. NOCTURNO.

Martyris in tormentis & in morte conſtantia.

Ant. t. 8. *C.* Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Torménta ſuſcépit; ita ut miraréntur, quòd tamquam níhilum dúceret cruciátus. 2. *Mach.* 7. 8. 12.

Ant. t. 3. *a.* Mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. 2. *Mach.* 7. 40.

℣. Deo ſubjécta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61. 6.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, maniféſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberári, * Duros córporis ſuſtíneo dolóres: ſecúndùm ánimã verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Pátior, ſed non confúndor. Scio enim cui crédidi. * Duros. 2. *Mach.* 6. 30. 2. *Tim.* 1. 12.

℟. 5. Nequáquam ut mori ſolent ignávi mórtuus eſt; ſed * Sicut ſolent cádere coram fíliis iniquitátis, ſic corruíſti. ℣. Confortátus fide, dans glóriam Deo. * Sicut. 2. *Reg.* 3. 33. 34. *Rom.* 4. 20.

℟. 6. Hanc tentatiónem * Ideò permíſit Dóminus eveníre illi, ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequénter. * Ideò. Glória. * Ideò. *Tob.* 2. 12. 2. *Cor.* 11. 23.

IN III. NOCTURNO.

Per Deum Martyris victoria.

Ant. t. 8. *C.* Honeſtávit illum in laboribus, & complévit labóres illíus. *Sap.* 10. 10.

Ant. t. 3. *A.* In fraude circumveniéntium illum áffuit illi. *Sap.* 10. 11.

Ant. t. 2. *D.* Intrávit in

ánimā ſervi Dei, & ſtetit contra reges horréndos in porténtis & ſignis. *Sap.* 10. 16.

℣. Tu, Dómine, adjuviſti me; ℟. Et conſolátus es me. *Pſ.* 85. 17.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Factus es mihi adjútor, Dómine, & liberaſti me * A rugiéntibus præparátis ad eſcam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi áſtitit, & confortávit me, & liberátus ſum de ore leónis. * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 3. 4. 5. 2. *Tim.* 4. 17.

℟. 8. Poſt tempeſtátem, tranquíllum facis, Dómine; & poſt lacrymatiónem & fletum, exultatiónē infúndis. * Sit nomen tuum, Deus Iſraeſ, benedíctum in ſæcula.

℣. Ipſe autem Dóminus noſter Jeſus Chriſtus dedit conſolatiónem ætérnam, & ſpem bonam in grátia. * Sit nomen. *Tob.* 3. 22. 23. 2. *Theſ.* 2. 15.

℟. 9. Deus à peccatóribus liberávit eum, deſcendítque cum illo in fóveam, & * In vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi poténtiam advérſus eos qui eum deprimébant. ℣. Erat Deus cum eo: & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * In vínculis. Glória. * In vínculis. *Sap.* 10. 13. 14. *Act.* 7. 9. 10.

In Duplicibus & Semiduplicibus dicitur Te Deum; *& ſic in omni alio Communi.*

AD LAUDES.

E cœlo miſſa conſolationes quæ Martyris animam lætificant mediis in tribulationibus.

℣. *Sacerdotalis.* Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, ℟. Et exultábo manè miſericórdiā tuam. *Pſ.* 58. 17.

Ant. t. 1. *D.* Non facio ánimā meā pretioſiórem quàm me, dúmmodo conſúmmem curſum meum. *Act.* 20. 24.

Ant. t. 3. *A.* Pláceo mihi in perſecutiónibus, in anguſtiis pro Chriſto. 2. *Cor.* 12. 10.

Ant. t. 8. *G.* Replétus ſum conſolatióne, ſuperabúndo gaúdio in omni tribulatióne 2. *Cor.* 7. 4.

Ant. t. 6. *f.* Magnificábitur Chriſtus in córpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem. *Phil.* 1. 20.

Ant. t. 8. *C.* Omnia detriméntum feci, ut Chriſtum lucrifáciam. *Philip.* 3. 8.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 4.

Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victória quæ vincit mundum, fides noſtra.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum. *Pſ.* 33. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *F.* Qui perdíderit ánimā ſuam propter me, & Evangélium, ſalvam fáciet eam. *Marc.* 8. 35.

Oratio ſi ſit Pontifex.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui in Sanctórum tuórum virtúte es mirábilis; da nobis Beáti N. feſtivitátem cóngruis honóribus, & sédulâ imitatióne celebráre; qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod miniſtério geſſit, teſtimónio comprobávit, & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo: Per eúmdem Dóminum, &c.

Alia Oratio ſi ſit Pontifex.

FAc, nos, Dómine Deus, imitári ſacerdotálē conſtántiam Beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis; ut fidem ſervántes, quam dócuit, ejúſdem corónæ consórtes efficiámur; Per Dóminum, &c.

Oratio pro Martyre tantùm.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui Beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, interceſſióne ejus & exémplo, in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio pro Martyre tantùm.

DEus qui beátum Martyrem tuum N. virtúte conſtántiæ in paſſióne roboráſti; tribue, quæſumus, nos ex ejus imitatióne pro amóre tuo próſpera mundi deſpícere, & nulla ejus advérſa formidáre; Per Dóminum, &c.

Si facienda ſit commemoratio alterius Martyris ſimpl. fiet per Ant. ad Magnif. *& ℣. ex primis Veſperis: quod ſervatur in omni alio Communi.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 5. 3. 4. 5.

TRibulátio patiéntiam operátur: patiéntia autē probatiónem, probátio verò ſpem, ſpes autem non confúndit.

℟. *In Duplic.* Probávit me Dóminus quaſi aurum, quod per ignem tranſit. Veſtígia ejus ſecútus eſt pes meus, * Viam ejus cuſtodívi, & non declinávi ex ea. ℣. Ad cognoſcéndum Chriſtum, & ſocietátem paſſiónum illíus, configurátus morti ejus. * Viam ejus. Glória. * Viam. *Job.* 23. 10. 11. *Philip.* 3. 10.

℣. In Deo ſperávi, ℟. Non timebo quid fáciat mihi homo. *Pſ.* 55. 11.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Si consíſtant advérsùm me caſtra, * Non timébit cor meum. Si consíſtant. ℣. Si exúrgat advérsùm me prælium. * Non timébit. Glória. Si. *Pſ.* 26. 3.

℣. Dóminus illuminátio mea, & ſalus mea, ℟. Quem timébo? *Pſ.* 26. 1.

Oratio ut in Laudibus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 3. 5.

QUi vícerit, veſtiétur veſtiméntis albis, & confitébor nomen ejus corā Patre meo & coram Angelis ejus.

℟. *br.* Super ſalutáre tuum, Dómine, * Exultábit veheménter. Super. ℣. Deſidériū cordis ejus tribuíſti ei. *

Exultábit. Glória. Super. *Pſ.* 20. 2. 3.

℣. Lætificábis eum in gaúdio, ℟. Cum vultu tuo. *Pſ.* 20. 7.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 8. 18.

FRatres, Exíſtimo quòd non ſunt condígnæ paſſiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis.

℟. *br.* Magna eſt glória ejus * In ſalutári tuo. Magna. ℣. Glóriam & magnum decórẽ impónes ſuper eum.* In ſalutári. Glória. Magna. *Pſ.* 20. 6.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In ſæculum ſæculi. *Pſ.* 20. 7.

AD II. VESPERAS.

Vincit & coronatur Martyr.

Ant. t. 8. *G.* PRopter opus Chriſti uſque ad mortem accéſſit, tradens ánimã ſuam. *Philip.* 2. 30.

Ant. t. 7. *C.* Divítias æſtimans impropérium Chriſti, aſpiciébat in remuneratiónem *Hebr.* 11. 26.

Ant. t. 3. *e.* Expectábat fundaménta habéntem civitátem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10.

Ant. t. 5. *f.* Deus juſtum oppréſſum à nefandórum injúria erípuit. 2. *Petr.* 2. 7.

Ant. t. 6. *F.* Data eſt ei coróna, & exívit vincens ut vínceret. *Apoc.* 6. 2.

Capitulum. Jacob. 1. 12.

BEátus vir, qui ſuffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromíſit Deus diligẽtibus ſe.

HYMNUS. *ex Sant. Vict.*

EX quo, ſalus mortálium,
Fluxit ſacer Dei cruor;
Homo redémptus æmulum
Deo litávit ſánguinem.

Non jam crucis Chriſti pudet:
Quin ſurgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iſte plenus ſpíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus dexterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

Paráta ſpectans præmia,
Secúrus ad pœnam volat:
Sic pugnat, ut ſperet mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupénte laſſat júdice;
Et tortus ipſis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Chriſte, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia;
Da ſuſtinére pro tuo,
Quodcúmque durũ, nómine.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus ſit glória. Amen.

℣. Poſuíſti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretióſo. *Pſ.* 20. 4.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Bonum certámen certávi, curſum conſummávi, fidem ſervávi. In réliquo repóſita eſt mihi coróna juſtítiæ. 2. *Timoth.* 4. 7. 8.

Oratio ut ſuprà ad Laudes, niſi ſit propria.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Tribulatione, electorum ſuorum virtutem probat Dominus.

Ant. t. 1. *D.* PRobat hómines juſtos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. t. 3. *A.* Quaſi holocaúſti hóſtiam accépit illos Deus, & in témpore erit reſpéctus illórum. *Sap.* 3. 6.

Ant. t. 2. *D.* In paucis vexáti, in multis bene diſponéntur, quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos ſe. *Sap.* 3. 5.

Ant. t. 1. *f.* Etſi coram homínibus torménta paſſi ſunt, ſpes illórum immortalitáte plena eſt. *Sap.* 3. 4.

Ant. t. 7. *D.* Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte, ut confléntur, & dealbéntur uſque ad tempus præfinítum. *Dan.* 11. 33. 35.

Capitulum. Iſ. 51. 7. 8.

NOlíte timére oppróbrium hóminum, & blaſphémias eórum ne metuátis: ſicut enim veſtiméntum, ſic cómedet eos vermis: Salus autem mea in ſempitérnum erit.

In Duplic. ℟. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & timémus te; ne confúndas nos: & * Erue nos in mirabílibus tuis; & da gloriã nómini tuo: & confundántur omnes qui oſténdunt ſervis tuis mala. ℣. Datum eſt béſtiæ bellũ fácere cùm ſanctis. * Erue nos. Glória. * Erue nos. *Dan.* 3. 41. 42. 43. 44. *Apoc.* 13. 7.

HYMNUS.

CHriſti quis mémoret prælia mílitum?
Palmis illa nitet turba viréntibus,
Victorúmque gerit præmia nóbiles
Multo sánguine laúreas.
Aptántur mánicæ, vérbera, cómpedes:
Illi ſupplícium delícias putant;
Subdunt ſe gládiis; & ſúperat fides
Armis fórtior ómnibus.
Qui vincéndo cadunt, áſpice mílites,
Non indígna, Deus, númine múnera;
Quot proſtráta jacent córpora Mártyrum,
Hæc ſunt tot tibi víctimæ.
Et vos quæ, púgiles, glória múnerat,
Cùm veſtros cíneres plebs colit óſculis?
Ultor nempe Deus penſat honóribus
Summis opprobriũ necis.
Tortóri nócuit, prófuit & furor
Victis, queis títulos, nomen & áddidit;
Quos delére cupit, cónſecrat ínſcius
Fuſo sánguine Mártyres.

Vincéndi genus hoc Martyribus novum :
Victis eſt ſua laus, eſt ſua glória ;
Victi dum cáditis, fúneris è ſinu
Victâ morte resúrgitis.
Sit laus ſumma Patri, súmmaque Fílio ;
Sit par, ſancte, tibi glória, Spíritus,
Per quem magnánimi prælia súſtinent
Contémptâ nece Mártyres.
Amen.

℣. Cuſtodit Dóminus ánimas Sanctórum ſuorum, ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Pſ.* 96. 10.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Agnóſcent qui derelícti ſunt, quóniam glória magna eſt ſequi Dóminum. *Eccli.* 23. 37. 38.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Dóminum legítimè certántes coronántem, * Veníte, adorémus. 2. *Timoth.* 2. 5.

IN I. NOCTURNO.

A Martyribus rogatur, & à Deo promittitur auxilium in tribulatione.

Ant. t. 5. *E.* Convenérunt advérsùm nos, ut nos diſpérdant. Quómodo potérimus ſubsíſtere, niſi tu, Deus, ádjuves nos ? 1. *Mach.* 3. 52. 53.

Ant. t. 8. *C.* Qui oſténdunt ſervis tuis mala, confundántur in omnipotentia tua ; & ſciant quia tu es Dóminus Deus ſolus. *Dan.* 3. 44. 45.

Ant. t. 1. *A.* Dómine, réſpice ad noſtram humilitátem, & fáciem ſanctórum tuórum atténde, & oſténde quóniam non derelínquis præſuméntes de te. *Judith.* 6. 15.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne ; ℟. Quia vana ſalus hóminis. *Pſ.* 59. 13.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Dóminus Deus veſter in médio veſtri eſt, * Et pro vobis contra adversários dimicábit, ut éruat vos de perículo.

℣. Quóniam eſtis filii, miſit Deus ſpíritum Fílii ſui in corda veſtra. * Et pro vobis. *Deuter.* 20. 4. *Gal.* 4. 6.

℟. 2. Æmulatóres eſtóte legis, & date ánimas veſtras pro teſtaménto patrum veſtrórum. Et * Cogitáte quia omnes qui ſperant in Dóminum, non infirmántur. ℣. Fidélis eſt Deus, qui confirmábit vos, & cuſtódiet à malo. * Cogitáte. 1. *Mach.* 2. 50. 61. 2. *Theſſ.* 3. 3.

℟. 3. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem. * Et † Spíritū vobis íterū cum miſericórdia reddet & vitam, ſicut vosmetípſos deſpícitis propter leges ejus. ℣. Non injúſtus Deus ut obliviſcátur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendíſtis in nomine ipsius. * Et ſpíritum. Gloria. † Spíri-

tum. 2. *Mach.* 7. 23. *Hebr.* 6. 10.

IN II. NOCTURNO.

Pugnæ firmo ſe animo devovent Martyres.

Ant. t. 6. *f.* Propítius ſit nobis Deus: non eſt nobis útile relínquere legem & juſtítias Dei, ut eamus álterâ viâ. 1. *Mach.* 2. 21. 22.

Ant. t. 3. *a.* Paráti ſumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricari. 2. *Mach.* 7. 2.

Ant. t. 7. *a.* Moriámur omnes in ſimplicitáte noſtra: & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra, quòd injúſtè pérditis nos. 1. *Mach.* 2. 37.

℣. Non diſcédimus à te, vivificábis nos; ℟. Et nomen tuũ invocábimus. *Pſ.* 79. 19.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Abſit à nobis ut relinquámus Dóminum, & ſerviámus diis aliénis: * Dómino Deo noſtro ſerviémus, & obediéntes érimus præcéptis ejus. ℣. Quis nos ſeparábit à charitáte Chriſti? Tribulatio? An angúſtia? An fames? An perſecútio? An gládius? neque mors, neque vita póterit nos ſeparáre à charitáte Dei. * Dómino. *Joſue.* 24. 16. 24. *Rom.* 8. 35. 38. 39.

℟. 5. Dóminus Deus aſpíciet veritátem, & conſolábitur in nobis: * Pótius eſt ab homínibus morti datos ſpem expectáre à Deo, íterum ab ipſo reſuſcitándos. ℣. Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam, módicùm paſſos ipſe perfíciet. * Pótius eſt. 2. *Mach.* 7. 6. 14. 1. *Petr.* 5. 10.

℟. 6. Nos ergo non ulciſcámur nos pro his quæ pátimur, ſed * Reputántes hæc ipſa ſupplícia eſſe flagella Dómini, quibus quaſi ſervi corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónem noſtram, eveníſſe credámus. ℣. Ecce beatificámus eos qui ſuſtinuérunt; quóniam miséricors Dóminus eſt. * Reputántes. Glória. * Reputántes. *Judith.* 8. 26. 27. *Jacob.* 5. 11.

IN III. NOCTURNO.

Martyrum in doloribus & in morte fortitudo.

Ant. t. 2. *D*, Convaluérunt ánimis; non ſolum hómines, ſed & béſtias ferociſſimas, & muros ferreos paráti penetráre. 2. *Mach.* 11. 9.

Ant. t. 8. *G*. Ibant prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miſerántem ſuper eos Dóminum. 2. *Mach.* 11. 10.

Ant. t. 6. *f.* Placuérunt Deo, per multas tribulatiónes tranſiérunt fidéles. *Judith.* 8. 23.

℣. Multæ tribulatiónes juſtórum; ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Pſ.* 33. 20.

Evang. & Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dedíſti nos tamquam oves eſcarum: poſuiſti nos oppróbrium, ſubſannatiónem

& deríſum his, qui ſunt in circúitu noſtro. Hæc ómnia venérunt ſuper nos, * Nec oblíti ſumus te. ℣. Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis.* Nec oblíti. *Pſ.* 43. 12. 14. 18. *Rom.* 8. 36.

℟. 8. Benedíctus Deus eórum; éruit ſervos ſuos qui credidérunt in eum: * Et tradidérunt córpora ſua ne adorárent omnem deum, excépto Deo ſuo. ℣. Ludíbria, & vérbera expérti ſunt, ínſuper & víncula, & cárceres: lapidáti ſunt, ſecti ſunt, tentáti ſunt, in occiſióne gládii mórtui ſunt. * Et tradidérunt. *Dan.* 3. 95. *Hebr.* 11. 36. 37.

℟. 9. Ecce bellum advérsùs ſanctos, donec venit antíquus diérum, & judícium dedit ſanctis Excélſi, * Et. † Regnū obtinuérunt ſancti. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti ſunt juſtítiam, adépti ſunt repromiſſiónes. * Et regnū. Glória. Regnum. † *Dan.* 7. 21. 22. *Hebr.* 11. 33.

AD LAUDES.

Poſt paſſionem & victoriam Martyribus gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Clamavérunt juſti, & Dominus exaudívit eos: ℟. Ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. *Pſ.* 33. 18.

Ant. t. 1. *F.* QUi ſpontè obtuliſtis animas veſtras ad perículum, benedícite Dómino. *Judic.* 5. 9.

Ant. t. 8. *G.* Vobis donátum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credátis, ſed ut étiam pro illo patiámini. *Philip.* 1. 29.

Ant. t. 3. *A.* Magnum certámen ſuſtinuíſtis paſſiónum, opprobriis, & tribulatiónibus ſpectáculum facti. *Hebr.* 10. 32. 33.

Ant. t. 5. *A.* Exultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificátâ, reportántes finem fidei veſtræ, ſalutem animárum. 1. *Petr.* 1. 8. 9.

Ant. t. 6. *f.* In vobis gloriámur in Eccleſiis Dei pro patiéntia veſtra, & fide in ómnibus perſecutiónibus veſtris. 2. *Theſ.* 1. 4.

Capitulum. Jac. 1. 2. 3. 4.

OMne gaúdium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; ſciéntes quòd probátio fidei veſtræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet.

℣. In te, Dómine, ſperavérunt, ℟. Et liberáſti eos. *Pſ.* 21. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Sicut sócii paſſiónum eſtis, ſic éritis & conſolatiónis. 2. *Cor.* 1. 7.

Oratio ſi ſint Pontifices.

DEus, cujus grátiâ ſancti Mártyres, & Pontífices N. & N. mundi nec blandítiis, nec terróribus devícti ſunt: da nobis, ut tp ſolum diligéntes, próſperis mundi, vel advérſis non vincámur;

cámur; Per Dóminum, &c.

Alia Oratio.

BEatórum Mártyrū tuórum & Pontíficum N. & N. nos quæſumus, Dómine, feſta tueántur, & eórum commendet orátio veneránda; Per, &c.

Oratio pro Martyribus tantùm.

EXaúdi, Dómine, Mártyrum tuórum N. & N. victórias celebrántes, ut, córdibus ex eórum paſſióne ſuccénſis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tui N. & ſociórum ſolémnia recenſéntes, súpplices te, Dómine, deprecamur; ut in tua charitáte radicáti, & fundati, paſſiónes hújus témporis amóre illíus glóriæ, quæ revelánda eſt in nobis, voléntí & invícto ánimo ſuſtineámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. I. *Petr.* 4. 14.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis: quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus ſpíritus, ſuper vos requiéſcit.

In Dupl. ℟. Juſti decantavérunt, Dómine, nomen ſanctum tuum, * Et Victrícem manum tuam laudavérunt páriter. ℣. In multo experiménto tribulatiónis, abundántia gaúdii ipsórum fuit. Et victrícem. Glória. * Victricē. *Sap.* 10. 20. 2. *Cor.* 8. 2.

℣. Vox exultatiónis & ſalútis, ℟. In tabernáculis juſtórum. *Pſ.* 117. 15.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Exúltent juſti * In conſpéctu Dei: Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætitia.* In conſpéctu Dei. Glória. Exúltent. *Pſ.* 67. 4.

℣. Próteges eos, Dómine, ℟. In tabernáculo tuo. *Pſ.* 30. 21.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21. 4.

ABſtérget Deus omnem lacrymā ab óculis ſanctórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abiérunt.

℟. *br.* Ad te clamavérunt, * Et ſalvi facti ſunt: Ad te. ℣. In te ſperavérunt, & non ſunt confúſi, * Et ſalvi. Glória. Ad te. *Pſ.* 21. 6.

℣. In ætérnum exultábunt: ℟. Et habitábis in eis. *Pſ.* 5. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22. 14.

BEáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni: ut ſit potéſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem.

℟. *br.* Lætáti ſumus pro diébus, * Quibus nos humiliáſti. Lætati. ℣. Annis, quibus vídimus mala. * Quibus. Glória. Lætati. *Pſ.* 89. 15.

℣. Transívimus per ignem & aquam; ℟. Et eduxíſti nos in refrigérium. *Pſ.* 65. 12.

AD II. VESPERAS.

Martyrii gloria : & Martyrum merces.

Ant. 1. 1. *A.* HI ſunt, qui venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt ſtolas ſuas in ſánguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Ant. 1. 5. *F.* Ipſi vicérunt, & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem : proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12.

Ant. 1. 4. *E.* Datæ ſunt illis ſíngulæ ſtolæ albæ : & dictum eſt illis ut requieſcerent. *Apoc.* 6. 11.

Ant. 1. 3. *A.* Módico nunc dolóre ſuſtentáto, ſub teſtaménto ætérnæ vitæ effécti ſunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. 1. 7. *D.* Lætabúntur coram te, Dómine, ſicut qui lætántur in meſſe, ſicut exúltant victóres captâ prædâ. *Iſ.* 9. 3.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 17.

ID quod in præſénti eſt momentáneum & leve tribulatiónis noſtræ, ſupra modum in ſublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

QUam, Chriſte, ſignáſti viam,
Primus, profúſo ſánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem ſequúntur mílites.

Foſſus manus, foſſus pedes,
Ovans ad aſtra cónvolas,
Et membra trunci, Mártyres
Addunt triúmpho ſe tuo.

Omnes in oſtro ſpléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt :
Accépta monſtrant vúlnera,
Et per tot ora ſúpplicant.

Audíre, ſi nos réſpuis,
Quos críminum moles gravat :
Audi tuos, qui ſánguinem
Fudére pro te, Mártyres.

Fac, ſi tyránnus déficit,
Ne blandiéndo móllius
Frangat volúptas péctora
Ipſis tyránnis ſævior.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus, ſit gloria.
Amen.

℣. Confitebúntur nómini tuo, Dómine : ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Ad Magnific. *Ant.* 1. 5. *F.* Ecce quómodo computáti ſunt inter fílios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. *Sap.* 5. 5.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS CONF. CHRISTI.

(*Qui ſcilicet coram Tyranno paſſus, in pace tamen obiit.*)

Omnia de Communi, ſecundùm dignitatem Sancti, exceptis quæ notantur infrà.

AD I. VESPERAS.

Hymnus.

Ecquis magnánimus ſe pugil éxhibet?
Fit verbum gládius, fit clypeus fides;
Athletámque Dei præparat árdua
Ad certámina véritas.

Reges ante feros impávidus volat,
Teſtatúrque fidem, nil métuit mori,
Os, viréſque, ſui pollíciti memor,
Præſens ſuppéditat Deus.

Fruſtrà barbáries explícuit cruces;
Nil torménta movent: ore ſerénior,
Et fidens ánimi, promptus ad ómnia
Pœnas inter ovat ſuas.

Perpéſſis tua jam ſat cruciátibus
Commendáta fides: ſúſcipit hóſtiam,
Ceu mactáta foret, Chriſtus, & ímpias
Tortórum cóhibet manus.

Oſténtas lácero córpore vúlnera,
Tamquam pulchra tuæ ſtémmata glóriæ:
Aptatúrque ſacro, digna labóribus
Merces, laúrea vértici.

Patri máxima laus, máxima Filio
Sit par, ſancte, tibi laus quoque, Spíritus;
Fac mentes répleat lúmine véritas,
Urat péctora cháritas.
Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor;
℟. Et ego deſpíciam inimícos meos. *Pſ.* 117. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Dómine, protéctor factus es mihi, & liberáſti corpus meum à perditióne, & in conſpéctu aſtántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

Deus, pro cujus nómine beatus N. Confeſſor tuus (& Póntifex) paſſiónes invíctâ fide ſuſtinuit; da nobis ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc ſæculo, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum patiéntiæ & ſolátii * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Reliqua ut in Officio ſecundùm dignitatem Sancti.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Ant. & Capitulum ut in Communi pro dignitate Sancti.*

℣. Propter verba labió-

rum tuórum, ℟. Ego cuſtodivi vias duras. *Pſ.* 16. 4.

Ad Benedic. *Ant. t.* 8. *G.* Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. *Matth.* 10. 32.

Oratio ut ſuprà.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS.

COnféctor ictus ſi tibi déficit,
Nil inde laudi detráhitur tuæ:
Mortem volúntas antevértit
Martyrium facit hæc volúntas.
O ter beátos! dura quibus pati
Pro Chriſtiáno nómine cóntigit;
Sunt nempe truncis iſta membris
Eméritæ monuménta palmæ.
Sunt & futúri pígnora præmii:
Diláta merces mox redit aúctior;
Sic, Chriſte, vis nos ire cœlo:
Matéries datur hæc triúmphis.
Fac ſimus, & nos nómine pro tuo
Semper paráti fúndere ſánguinem:
Quam corde toto veritátem
Crédimus, hanc fateámur ore.
Sit laus Parénti, ſit quoque Fílio,
Tibíque ſit par glória, Spíritus
Trinúmque dum vox confitétur,
Vera fides venerétur unum.
Amen.

℣. Paulò minùs conſummavérunt me in terra:
℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Pſ.* 118. 8.7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, confeſſus bonam confeſſiónem coram multis téſtibus. 1. *Tim.* 6. 12.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

In Pontificis electione conſilia Domini.

Ant. t. 3. *a.* QUæſívit Dóminus ſibi virum juxta cor ſuum; & præcépit ei ut eſſet dux ſuper pópulum ſuum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. t. 8. *G.* Ipſum elégit Dóminus Deus, ut ſtet, & miniſtret nómini Dómini. *Deut.* 18. 5.

Ant. t. 1. *D.* Geſtábit judícium filiórum Iſrael in péctore ſuo, in conſpéctu Dómini ſemper. *Exod.* 28. 30.

Ant. t. 5. *F.* Erit ipſi pactum ſacerdótii ſempitérnũ, quia zelátus eſt pro Deo ſuo. *Num.* 25. 13.

Ant. t. 1. *F.* Quemcúmque elégerit Dominus, ipſe erit ſanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUſcitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Chriſto meo cunctis diébus.

℞. *In Duplic.* Locútus es ſanctis tuis, Dómine, & dixíſti: Invéni ſervum meum: * Oleo ſancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus teſtimónium pérhibens dixit: Invéni virum ſecúndùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Pſ.* 88. 20. 21. 22. *Act.* 13. 22.

HYMNUS *Ex Guill. Ep. Santon.*

CHriſte, Paſtórum caput atque princeps,
Præſulis Feſtam veneráta lucem,
Débitis ſupplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu ſedem, próprio nec auſu:
Sed ſacrum juſſus, Dómino vocánte,
Sumpſit honórem.

Strénuum bello púgilem ſupérni
Chríſmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu; poſuítque ſanctam
Páſcere gentem.

Fit gregis paſtor, pater atque forma
Lætus impéndit ſua, ſeque; ſervus
Omnium, curis gravis, omnibúſque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapſos, tenebráſque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hoſtem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Chriſte, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; ℞. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſ.* 64. 5.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre ſacrifícium Deo, incénſum, & bonum odórem pro pópulo ſuo. *Eccl.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Chriſtum Paſtórum príncipem; * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Non niſi vocatus, ſibi ſumit honorem, Pontifex.

Ant. t. 2. *D.* Vocávit eum Dóminus, & ait ei: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas

pópulū meū. *Ex.* 3. 4. 7. 10.

Ant. t. 8. *G.* Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſrael: ſcito quòd míſerim te. *Judic.* 6. 14.

Ant. t. 3. *a.* Perge ígitur: tu eris in his quæ ad Deum pértinent. *Exod.* 4. 12. 16.

℣. Elégit Dominus ſervum ſuum, ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77. 70. 71.

Lectiones ex Scriptura occur.

℟. 1. Elégi eum ex ómnibus mihi in ſacerdótem * Ut aſcénderet ad altáre meū, & adoléret mihi incénſum, & miniſtráret in conſpéctu meo. ℣. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tamquam Aáron: * Ut aſcénderet. 1. *Reg.* 2. 28. 30. *Hebr.* 5. 4.

℟. 2. Speculatórem dedi te dómui Iſrael: * Audiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me: ℣. Deus præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & audíres vocem ex ore ejus: quia eris teſtis illíus ad omnes hómines eórum quæ audíſti. * Aúdiens. *Ezech.* 33. 7. *Act.* 22. 14. 15.

℟. 3. Cum párvulus eſſes in oculis tuis, caput in tríbubus Iſrael factus es. * Unxit te Dóminus ſuper Iſrael, & miſit te. ℣. Qui vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, ſecúndū propóſitum ſuum, & grátiam. * Unxit. 1. *Reg.* 15. 17. 18. 2. *Tim.* 1. 9.

IN II. NOCTURNO.

Vocationi ſuæ fidelis, paſcit oves verbo & exemplo.

Ant. t. 2. *d.* In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. t. 7. *D.* In fide ſua probátus eſt Prophéta, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

Ant. t. 1. *A.* Juſtítiam & fidem conſervávit genti ſuæ, & exquiſívit omni modo exaltáre pópulum ſuum. 1. *Mach.* 14. 35.

℣. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Unxit illum óleo ſancto: * Et dedit illi Dóminus in præcéptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſrael; ℣. Hic erat edóctus viā Dómini, & fervens ſpíritu loquebatur. * Et dedit. *Eccli.* 45. 18. 21. *Act.* 18. 25.

℟. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me: à fácie nóminis mei pavébat. * Lex veritátis fuit in ore ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant. * Lex. *Malach.* 2. 5. 6. *Hebr.* 3. 5.

℟. 6. Iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et † Multos avértit ab iniquitáte. ℣. Hortabátur

omnes in propóſito cordis permanére in Domino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu ſancto. * Et multos. Glória. ✝ Multos. *Malach.* 2. 6. *Act.* 11. 23. 24.

IN III. NOCTURNO.

Pontificis pro ovibus labores.

Ant. t. 6. f. Paſcébat ſervus tuus gregem, & veniébat leo, & eruébam, perſequébar, & percutiébam. 1. *Reg.* 17. 34. 35.

Ant. t. 8. C. Die noctúque æſtu urébar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab óculis meis. *Gen.* 31. 40.

Ant. t. 2. D. Sic in domo tua ſervívi tibi, pro grégibus tuis. *Gen.* 31. 41.

℣. Exítus aquárum deduxérunt óculi mei: ℟. Tabéſcere me fecit zelus meus. *Pſ.* 118. 136. 139.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Super ſpéculam Dómini ego ſum, ſtans júgiter per diem; * Et ſuper cuſtódiam meam ego ſum, ſtans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque. * Et ſuper. *Iſ.* 21. 8. *Act.* 20. 31.

℟. 8. Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Libentiſſimè impéndam, & ſuperimpéndar ipſe pro animábus veſtris. * Et docébo. 1. *Reg.* 12. 23. 2. *Cor.* 12. 14. 15.

℟. 9. Factus ſum infírmis infírmus: ómnibus ómnia factus ſum, ut omnes fácerem ſalvos. * Omnia fácio propter Evangélium; ut párticeps ejus efficiar. ℣. Zelátus ſum bonum: proptérea bonam poſſidébo poſſeſſiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. 22. 23. *Eccli.* 51. 24. 29.

AD LAUDES.

Quanti ex ejus zelo & laboribus fructus.

℣. *Sacer.* Juſtítia ejus manet in ſæculũ ſæculi, ℟. Cornu ejus exaltabitur in glória. *Pſ.* 111. 9.

Ant. t. 7. D. SAcérdos magnus in vita ſua ſuffulſit domum, & in diébus ſuis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. t. 2. d. Curávit gentem ſuam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 4.

Ant. t. 5. A. Invéntus eſt perféctus, juſtus, & in témpore iracúndiæ factus eſt reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. t. 8. G. Zelándo zelum Dei, accépit teſtaméntum ſacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. 54.

Ant. t. 6. f. Hic eſt fratrũ amátor, & pópuli Iſrael: hic eſt qui multùm orat pro pópulo. 2. *Mach.* 15. 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro; quia fi-

delem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℣. Conſtítuit eum dóminum domûs ſuæ; ℟. Et príncipem omnis poſſeſſiónis ſuæ. *Pſ.* 104. 21.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Ipſe eſt diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis; & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49. 3. 4.

Oratio.

EXaúdi, quæſumus, Dómine, preces noſtras, quas in beáti N. Pontíficis feſtivitáte deférimus: & ejus, qui tibi dignè méruit famulári, intercedéntibus méritis, ab omnibus nos absólve peccátis; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens Deus, qui beátum N. Antíſtitem pópulo tuo præéſſe, & quibus præerat verbo & exemplo prodéſſe voluíſti, eódem intercedénte Paſtóres Eccléſiæ tuæ cum gregibus ſibi commíſſis dírige in viam ſalútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perfíciant; Per, &c.

Alia Oratio.

DA Eccléſiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita ſancti Epíſcopi N. pietátem tuam pro ipſo ſemper exórent, & fructum in nobis labórum ejus cuſtódiant; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Act. 20. 18. 19. 20.

VOs ſcitis, quáliter vobíſcum per omne tempus fuerim, sérviens Dómino, cum omni humilitáte, & lácrymis: quómodo nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos.

℟. *In Dupl.* In bonitáte & alacritáte ánimæ ſuæ * Plácuit Deo pro Iſrael: ídeò ſtátuit illi teſtaméntũ pacis, príncipem ſanctórũ & gentis ſuæ, ut ſit illi ſacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Exémplum fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide. * Plácuit. Glória. * Plácuit. *Eccli.* 45. 29. 30. 1. *Tim.* 4. 12.

℣. Dedúxit eos in viam rectam; ℟. Ut irent in civitátẽ habitatiónis. *Pſ.* 106. 7.

In Semid. ℟. *br.* Dedúxit eos * In viam rectam. Dedúxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. * In viam. Glória. Dedúxit *Pſ.* 106. 7.

℣. Abſtúlit ſicut oves pópulum ſuum: ℟. Et dedúxit eos in ſpe. *Pſ.* 77. 52. 53.

AD SEXTAM.

Capitulum Act. 20. 26. 27.

COntéſtor vos, quia mundus ſum à ſánguine ómnium. Non enim ſubterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis ſui. Pavit

℣. Et in intelléctibus mánuum ſuárum dedúxit eos.* In innocéntia. Glória. Pavit. *Pſ.* 77. 72.

℣. Edúxit eos de ténebris. ℟. Suſcepit eos de via iniquitátis eórum. *Pſ.* 106. 14. 17.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 31. 32.

Nocte & die non ceſſávi, cum lácrymis monens unumquémque veſtrū. Et nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus.* Chriſtum ſuum. Salvum. ℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Chriſtum. Glória. Salvum. *Pſ.* 19. 7.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui. ℟. Impleat omnes petitiónes tuas. *Pſ.* 19. 4. 7.

AD II. VESPERAS.

In cœlis coronatur Pontifex: & memoria ejus in benedictione eſt in terris.

Ant. t. 3. *a.* Fidélis ſervus & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam. *Math.* 24. 45.

Ant. t. 6. *f.* Hic eſt qui fuit in Eccléſia cum pátribus noſtris: qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 5. *A.* Erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. t. 7. *D.* Induit eum Dóminus ſtolam glóriæ, & coronávit eum in vaſis virtútis. *Eccli.* 45. 9.

Ant. t. 1. *Irreg.* Euge, ſerve bone & fidélis, intra in gaúdium Dómini tui. *Matth.* 25. 21.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 1. 2.

Imitatóres mei eſtóte, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia mei mémores eſtis.

HYMNUS. *Guill. Episc. Sant.*

Jeſu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adéſto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos ſibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua
Victúmque præbet; aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errántē jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béſtias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolóſque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimā
Pro plebe Paſtor ínnocens,
Secúmque devótum gregem
Pius ſacérdos ímmolat.

Supréme Chriſte Póntifex,
Jugis tibi ſit gloria,
Cum Patre, cumque Spíritu
In ſempitérna ſæcula.
Amen.

℣. Dabis eum in benedic-

tiónem, ℞. In ſæculum ſæculi. Pſ. 20. 7.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Non recedet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

AD I. VESPERAS.

Non niſi ex Dei ſapientiâ ſapiens fuit, qui in Eccleſiâ Doctor.

Ant. t. 1. *A.* BEátus vir qui excógitat vias ſapiéntiæ in corde ſuo, vadens poſt illam quaſi inveſtigátor. *Eccli.* 14. 22. 23.

Ant. t. 8. *C.* Aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit illum, & exaltábit illum apud próximos ſuos. *Eccli.* 15. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Denudábit Dóminus abſcónſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam & intelléctum juſtítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. t. 7. *D.* Ipſe tamquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ, & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

Ant. t. 6. *f.* Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Eccli. 4. 28. 29.

NE retíneas verbum in témpore ſalútis. In lingua enim ſapiéntia dignóſcitur: & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſensáti.

℞. *In Duplic.* In médio Eccléſiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus ſpíritu ſapiéntiæ & intelléctûs. ℣. Non in perſuaſibílibus humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in oſtenſióne ſpíritûs & virtútis: * Adimplébit . . . . Glória. * Adimplébit. *Eccli.* 15. 5. 1. *Cor.* 2. 4.

HYMNUS. *ex Sanct. Vict.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Chriſte, Vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!

Hi ſemper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fídei virgíneũ decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His cuſtódibus, íntegra.

Infâmes ábolent rellíquias deûm:
Erróres, ábigunt, crímina dédocent;
Chriſto reſtítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúſerat hæreſis.

Patrum caníttiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:

Quæ ſunt priſca, docent;
quæ nova, ſubruunt:
Servant depóſitum Dei.
Vicíſtis ſtygias, vos quibus
hæreſes,
Hæc nos accípimus tela
ſupérſtites:
His pugnámus adhuc, nec
dubio éxitu
His armis quoque vínci-
mus.
Sit ſupréma tibi glória, Vé-
ritas,
Quæ per ſcripta Patrum,
quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, ſono
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Pſ.* 93. 12.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *d.* Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſæculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fontem ſapiéntiæ, Verbum Dei in excélſis: * Veníte, adorémus. *Ec.* 1. 5. *Pſ.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Per orationem, veram à Deo ſapientiam obtinet Eccleſiæ Doctor.

Ant. t. 7. *D.* Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea; & efflóruit tamquam præcox uva. *Eccli.* 51. 18. 19.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut ſciam ſuſtentáre eum, qui laſſus eſt, verbo. *Iſa.* 50. 4.

Ant. t. 6. *f.* Beátus homo, qui invénit ſapiéntiam: mélior eſt acquisítio ejus negotiatióne argénti. *Prov.* 3. 13. 14.

℣. Fac, Dómine, erudítos corde ℟. In ſapiéntia. *Pſ.* 89. 12.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1. Sápiens cor ſuum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum: apériet os ſuum in oratióne. * Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter.. * Si enim. *Eccli.* 39. 6. 7. 8. *Jacob.* 1. 5.

℟. 2. Optávi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocávi, & venit in me ſpíritus ſapiéntiæ: & præpóſui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. ℣. Exíſtimo ómnia detriméntum eſſe, propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. * Et divítias. *Sap.* 7. 7. 8. *Philip.* 3. 8.

℟. 3. Ante templum poſtulábam pro ſapiéntia, & excépi illam. * Danti mihi ſapiéntiam, dabo glóriam. † Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: & in ipſa laudábo eum. ℣. Ut innotéſcat per Eccléſiā multifórmis ſapiéntia Dei. * Danti mihi. . . Glória. . . † Dedit. . . *Eccli.* 51. 19. 21. 23. 30. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.
Cum ſapientia, omnia alia bona evenere Doctori.

Ant. t. 7. A. Implévit eum Dóminus Spíritu Dei, & intelligéntiâ, & ſciéntiâ, & omni doctrínâ. *Exod.* 35. 31.

Ant. t. 6. f. Divítiæ ſalútis ſapiéntia & ſciéntia; timor Dómini ipſe eſt theſaúrus ejus. *Iſ.* 33. 6.

Ant. t. 8. C. Perféctio tua, & doctrína tua, Dómine, viro ſancto tuo, quem probaſti. *Deut.* 33. 8.

℣. Bonum mihi lex oris tui, ℟. Super míllia auri & argénti. *Pſ.* 118. 72.

Lectiones ut in Propr. Sanct.

℟. 4. Super ſalútem & ſpéciem diléxi ſapiéntiam, & propóſui pro luce habére illam. * Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. ℣. Quæ desúrsùm eſt ſapiéntia, pudíca eſt, pacífica, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis... * Venérunt... *Sap.* 7. 10. 11. *Jac.* 3. 17.

℟. 5. Sapiéntia ómnium bonórum mater eſt; quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico. * Infinítus enim theſaúrus eſt, quo qui uſi ſunt, partícipes facti ſunt amicítiæ Dei...

℣. Poteſtis legéntes intelligere prudéntiam meam in myſtério Chriſti. * Infinítus. *Sap.* 7. 12. 13. 14. *Epheſ.* 3. 4.

℟. 6. Sapiéntia & fortitúdo Dómini ſunt: ipſe revélat profúnda & abſcóndita. * Tibi, Deus, confíteor, teque laudo; † Quia ſapiéntiam & fortitúdinem dediſti mihi. ℣. Secúndùm revelatiónem notum mihi factum eſt ſacraméntum, ſicut ſcripſi... * Tibi, Deus... Glória. † Quia... *Dan.* 2. 20. 22. 23. *Epheſ.* 3. 3.

IN III. NOCTURNO.
Plebem docet verbis, & ſcriptis.

Ant. t. 7. D. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ ſuæ ſuávis eſt. *Eccli.* 37. 22.

Ant. t. 8. C. Surréxit quaſi ignis, & verbum ipsíus quaſi fácula ardébat. *Eccli.* 48. 1.

Ant. t. 3. a. Poſtquàm ſe ampliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis, & prophetárum; vóluit & ipſe ſcríbere quæ ad doctrínam & ſapiéntiam pértinent. *Proleg. Eccli.*

℣. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judíciũ. *Pſ.* 36. 30.

Evang. & Homil. ut in Propr. Sanct.

℟. 7. Cùm eſſet ſapiéntiſſimus, dócuit pópulum. * Quæsívit verba utília, & conſcripſit ſermónes rectiſſimos, ac veritáte plenos. ℣. Potens exhortári, & eos qui contradícunt, argúere. * Quæsívit... *Eccle.* 12. 9. 10. *Tit.* 1. 9.

℟. 8. Vidit principátum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repóſitus; * Fuit cum princípibus, & fecit juſtítias Dómini, & judícium ſuum cum Iſraël. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens

quæ ſunt de Dómino Jeſu.* Fuit. *Deut.* 33. 21. *Act.* 28. 31.

℟. 9. Sciéntia ſapiéntis tamquam inundátio abundábit; & * Conſílium illíus ſicut fons vitæ pérmanet. Os prudéntis quæritur in Eccléſiâ, & † Verba illíus cogitábunt in córdibus ſuis. ℣. Scriba doctus in regno cœlórum profert de theſaúro ſuo nova & vétera. * Conſílium. Glória... † Verba... *Eccli.* 21. 16. 20. *Matth.* 13. 52.

Te Deum.

AD LAUDES.

De ſapientia Doctori gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerdot.* Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. 148.

Ant. t. 3. a. ERudítus es in juventúte tua; & implétus es, quaſi flumen, ſapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. t. 2. d. Sicut érudit fílįū ſuum homo, ſic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. t. 7. D. Sápiens es, ſicut habet ſapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. t. 1. A. Ad ínſulas longè divulgátū eſt nomen tuum; in interpretatiónibus mirátæ ſunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18.

Ant. t. 6. f. Beáti qui ſtant coram te ſemper, & aúdiunt ſapiéntiā tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

Capitulum: Eccli. 24. 46.

DOctrínam quaſi prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus ſapiéntiam, & non déſinam in progénies illórum uſque in ævum ſanctum.

℣. Narrábo nomen tuū frátribus meis: ℟. In médio Eccléſiæ laudábo te. *Pſ.* 21. 23.

Ad Benedictus. Ant. t. 1. *d.* Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlorum. *Matth.* 5. 19.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ ſalútis beátum N. miníſtrum tribuiſti: præſta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, interceſſorem habére mereámur in cœlis; Per, &c.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus N. ſervívit, tibi, ut eódem nos repléti, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum.... in unitáte ejúſdem, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum 2. *Tim.* 3. 14. 15.

TU verò pérmane in iis quæ didiciſti, & crédita ſunt tibi; ſciens à quo didíceris, & quia ab infántia ſacras lítteras noſti.

℟. *In Dupl.* Invénti ſunt ſermónes tui, Dómine, & comédi eos * Et † Factúm eſt mihi verbum tuum in gaúdium & in lætítiam cordis mei. ℣. Accépi librum,

& devorávi illum ; & erat in ore meo tamquam mel dulce. . . . * Et factum. . . . Glória. ✝ Factum eſt. . . *Jer.* 15. 16. *Apoc.* 10. 10.

℣. Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua ! ℟. Super mel ori meo. *Pſ.* 118. 103.

℟. *br. In Semid.* Scrutábor * Legem tuam, Dómine. Scrutábor. . . . ℣. Et cuſtódiam illam in toto corde meo. * Legem. . . . Gloria. . . . Scrutábor. *Pſ.* 118. 34.

℣. Juſtítiæ Dñi rectæ, ℟. Lætificántes corda. *Pſ.* 18. 9.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 6.

HÆc præpónens frátribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, enutrítus verbis fídei, & bonæ doctrínæ, quam aſſecútus es.

℟. *br.* Annuntiávi juſtítiã tuam * In ecclésia magna. . . Annuntiávi. . . ℣. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu ſciſti ; * In ecclésia. Glória. . . . Annuntiávi. . . . . *Pſ.* 39. 10.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : ℟. Dico ego ópera mea regi. *Pſalm.* 44. 2.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 3. 4.

SI quis áliter docet, & non acquiéſcit ſanis ſermónibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecúndum pietátem eſt, doctrínæ ; ſupérbus eſt, nihil ſciens.

℟. *br.* Super ſenes intellexi : * Quia mandáta tua quæſívi. Super. . . . ℣. A judíciis tuis non declinávi. * Quia. . . . Glória. . . . Super. *Pſ.* 118. 100. 102.

℣. Super inimícos meos prudénte me feciſti mandato tuo ; ℟. Quia in ætérnum mihi eſt. *Pſ.* 118. 98.

AD II. VESPERAS.

Quia populos erudivit, ideò memoria illius erit in benedictione.

Ant. 1. VIr éloquens, potens in Scriptúris, hic erat edóctus viam Dómini. *Act.* 18. 24. 25.

Ant. 5. *A.*

Ant. 2. 6. *f.* Erudítus eſt omni ſapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus ſuis. *Act.* 7. 22.

Ant. 3. 8. *G.* Fervens ſpíritu loquebátur, & docébat diligénter ea quæ ſunt Jeſu. *Act.* 18. 25.

Ant. 4. 7. *D.* Bonus homo de bono theſaúro cordis ſui profert bonum. *Luc.* 6. 45.

Ant. 5. 4. *E.* Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia. *Eccli.* 39. 14.

Capitulum. *Eph.* 3. 4. 8. 9.

POtéſtis legéntes intellígere prudentiam meam in myſtério Chriſti? Mihi data eſt grátia hæc, illumináre omnes quæ ſit diſpensátio ſacraménti abſcónditi à ſæculis.

HYMNUS *Ex Sanct. Vict.*

JAm nunc, quæ númeras
tot tibi víndices,
Effer ſidéreum, Relligio, caput.

Quot ſunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.
Cùm per mille neces ímpíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæreſis,
Doctóres tibi súſcitas.
Quando ſparſa lues úndique críminum,
Hi glíſcens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Fírmant inſtábiles, & dúbios regunt:
Monſtrant tuta procul líttora naúfragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixére tuis cónſona ſénſibus,
Noſtris illa, Deus, córdibus ímprimas:
Quos terris colimus, quos ſéquimur duces,
Fac nos móribus áſſequi.
Sit ſupréma tibi glória, Véritas,
Quæ per ſcripta Patrum, quando foris ſonas,
Nullo vocis egens, corda doces, ſono,
Et te méntibus ínſeris.
Amen.

℣. Beátus vir qui diſpónet ſermónes ſuos in judício: ℟. In ætérnum non commovébitur. *Pſ.* 111. 1. 5. 6.

Ad. Magn. *ant. t.* 6. *f.* Qui docti fúerint, fulgébunt quaſi ſplendor firmaméti: & qui ad juſtítiā erúdiunt multos, quaſi ſtellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PRESBYTERI.

AD I. VESPERAS.

Sacerdotii officia, & Sacerdotis dotes.

Ant. t. 1. *d.* Ipſum elégit Dóminus offérre ſacrifícium Deo, in memóriam placáre pro populo ſuo. *Eccli.* 45. 20.

Ant. t. 2. *D.* Miniſtrábit in nómine Dómini Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus. *Deuter.* 18. 7.

Ant. t. 3. *A.* Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 3.

Ant. t. 4. *E.* Labia ſacerdótis cuſtódient ſciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. *Malach.* 2. 7.

Ant. t. 6. *f.* In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Num. 16. 5.

Notum fáciet Dóminus qui ad ſe pertíneant, & Sanctos applicabit ſibi; & quos elégerit, appropinquábunt ei.

In Dupl. ℟. Dedit illi Dóminus ſacerdótium. * Complévit manus ejus, & unxit

illum óleo ſancto. ✝ Factum eſt illi in teſtaméntum, fungi ſacerdótio, & habére laudem, & glorificáre pópulum ſuum in nómine ejus. ℣. Ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia. .. * Complévit... Glória. ✝ Factum.... *Eccli.* 45. 8. 18. 19. *Hebr.* 5. 1.

HYMNUS.

O Tuâ dignum pietáte munus!
Chriſte, cùm per te légitur Sacérdos
Ille, qui primum decus & miníſtris
Reddit & aris.

Quàm pavens, ſanctas procul à tumúltu,
Cùm dapes Chriſti meditátur Agni,
In quibus manat ſacer incruénto
Fúnere ſanguis!

Thure fumántes quis hic inter aras?
Quanta majéſtas ſedet ore ſancto!
Nec minùs fervent calefácta puris
Péctora flammis.

Quæ Dei numquam temeránda jura
Víndicat ſacris animóſus armis,
Si ſcelus gliſcit, calet intùs igne
Elias alter.

Nec ſacrum durus ſedet ad tribúnal:
Súblevat triſtes miſeráta caſus
Cháritas, clemens, aliiſque mater,
Dum ſibi judex.

Quas relaxávit, luit ipſe noxæ
Innocens pœnas; aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo
Non ſua fletu.

Lúminis ſplendor, Patris una Proles,
Chriſte, te pronus venerátur orbis;
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Memor ſit Dóminus omnis ſacrifícii tui; ℟. Et holocaúſtum tuum pingue fiat. *Pſ.* 19. 4.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Quaſi thus ardens in igne, in aſcénſu altáris ſancti, glóriam dedit ſanctitátis amíctum. *Eccli.* 50. 9. 12.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Sacerdótem in ætérnum Jeſum Chriſtum; * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5. 6.

IN I. NOCT.

Innocens moribus, & à Deo vocatus venit ad miniſterium.

Ant. t. 3. *E.* Qui habúerit máculam, non ófferet panes Deo ſuo, nec accédet ad miniſtériū. *Lev.* 21. 17. 18.

Ant. t. 2. *D.* Sanctificábor in iis qui appropínquant mihi, & in conſpéctu omnis

pópuli

pópuli glorificábor. *Lev.* 10. 3.

Ant. t. 8. C. Ingrédere tu: te enim vidi juſtum coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur ſine mácula. *Pſal.* 14. 1. 2.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Adhæſit Dómino, & non recéſſit à veſtígiis ejus, fecítque mandáta ejus. * Unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, ſapiénter ſe agébat. ℣. Homo iſte juſtus, & timorátus, expéctans conſolatiónem Iſrael. * Unde. 4. *Reg.* 18. 6. 7. *Luc.* 2. 25.

℟. 2. Præcépit Dóminus: * Accéde ad altáre, & ímmola: offer holocaúſtum, & deprecáre pro te, & pro pópulo. ℣. Novi ópera tua, & fidem, & charitátem tuam, & miniſtérium, & patiéntiam tuam. * Accéde. *Lev.* 9. 6. 7. *Apoc.* 2. 19.

℟. 3. Quia ſanctus es Dño Deo tuo, te elégit Dñs. * Et † Scies, quia Dóminus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtódiens pactum & miſericórdiam diligéntibus ſe. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangeliſtæ, miniſtérium tuũ imple. * Et ſcies. Glória. † Scies. *Deut.* 7. 6. 9. 2. *Tim.* 4. 5.

IN II. NOCTURNO.

Ejus pro plebe orationes & ſacrificia.

Ant. t. 7. *A.* De Sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, & incéndat ſacrifícium. *Jerem.* 33. 18.

Ant. t. 5. *F.* Exorábit pro peccátis, & continébit ſe ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Rogánte pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Lev.* 4. 20.

℣. Exaúdiet illum de cœlo ſancto ſuo: ℟. In potentátibus ſalus déxteræ ejus. *Pſalm.* 19. 7.

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 4. Oblátio juſti impínguat altáre, * Et odor ſuavitátis eſt in conſpéctu Altíſſimi. ℣. Multùm enim valet deprecátio juſti aſsídua. * Et odor. *Eccli.* 35. 8. *Jac.* 5. 16.

℟. 5. Diléctus à Dómino Deo ſuo, in fide ſua probátus eſt: & * Invocávit Dóminum omnipoténtem in oblatióne Agni invioláti. ℣. Sacérdos non ſecúndùm legem mandáti carnális factus. * Invocávit. *Eccli.* 46. 16. 17. 19. *Hebr.* 7. 16

℟. 6. Obtulit holocaúſtum Dómino: & * Clamávit ad Dóminum pro Iſrael, & † Exaudívit eum Dóminus, ℣. Unam pro peccátis ófferens hóſtiam. * Clamávit. Glória. † Exaudívit 1. *Reg.* 7. 9. *Heb.* 10. 12.

IN III. NOCTURNO.

Sacerdotis zelus.

Ant. t. 8. G. Scitis quòd docúerim vos præcépta, atque juſtítias, ſicut mandávit mihi Dóminus Deus meus. *Deuter. 4. 5.*

Ant. t. 7. C. Zelo zelátus ſum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Iſraël. *3. Reg. 19. 10.*

Ant. t. 2. D. Cogitávit cor meum mecum: increpávi, & dixi: Quare non in timóre Dei noſtri ambulátis? *2. Eſd. 5. 7. 9.*

℣. Vidi prævaricántes, & tabeſcébam; ℟. Quia elóquia tua non cuſtodiérunt. *Pſal. 118. 158.*

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 7. Operátus eſt bonum, & rectum, & verum coram Dómino Deo ſuo, * In univérſa cultúra miniſtérii domûs Dómini juxta legem & cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tamquam fámulus. * In univérſa. *2. Paral. 31. 20. 21. Hebr. 3. 5.*

℟. 8. Quæsívit bona genti ſuæ: & * Confirmávit omnes húmiles pópuli ſui, & legem exquisívit, & ábſtulit omnem iníquum & malum. ℣. Exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte. * Confirmávit. *1. Mach. 14. 4. 14. Tit. 2. 7.*

℟. 9. Avértit iram meam à filiis Iſraël; * Quia zelo meo commótus eſt contra eos, ut non ipſe delérem filios Iſraël in zelo meo: † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Juſtítiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitútus. * Quia. Glória. † Ecce. *Numer. 25. 11. 12. Hebr. 11. 7.*

Te Deum. *In Duplic. & Semiduplic.*

AD LAUDES.

Opera ſancta Sacerdotis laudantur.

℣. *Sacerdot.* Domus Aáron, benedícite Dómino: ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Pſal. 134. 19. 20.*

Int. t. 7. A. Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum eſt. *3. Reg. 17. 24.*

Ant. t. 1. A. Ecce docuíſti multos: & manus laſſas roboráſti: vacillántes confirmavérunt ſermónes tui. *Job. 4. 3. 4.*

Ant. t. 8. C. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini. *Eccli. 48. 10.*

Ant. t. 6. f. Tu aſſecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam. *2. Tim. 3. 10.*

Ant. t. 7. A. Beatus ille ſervus, quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem: ſuper ómnia bona ſua cònſtítuet eum. *Matth. 24. 46. 47.*

Capitulum. 1. Tim. 5. 17.

QUi bene præſunt Preſbyteri, dúplici honóre

digni habeántur; máximè qui labórant in verbo & doctrína.

℣. Exáltent eum in Eccléſia plebis: ℟. Et in cáthedra ſeniórum laudent eum. *Pſalm.* 106. 32.

Ad Benedíctus. *Ant. t.* 1. *D.* Plúrimam hóſtiam óbtulit, per quam teſtimóniũ conſecútus eſt eſſe juſtus; teſtimónium perhibénte munéribus ejus Deo. *Hebr.* 11. 4.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuũ *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur à pópulo, ſegregáſti: præſta, quæſumus, ut ejus exémpla ſectántes, genus eléctum, regále ſacerdotium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis éffici mereámur; Per, &c.

Alia Oratio.

DEus, qui ad plebis tuæ ſalútem, & ad miniſtrórum tuórum decus & exémplum, fidélem fámulum tuũ *N.* Sacerdótio tuo aſſociáre voluíſti; concéde, quæſumus, ut ejus méritis & exémplis adjúti, ita exhibeámus nos in ómnibus fidéles miníſtros, ut prærogatívæ dignitátis adjungátur cúmulus ſanctitátis; Per te, Jeſu Chriſte Salvátor mundi, Qui vivis, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 11. 12.

PRæcipe hæc & doce. Exémplum eſto fidélium in verbo, in converſatióne, in charitáte, in fide, in caſtitáte.

In Dupl. ℟. Juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe, * Parávit cor ſuum, ut inveſtigáret legem Dómini; & fáceret & docéret in Iſrael præcéptum. ℣. Potens in Scriptúris, edóctus viam Dómini, & fervens ſpíritu. * Parávit. Glória. * Parávit. 1. *Eſdr.* 7. 9. 10. *Act.* 18. 24. 25.

℣. Veníte, filii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Pſalm.* 33. 12.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Veritátem tuam * Et ſalutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abſcóndi misericórdiam tuam. * Et ſalutáre. Glória. Veritátem. *Pſalm.* 39. 11.

℣. Annuntiávi juſtítiam tuam, ℟. Dómine, tu ſciſti. *Pſalm.* 39. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Chriſto Jeſu Dómino noſtro, quia fidélem me exiſtimávit, ponens in miniſtério.

℟. *br.* Dómine, diléxi * Decórem domûs tuæ. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, * Decórem. Glória. Dómine. *Pſal.* 25. 8.

℣. Immolávi in tabernáculo ejus ℟. Hoſtiam vociferatiónis. *Pſal.* 26. 6.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 3. 13.

QUi bene miniſtráverint, gradum bonum ſibi acquírent, & multam fidúciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. Hic ℣. Et miſericórdiam à Deo ſalutári ſuo. * Benedictiónem. Glória. Hic accípiet. *Pſal.* 23. 5.

℣. Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Pſal.* 64. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex ejus miniſterio multi fructus : & inde ejus corona.

Ant. t. 1. *A.* NAtus eſt homo, firmaméntũ gentis, rector fratrum, ſtabiliméntũ pópuli. *Eccli.* 49. 17.

Ant. t. 5. *A.* Perféctus homo Dei, ad omne opus bonum inſtrúctus. 2. *Tim.* 3. 17.

Ant. t. 7. *C.* Porréxit manum ſuam in libatióne, & libávit de ſánguine uvæ. Effúdit in fundaménto altáris odórem divínum Excélſo. *Eccli.* 50. 16. 17.

Ant. t. 3. *a.* De omni corde ſuo laudávit Dóminum : & dedit in celebratiónibus decus. *Eccli.* 47. 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Defúnctus adhuc lóquitur : quia teſtimónium hábuit placuíſſe Deo. *Heb.* 11. 4. 5.

Capitulum. 1. *Cor.* 3. 8.

QUi plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquíſque autem própriã mercédem accípiet ſecúndùm ſuũ labórem.

HYMNUS.

QUàm Deo gratus venit hic Miníſter,
Qui nihil mundi maculátus aurâ,
Mille virtútum præeúnte cœtu
Scandit ad aras!

Quos docet nondum ſtábiles alúmnos
Firmat exémplis : potióra dictis
(Inſtar accénſæ facis) anteibunt
Facta magíſtri.

Hos alit verbis : alit hos & eſcis :
Non ſuum dicit : ſibi vindicáre
Paúperes credit, quaſi commodáti
Pródigus auri.

Quippe veſtígat, meditátus altâ
Mente, theſaúros, ſibi quos latrónum
Nulla fraus tollat, neque dente vermis
Rodat iníquo.

Hunc cadens vidit, réperit renáſcens
Sol humi ſtratum, lácrymis madéntem :
Intimæ menti Deus incubábat
Intimus hoſpes.

Quam ſitit puro bibit ore lucem,
De Deo fœtos relegéndo libros,

Hinc cibus menti Deus, hinc abúndè
Páſcitur uno.
Lúminis ſplendor, Patris una Proles
Chriſte, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus induam ſalutári; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſal.* 131. 16.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Ubi ſum ego, illìc & Miníſter meus erit. Si quis mihi miniſtráverit, honorificábit eũ Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE UNIUS ABBATIS, MONACHI, CÆNOBITÆ, ANACHORETÆ.

AD I. VESPERAS.

Solitudo, ſalutis locus & ſecuritas.

Ant. t. 8. *C.* QUi hábitant in desérto, ſecúri dórmient in sáltibus; & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34. 25. 26.

Ant. t. 5. *A.* Dóminus ponet desértum quaſi delícias, & ſolitúdinem quaſi hortum Dómini. *Iſ.* 51. 3.

Ant. t. 7. *D.* Gaúdium & lætítia inveniétur in ſolitúdine, gratiárum áctio & vox laudis. *Iſ.* 51 3.

Ant. t. 3. *a.* Bonum eſt viro, cùm portáverit jugum ab adoleſcéntia ſua; ſedébit ſolitárius, & tacébit. *Thren.* 3. 27. 28.

Ant. t. 3. *E.* Erit ſicut qui abſcónditur à vento, & celat ſe à tempeſtáte in terra desérta. *Iſ.* 32. 2.

Capitulum. Jerem. 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & ſalvet unuſquiſque ánimam ſuam: nolíte tacére ſuper iniquitátem ejus: quóniam tempus ultiónis eſt à Dómino.

In Dupl. ℟. Habitábit in ſolitúdine judícium. * Et erit opus juſtítiæ pax, & cultus juſtítiæ ſiléntium, & ſecúritas uſque in ſempitérnum. ℣. Si vis perféctus eſſe, vade, vende quæ habes, & da paupéribus: & veni, ſéquere me. * Et erit. Glória. * Et erit. *Iſ.* 32. 16. 17. *Matth.* 19. 21.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

FElíces némorum pángimus íncolas
Certò consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio ſæcli
Mores læderet íntegros.
Ut te poſsídeant, quem ſítiunt Deum,
Urbes, regna, ſuos, ſe quoque déſerunt:
Totus vſluit orbis,
Dum cæléſtia cógitant.

Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent
Prudéntes onus éxuunt.

Ætérnas ut opes, cértaque gaúdia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt
Confiſi melióribus.

Illis ſumma fuit glória, déſpici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.

Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala
In pœnam ſcélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relíctâ,
Immortália quærere.

Ætérnus ſit honos ingénito Patri,
Sit par unígeno glória Fílio;
Sacri nexus amóris
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Abſcóndes eos in abſcóndito faciéi tuæ, ℟. A conturbatióne hóminum. *Pſal.* 30. 21.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* In ſolitúdine ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Iſ.* 32. 16. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum qui ductus eſt in desértum à ſpíritu, * Veníte, adorémus. *Matth.* 4. 1.

IN I. NOCTURNO.

Deo vocanti obediens, vadit in ſolitudinem.

Ant. t. 8. *C.* Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrábo tibi. *Gen.* 12. 1.

Ant. t. 6. *f.* Surge, ne péreas in ſcélere civitátis: ſalva ánimam tuam: noli reſpícere poſt tergum. *Gen.* 19. 15. 17.

Ant. t. 2. *D.* In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dántibus confeſſiónem Deo. *Eccli.* 17. 25.

℣. In umbra alárum tuárum ſperábo, ℟. Donec tránſeat iníquitas. *Pſal.* 56. 2.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. 1. Ecce elongávi fúgiens; & * Manſi in ſolitúdine. Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpíritûs, & tempeſtáte: quóniam vidi iniquitátem in civitáte.

℣. Quóniam mundus totus in malígno póſitus eſt. * Manſi. *Pſal.* 54. 8. 9. 10. 1. *Joan.* 5. 19.

℟. 2. Mélior eſt dies una in átriis tuis, Dómine, ſuper míllia: * Elégi abjéctus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Magis éligens afflígi cum pópulo Dei, quàm temporalis peccáti habére jucunditátem.

* Elégi. *Pſal.* 83. 11. *Hebr.* 11. 25.

℟. 3. Invénit eum Dóminus in terra deſérta * In loco horróris, & vaſtæ ſolitúdinis; circumdúxit eum, & † Sicut Aquila próvocans ad volándum pullos ſuos & ſuper eos vólitans, expándit alas ſuas, & aſſúmpſit eum. ℣. Juſtum à nefandórum luxurióſa converſatióne erípuit: aſpéctu enim & audítu juſtus erat, * In loco.. Glória. † Sicut. *Deut.* 32. 10. 11 2. *Petr.* 2. 7. 8.

IN II. NOCTURNO.

Perfecta ejus abnegatio.

Ant. t. 8. *G.* Quòd relíqueris paréntes tuos, plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem veníſti. *Ruth.* 2. 11. 12.

Ant. t. 7. *a.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus, & obédias ejus império. *Deuter.* 26. 17.

Ant. t. 4. *E.* Hæc eſt hæréditas ſervórum Dómini, & juſtítia eórum. *Iſ.* 54. 17.

℣. Beáta gens, cujus eſt Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem ſibi. *Pſal.* 32. 12.

Lectiones ut in Proprio Sanct.

℟. 4. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;* Proptérea expectábo eum: bonum eſt præſtolári cum ſiléntio ſalutáre Dei. ℣. Propter Chriſtũ ómnia detriméntum feci, & árbitror ut ſtércora, ut Chriſtum lucrifáciam. * Proptérea. *Thren.* 3. 24. 26. *Philip.* 3. 8.

℟. 5. Exui me ſtolâ pacis,* Indui autem me ſacco obſecratiónis, clamábo ad Altíſſimum in diébus meis: ſperávi in ætérnum ſalútem: & venit mihi gáudium à ſancto. ℣. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus ſum propter Chriſtum detriménta. * Indui autem. *Baruch.* 4. 20. 22. *Philip.* 3. 7.

℟. 6. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro ſancto tuo, quem probáſti in tentatióne. * Dixit patri ſuo & matri ſuæ; Néſcio vos; & frátribus ſuis: Ignóro vos. ℣. Fide obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: & éxiit, néſciens quò iret. * Dixit. Glória. * Dixit. *Deuter.* 33. 8. 9. *Hebr.* 11. 8.

IN III. NOCTURNO.

Orationes & alia pœnitentiæ opera.

Ant. t. 7. *D.* Póſui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, ſacco, & cínere. *Dan.* 9. 3.

Ant. t. 3. *a.* Nomen tuũ, Dómine, & memoriále tuum in deſidério ánimæ. *Iſ.* 26. 8.

Ant. t. 8. *C.* Anima mea deſiderávit te in nocte; ſed & ſpíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te. *Iſ.* 26. 9.

℣. Propter verba labiorũ tuórum, ℟. Ego cuſtodívi vias duras. *Pſal.* 16. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Secéſſerat in deſértū locum, ibíque * Inter feras vitam in móntibus cum ſuis agébat: ne partícipes eſſent coinquinatiónis. ℣. In omni oratióne, & obſecratióne, cum gratiárum actióne.* Inter feras... 2. *Mach.* 5. 27. *Philip.* 4. 6.

℟. 8. Opéruit cilício carnem ſuam, * Jejunávit, & dormívit in ſacco, & ambulávit demíſſo cápite. ℣. In vigíliis multis, in fame & ſiti, in frígore & nuditáte. * Jejunávit... 3. *Reg.* 21. 27. 2. *Cor.* 11. 27.

℟. 9. Hic multis tempóribus * Continéntiæ propóſitum ténuit, corpúſque & ánimam trádere conténtus pro perſeverántia. ℣. Mortificátus carne, vivificátus autem ſpíritu. * Continéntiæ.. Glória.. * Continéntiæ. 2. *Mach.* 14. 38. 1. *Pet.* 3. 18.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd totum ſe Deo voverit, abundat conſolationibus.

℣. *Sacerd.* Abſcóndit me Dóminus in tabernáculo ſuo; ℟. In die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui. *Pſal.* 26. 5.

Ant. t. 8. *C.* EGo in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro ſalúte Dño. *Jonæ.* 2. 10.

Ant. t. 1. *F.* Non ſedi in concílio ludéntium: ſolus ſedébam, quóniam comminatióne repléſti me. *Jerem.* 15. 17.

Ant. t. 4. *A.* Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ant. t. 6. *F.* Exíſtimo ómnia detriméntū eſſe propter eminéntem ſciéntiam Jeſu Chriſti. *Philip.* 3. 8.

Ant. t. 5. *A.* Gaúdeo in paſſiónibus, & adímpleo ea quæ deſunt paſſiónum Chriſti, in carne mea. *Coloſ.* 1. 24.

Capitulum. Eccli. 51. 35. 36.

VIdéte óculis veſtris, quia módicùm laborávi, & invéni mihi multā réquiem. Aſſúmite diſciplínam in multo número argenti, & copióſum aurum poſſidéte in ea.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es ſpes mea, ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Pſal.* 141. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Mihi vívere Chriſtus eſt; & mori lucrum. *Philip.* 1. 21.

ORATIO, *ſi ſit Abbas.*

OMnípotens ſempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & interceſſióne beáti N. Abbátis cujus ſolémnia celebrámus, ut purificátis ab omni ſæculi deſidério méntibus, te ſolo dívites eſſe velímus; Per, &c.

ALIA ORATIO, *ſi non ſit Abbas.*

DEus, qui nos, ádmones, exémplo beáti *N.* temporália deſpícere, & ad ætérna feſtináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipſo pro nobis interce-

dénte, implére valeámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 17. 18.

EXíte de médio eórum, & ſeparámini, dicit Dóminus, & immúndum ne tetigéritis; & ego recípiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios.

In Dupl. ℟. Dixit ad illum Dóminus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrávero tibi. * Tunc éxiit. ℣. Velut fílius Altíſſimi obédiens. * Tunc.. Glória. * Tunc. *Act.* 7. 3. 4. *Eccli.* 4. 11.

℣. Dixi; Quis dabit mihi pennas ſicut colúmbæ?

℟. Volábo & requiéſcam. *Pſal.* 54. 7.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Extráneus factus ſum * Frátribus meis. Extráneus. ℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. * Frátribus. Glória. Extráneus. *Pſal.* 68. 9.

℣. Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; ℟. Factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto. *Pſal.* 101. 7. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2. 15. 16.

SI quis díligit mundum, non eſt cháritas Patris in eo; quóniam omne quod eſt in mundo, concupiſcéntia carnis eſt, & concupiſcéntia oculórum, & ſupérbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid. ℣. Deus cordis mei & pars mea. * Et à te. Glória. Quid. *Pſal.* 72. 25. 26.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, ℟. Et cálicis mei. *Pſal.* 15. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 26. 27.

EGo ſic curro, non quaſi in incértum; ſic pugno, non quaſi äerem vérberans; ſed caſtígo corpus meum, & in ſervitútem rédigo.

℟. *br.* Cùm mihi moléſti eſſent, * Induébar cilício. Cùm. ℣. Humiliábã in jejúnio ánimam meam. * Induébar. Glória. Cùm mihi. *Pſal.* 34. 13.

℣. Anticipavérunt vigílias óculi mei. ℟. Cogitávi dies antíquos. *Pſal.* 76. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

Enumerántur illius opera in æternum remuneranda.

Ant. 1. 3. a. ISte cuſtodívit ánimam ſuam: & memor fuit Dómini in toto corde ſuo. *Tob.* 1. 12. 13.

Ant. 1. 8. *C.* Abjécit veſtiméntum ſuum à ſe, & indútus eſt ſacco, & ſedit in cínere. *Jonæ.* 3. 6.

Ant. 1. 1. *A.* Majóres divítias æſtimans theſáuro Ægyptiórum, impropérium Chriſti, fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 26. 27.

Ant. 1. 7. *C.* Vir erat religióſus, ac timens Deum, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 1. 2.

Ant. t. 6. F. In cáſulis habitándo, expectábat fundaménta habéntem civitátem: cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 9. 10.

Capitulum. Hebr. 12. 11.

OMnis diſciplína, in præſénti quidem vidétur non eſſe gaúdii, ſed mœróris: poſtea autem fructum pacatíſſimum exercitátis per eam reddet juſtítiæ.

HYMNUS. *Ex Sant. Vict.*

Quid tu, relíctis úrbibus,
Mortálium conſórtia
Timens fugis? Quid tu vides,
Solúſque tecum cógitas?
Mentis voláru líbero,
Percúrris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus
Transfers Deo commércia.
Præſens choris cœléſtibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuéndo Númini,
Totus coléndo tú vacas.
Quàm pura, qui te díligunt,
O Chriſte, libant gaúdia!
Te propter antris ábditos
Tuo recóndis in ſinu.
Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Aſcenſiónes in corde ſuo diſpoſuit, ℟. In valle lacrymárum. *Pſal.* 83. 6 7.

Ad Magn. *Ant. t. 7. A.* Omnis qui relíquerit domū, vel fratres, aut ſoróres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meū, céntuplum accípiet, & vitam ætérnam poſſidébit. *Matth.* 19. 29.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS LAICI JUSTI.

AD I. VESPERAS.

Viro juſto quantæ promiſſiones factæ.

Ant. t. 1. D. FOrtitúdo símplicis via Dómini juſtus in ætérnum non commovébitur. *Prov.* 10. 29. 30.

Ant. t. 2. D. Timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gaúdium. *Eccli.* 1. 12.

Ant. t. 6. f. Tenébit juſtus viam ſuam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. *Job.* 17. 9.

Ant. t. 4. F. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus conſummatiónis illíus benedicétur. *Eccli.* 1. 19.

Ant t. 5. A. Quaſi virens fólium germinábit; fructus juſti lignum vitæ. *Prov.* 11. 28. 30.

Capitulum. Eccli. 31. 8. 9.

BEátus qui invéntus eſt ſine mácula; & qui poſt aurum non abiit, nec ſperávit in pecúnia, & theſaúris. Quis eſt hic & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita ſua.

In Dupl. ℟. Qui in via peccatórum non ſtetit, erit tamquam lignum quod plan-

rátum eſt ſecus decúrſus aquárum quod fructum ſuum dabit in témpore ſuo; * Et † Fólium ejus non défluet.

℣. Cóngregat fructum in vitam æternam. * Et fólium. Glória. † Fólium. *Pſ.* 1. 1. 3. *Joan.* 4. 36.

HYMNUS. *Ex Sant. Vict.*

Non parta ſolo ſánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ ſuos
Habent triúmphos, prælia.

Non iſte flammas, non cruces,
Non ſenſit uncos péctines;
Crudélis & durus ſibi,
Se morte lentâ cónficit.

Si lictór illi défuit,
Si vincla, fuſtes, úngulæ;
Paráta pro Chriſto mori,
Hoc ſupplet omne cháritas.

Corpus ſubégit cáſtitas,
Et líberam mentem fides;
Amor ſupérnis ígnibus
Totam litávit hóſtiam.

Venis apértis ómnibus,
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fuſus in fletum cruor.

Da, Chriſte, nos ſic vívere,
Diſcámus ut ſemper mori:
Da, poſt brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gaúdia.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Beátus vir cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus; ℟. Et non reſpéxit in vanitátes & insánias falſas. *Pſal.* 39. 5.

Ad Magn. Ant. t. 5. *F.* Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparáſti expectántibus te. *Iſ* 64. 4.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Remuneratórem inquiréntibus ſe Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

IN I. NOCTURNO.

Per fidelem mandatorum obſervantiam cuſtodit ſe ab omni macula.

Ant. t. 1. *D.* Erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 1. 1.

Ant. t. 5. *F.* Præcépta ſúſcipit, ámbulat ſimplíciter, ámbulat confidénter. *Prov.* 10. 8. 9.

Ant. 2. *t.* d. Exquiſívit Dóminum, cùmque requíreret, diréxit eum in ómnibus. 2. *Paral.* 26. 5.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non ſupplantabúntur greſſus ejus. *Pſal.* 36. 31.

Lectiones ex Scriptura occurente.

℟. 1. Qui ámbulat in juſtítiis, & lóquitur veritátem, & claudit óculos ſuos ne vídeat malum, * Iſte in excélſis habitábit. Regem in decóre ſuo vidébunt óculi ejus.

℣. Si quis emundáverit ſe, erit vas in honórem ſanctificátum Dómino. * Iſte. *Iſ.* 33. 15. 16. 17. 2. *Tim.* 2. 21.

℟. 2. Innocens mánibus & mundo corde, qui non accé-

pit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo, * Hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℣. Qui vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, declínet à malo, & fáciat bonum. * Hic accípiet. *Pſ.* 23. 4. 5. 1. *Petr.* 3. 10. 11.

℟. 3. Quàm magnus, qui invénit ſciéntiam! ſed non eſt ſuper timéntem Dóminum. * Beátus homo, cui donátum eſt habére timórem Dei: † Cui aſſimilábitur? ℣. Símilis eſt hómini ædificánti domum, qui fodit in altum, & póſuit fundaméntum ſuper petram. * Beátus. Glória. † Cui. *Eccli.* 25. 13. 15. *Luc.* 6. 48.

IN II. NOCTURNO.

Juſtus, bonis operibus in dies juſtificatur adhuc.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum currit juſtus, & exaltábitur. *Prov.* 18. 10.

Ant. t. 3. a. Quaſi lux ſplendens, procédit, & creſcit uſque ad perféctam diem. *Prov.* 4. 18.

Ant. t. 1. *A.* In hora velóci procéſſus illíus fructíficat. *Eccli.* 11. 24.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri; ℟. Cùm dilatáſti cor meum. *Pſal.* 118. 32.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Lætátum eſt cor meum: ambulávit pes meus iter rectum à juventúte mea. * Zelátus ſum bonum, & non confúndar. ℣. Quæ retrò ſunt oblivíſcens, ad ea verò quæ ſunt prióra exténdens meipſum. * Zelátus. *Eccli.* 51. 20. 24. *Philip.* 3 13.

℟. 5. Auris aúdiens beatificábat me, & óculus videns teſtimónium reddébat mihi: * Eò quòd liberáſſem paúperem vociferántem, & pupíllum, cui non eſſet adjútor. ℣. In me clarificábant Deũ. * Eò quòd. *Job.* 29. 11. 12. *Gal.* 1. 24.

℟. 6. Ambulávit ſervus tuus in conſpéctu tuo in veritáte, & juſtítia, & recto corde tecum: * Cuſtodíſti ei, Dómine, miſericórdiam tuã grandem. ℣. In ſua generatióne cùm adminiſtráſſet voluntáti Dei.* Cuſtodíſti. Glória. * Cuſtodíſti 3. *Reg.* 3. 6. *Act.* 13. 36.

IN III. NOCTURNO.

Eò quòd dilexerit Deum, & in mandatis ejus ambulare perſeveraverit, hinc maximâ mercede dignus.

Ant. t. 7. a. De omni corde ſuo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum. *Eccli.* 47. 10.

Ant. t. 3. a. Non erat ſímilis ei, & diléctus Deo ſuo erat. 2. *Eſd.* 13. 26.

Ant. t. 2. *D.* Immóbilis in Dei timóre permánſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. *Tob.* 2. 14.

℣. Adhæſit ánima mea poſt te; ℟. Me ſuſcépit déxtera tua. *Pſal.* 62. 9.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Sapiéntia juſtum dedúxit per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei: * Dedit illi ſciéntiam ſanctórũ: honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei juſtítia eſt, & pax in Spíritu ſancto: qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo. * Dedit illi. *Sap.* 10. 10. *Rom.* 14. 17. 18.

℟. 8. Beátus qui in iſtis verſátur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ad ómnia valébit; * Quia lux Dei, veſtígium ejus eſt. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit, ſed tránſiit à morte in vitam. * Quia. *Eccli.* 50. 30. 31. *Joan.* 5. 24.

℟. 9. Probátus & perféctus eſt; pótuit tránſgredi, & non eſt tranſgréſſus; fácere mala, & non fecit: * Ideò ſtabilíta ſunt bona illíus in Dómino, & † Eleemóſynas illíus enarrábit omnis Eccléſia ſanctórum. ℣. Factum eſt ut moreretúr, & portarétur ab Angelis in ſinum Abrahæ. * Ideò. Glória. † Eleemóſynas. *Eccli.* 31. 10. 11. *Luc.* 16. 22. Te Deum.

AD LAUDES.

Juſto in virtutibus ſuis gratulatur Eccleſia.

℣. *Sacerd.* Lux orta eſt juſto, ℟. Et rectis corde lætítia. *Pſal.* 96. 11.

Ant. *t.* 3. a. Te vidi juſtũ coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

Ant. *t.* 2. *D.* In veritáte ámbulas, fidéliter facis quidquid operáris. 3. *Joan.* 3. 5.

Ant. *t.* 8. *G.* Charitátem & fidem habes in Dómino Jeſu, & in omnes ſanctos; ut communicátio fidei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 5. 6.

Ant. *t.* 1. *A.* Oratiónes tuæ, & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Ant. *t.* 3. a. Beátus ſervus quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit ſic faciéntem. *Matth.* 24. 46.

Capitulum. 2. *Cor.* 1. 12.

Glória noſtra hæc eſt, teſtimónium conſciéntiæ noſtræ, quòd in ſimplicitáte cordis & ſinceritáte Dei, & non in ſapiéntia carnáli, ſed in grátia Dei conversáti ſumus in hoc mundo.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec eſt in ſpíritu ejus dolus. *Pſal.* 31. 2.

Ad. Benedic. *Ant.* *t.* 1. *D.* Serve bone & fidélis, quia ſuper pauca fuíſti fidélis, ſupra multa te conſtítuam. *Matth.* 25. 21.

Oratio.

Adeſto, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris quas in beáti N. feſtivitáte deférimus; ut qui nóſtræ juſtítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jacob. 1. 25.

QUi perſpéxerit in legẽ perfectam libertatis, & permánſerit in ea, non audítor obliviófus factus, ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit.

In Dupl. ℟. Spem habens in Deum, reſurrectiónem futúram juſtórum; * In hoc & ipſe ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum, & ad hómines ſemper. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéſſi, & in ſinu meo abſcóndi verba oris ejus. * In hoc. Glória. * In hoc. *Act.* 24. 15. 16. *Job.* 23. 12.

℣. Servávi mandáta tua, Dómine; ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpéctu tuo. *Pſal.* 118. 168.

In. Semid. & Simp. ℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. * Qui timet. Glória. Beátus. *Pſal.* 111. 1.

℣. Judícia Dómini vera. ℟. In cuſtodiéndis illis retribútio multa. *Pſal.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. 1. 27.

REligio munda & immaculáta apud Deum, hæc eſt, Viſitáre pupíllos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſæculo.

℟. *br.* Diſpérſit, * Dedit paupéribus. Diſpérſit. ℣. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. * Dedit. Glória. Diſpérſit. *Pſal.* 111. 9.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & paúperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Pſal.* 40. 2.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15. 7. 8.

JUſtítia longè abeſt à ſupérbia & dolo, viri mendáces non erunt illíus mémores: & viri veráces inveniéntur in illa, & ſucceſſum habébunt uſque ad inſpectiónem Dei.

℟. *br.* Non egit dolum. * In lingua ſua. Non. ℣. Nec fecit próximo ſuo malum: * In lingua. Glória. Non. *Pſal.* 14. 3.

℣. Hæc eſt generátio quæréntium Dóminum, ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Pſal.* 23. 6.

AD II. VESPERAS.

Operum ſuorum mercedem accipit juſtus.

Ant. t. 6. f. ECce verè Iſraelíta, in quo dolus non eſt. *Joan.* 1. 47

Ant. t. 3. *A.* Vir erat timens Deum, fáciens eleemóſynas multas, & déprecans Deum ſemper. *Act.* 10. 1. 2.

Ant. t. 3. a. Non præteriit de univérſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. *Joſue.* 11. 15.

Ant. t. 6. f. Miráti ſunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

Ant. t. 7. *D.* Diléctus Deo & homínibus; cujus memó-

ria in benedictióne eſt. Símilem illum fecit Dóminus in glória ſanctórum. *Eccli.* 45. 1. 2.

Capitulum. *Gal.* 6. 8.

FRatres, Quæ ſemináverit homo, hæc & metet: quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

Ex S. Victor.

QUi te, Deus, ſub íntimo
Amans récipit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus ſuî.

Quid ergo gaudes néctere
Triſtes moras amántibus?
Terris retárdas éxules
Cives polo quos déſtinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad aſtra feſtinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iſte tardi córporis
Pondus moléſtum súſtinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo ſe júngere.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. In memória ætérna erit juſtus. ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſal.* 111. 7. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *A.* Sic glorificávit eum Dóminus, & laudávit eum in benedictiónibus, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 7.

Oratio ut ſupra in Laudibus.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

AD I. VESPERAS.

Promiſſiones Virgini factæ.

Ant. t. 1. *A.* A Modò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jerem.* 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* Non vocáberis ultrà Derelícta; quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 4.

Ant. t. 8. *C.* Eris coróna glóriæ in manu Domini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Iſ.* 62. 3.

Ant. t. 7. *D.* Dóminum elegíſti, ut ſit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

Ant. t. 5. *F.* Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo juſtítiæ, mons ſanctus. *Jerem.* 31. 23.

Capitulum. *Oſée* 2. 19.

SPonſábo te mihi in ſempitérnum: & ſponſábo te mihi in juſtítia, & judício, & in miſericórdia, & in miſeratiónibus.

In Duplic. ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuã: * Oblivíſcere pópulum tuum, & domum patris tui; & concupíſcet Rex decórem tuũ; † Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. ℣. Virgo cógitat

quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. * Oblivíſcere. Glória. † Quoniã. *Pſ.* 44. 11. 12. 1. *Cor.* 7. 34.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex S. Victor.

Feſtis læta ſonent æthera cántibus:
Nunc aptáte tubas, ſúmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Chriſti dícite Mártyrem.

Veſtris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponſo virgíneum, fúndere ſánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præclára ſítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos ſuperéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna ſui córporis, íntegram
Teſtári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque ſacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia ſuſtinent
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

Si non ſit Martyr.

HYMNUS.

Ex Sanct. Victor.

Vos ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponſum virgíneo progénitum ſinu
Puris tóllite laúdibus.

Hæc eſt feſta dies cælítibus ſacra,
Quâ plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponſo ſponſa Deo próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Mortáles thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réſpuit:
Sponſo perpétuo fœdere júngitur,
Sponſæ ſe Deus óbligat.

Ægro vix ſua ſunt pábula córpori:
Nil cernunt óculi, nil ſonat aúribus;
Morti quod ráperet próvida prærípit;
Unus ſit Deus ómnia.

Fac, ô Chriſte! tuæ Vírginis æmulos
Nos inſtáre ſacrâ, quâ gráditur, viâ:
Qui gens ſancta ſumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, ſumme Pater, tóllere laúdibus:
Da te, Chriſte, ſequi, laúrea Vírginum:
Fac incénſa tuis, Spíritus, árdeant

Flammis

Flammis, frígida péctora. Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte: ℟. Et póſuit immaculátam viam meam. *Pſal.* 17. 33.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Quid bonum Dómini eſt, & quid pulchrum ejus, niſi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9. 17.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Agnum quem ſequúntur Vírgines * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

IN I. NOCTURNO.

Virginitatis laus.

Ant. t. 1. *a.* Omnis ponderátio non eſt digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. t. 8. *G.* Incorrúptio facit eſſe próximum Deo. *Sap.* 6. 20.

Ant. t. 5. *a.* Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum regem. *Prov.* 22. 11.

℣. Beáti immaculáti in viâ; ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Pſ.* 118. 1.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. O quàm pulchra eſt caſta generátio cum claritáte! * Immortális eſt enim memória illíus, quóniam & apud Deum nota eſt, & apud hómines.

℣. Relígio munda apud Deum & Patrem, hæc eſt: Immaculátum ſe cuſtodíre ab hoc ſæculo. * Immortális.. *Sap.* 4. 1. *Jac.* 1. 27.

℟. 2. Felix eſt ſtérilis: * Et incoinquináta, quæ neſcívit thorum in delícto, habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctarũ. ℣. Reddet Deus iis qui ſecúndùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Et incoinquináta.. *Sap.* 3. 13. *Rom.* 2. 6. 7.

℟. 3. Magna facta eſt, & præclárior erat univérſæ terræ Iſrael: * Erat étiam virtúti cáſtitas adjúncta. ℣. In opéribus bonis teſtimónium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt.. * Erat.. Glória.. * Erat.. *Judith.* 16. 25. 26. 1. *Tim.* 5. 10.

IN II. NOCTURNO.

Tota ſponſo Chriſto devota Virgo, in nullo alio lætatur.

Ant. t. 3. *E.* Ego Dilécto meo, & Diléctus meus mihi, qui páſcitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. t. 4. *E.* Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, tu ſcis quòd numquam lætáta ſit ancílla tua, niſi in te, Dómine Deus. *Eſth.* 14. 14. 16. 18.

Ant. t. 7. *D.* Quia complácui Dómino, ſecũdùm mundítiam mánuum meárũ reddet mihi. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

℣. Deus meus impollúta via ejus: ℟. Protéctor eſt ómnium ſperántium in ſe. *Pſ.* 17. 31.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me

veſtiméntis ſalútis : * Et induménto juſtítiæ circúmdedit me, quaſi ſponſum decoratum corónâ, & quaſi ſponſam ornátam monílibus ſuis. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me.*Et induménto.. Iſ. 61. 10. Gal. 2. 20.

℟. 5. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua. Lex tua meditátio mea eſt. * Fiat cor meum immaculátum in juſtificatiónibus tuis, ut non confúndar. ℣. Secúndum expectatiónem & ſpem meam magnificabitur Chriſtus in córpore meo. * Fiat.. Pſal. 118. 75. 77. 80. Philip. 1. 20.

℟. 6. Diléctus meus, eléctus ex míllibus, * Totus deſiderábilis; & † Ipſe eſt amícus meus, filiæ Jeruſalem. ℣. Vivo, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus * Totus. Glória. † Ipſe eſt.. Cant. 5. 10. 16. Gal. 2. 20.

IN III. NOCTURNO.

Virginem ſibi ſponſam aſſumit Chriſtus, & coronat.

Ant. t. 5. *F.* In charitáte perpétuâ diléxi te : ídeò attráxi te, míſerans. *Jerem.* 31. 3.

Ant. t. 6. *f.* Deo placent ópera tua : omni témpore ſint veſtiménta tua candida. *Eccle.* 9. 7. 8.

Ant. t. 8. *G.* Veni de Líbano, ſponſa mea, veni : coronaberis. *Cant.* 4. 8.

℣. Corónat te Dóminus in miſericórdiâ, ℟. Et miſerationibus. *Pſ.* 102. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dábitur illi ſors in templo Dei acceptíſſima. * Bonórum enim labórum glorióſus eſt fructus, & quæ non cóncidat radix ſapiéntiæ; ℣. Beáti mundo corde, quóniã ipſi Deum vidébunt. * Bonórum.. *Sap.* 3. 14. 15. *Matth.* 5. 8.

℟. 8. Ingréſſus ſum pactum tecum, & facta es mihi. * Dedi corónam decóris in cápite tuo; & profeciſti in regnum : qnia perfécta eras in decóre meo. ℣. Scient quia ego diléxi te. * Dedi corónam.. *Ezech.* 16. 8. 12. 13. 14. *Apoc.* 3. 9.

℟. 9. Immortális eſt apud Deum. * Et † In perpétuum coronáta triúmphat incoinquinatórum certáminũ præmium vincens. ℣. Gaudio gaudet propter vocem ſponſi. * Et in.. Glória. † In perpétuum.. *Sap.* 4. 1. 2. *Joan.* 3. 29.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quantus Virginis in Deum amor.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini;

℟. Quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus. *Pſ.* 148. 12. 13.

Ant. t. 4. *E.* VOx Diléctí mei pulsántis : Aperi mihi, ſoror mea, immaculáta mea. *Cant.* 5. 2.

Ant. t. 7. *A.* Invéni quem

díligit ánima mea: ténui eum; nec dimíttam. *Cant.* 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Pone me ut ſignáculum ſuper cor tuum; quia fortis eſt ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6.

Ant. t. 5. *F.* Diléctus meus ordinávit in me charitátem; fulcíte me flóribus, ſtipáte me malis. *Cant.* 2. 3. 4. 5.

Ant. t. 6. *f.* Sub umbra illíus, quem deſideráveram, ſedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Capitulum. Sap. 8. 21.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

℣. In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam, ℟. Laudatiónes tibi. *Pſ.* 55. 12.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Tu ſcis, Dómine, quia númquam concupívi virum, & mundam ſervávi ánimã meã ab omni concupiſcéntia. *Tob.* 3. 16.

Oratio pro Virgine & Martyre.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in ſexu frágili victóriam mártyrii contuliſti: concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per, &c.

Si non ſit Martyr. Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco conſtituíſti: concéde ut qui fidélis ſponſæ tuæ N. puritátem húmili venerámur obſéquio, piæ converſatiónis ſequámur exémplo; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui mundi contémptum, diligéntibus te inſpiráſti; da nobis in feſtivitáte beátæ N. Vírginis, ejus interceſſióne terréna deſpícere, & tibi ſoli fírmiter adhærére; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNuſquiſque próprium donum habet ex Deo: álius quidem ſic, álius verò ſic. Dico autem non nuptis, & víduis: bonum eſt illis ſi ſic permáneant.

In Duplic. ℟. Audívi vocem de cœlo, & vocem, quam audívi, ſicut citharizántium in cítharis ſuis. Et * Cantábant quaſi cánticum novum, ante ſedem Agni. ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.. * Cantábant.. Glória.. * Cantábant. *Apoc.* 14. 2. 3. *Pſ.* 96. 8.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Pſ.* 68. 31.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Pſallam, & intélligam * In viâ immaculátâ. Pſallam... ℣. In innocéntia cordis mei, * In viâ.. Glória.. Pſallam.. *Pſ.* 100. 1. 2.

℣. Immíſit in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo noſtro. *Pſ.* 39. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 34.

MUlier innúpta, & Virgo cógitat quæ Dómini ſunt; ut ſit ſancta córpore, & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi eſt in cœlo? * Et à te quid vólui ſuper terram? Quid mihi.. ℣. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. * Et à te.. Glória.. Quid mihi. *Pſ.* 72. 25. 26.

℣. Quæ eſt expectátio mea? ℟. Nonne Dóminus? *Pſalm.* 38. 8.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 11. 2.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne. Deſpóndi enim vos uni viro Vírginem caſtam exhibére Chriſtó.

℟. *br.* Afferéntur regi Vírgines, * In lætítia & exultatióne.. Afferéntur.. ℣. Adducéntur in templum regis.* In lætítia.. Glória.. Afferéntur.. *Pſ.* 44. 15. 16.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum ℟. In honóre tuo. *Pſ.* 44. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Quænam ſint prudentes Virgines ad nuptias Agni admittendæ.

Ant. t. 1. *A.* VIrgines accipiéntes lámpades ſuas, exiérunt óbviàm ſponſo. *Matth.* 25. 1.

Ant. t. 4. *E.* Prudéntes accepérunt óleum in vaſis ſuis, & ornavérunt lámpades ſuas. *Matth.* 25. 4. 7.

Ant. t. 2. *d.* Médiâ nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite óbviàm ei. *Matth.* 25. 6.

Ant. t. 3. *a.* Venit ſponſus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25. 10.

Ant. t. 1. *D.* Vírgines ſequúntur Agnum, quocúmque íerit: ſine mácula enim ſunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4. 5.

Capitulum. Iſ. 56. 4. 5.

HÆc dicit Dóminus: Dabo eis, in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen mélius à filiis & filiábus: nomen ſempitérnum dabo eis: quod non períbit.

HYMNUS.

Pro Vírgine & Martyre.

Ex Sant. Vict.

QUid ſacram, Virgo, generóſa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino repórtas
Hoſte triumphum.

Móllior fregit neque te volúptas;
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

Líliis ſponſus récubat, roſiſque;

Tu, tuo ſemper bene fida
ſponſo,
Et roſas Martyr, ſimul &
dedíſti
Lília Virgo.
Summa laus Patri, genitó-
que Verbo,
Et tibi compar, utriúſque
Nexus;
Fac tibi ſemper placeá-
mus uni
Móribus æquis. Amen.

HYMNUS.

Si non ſit Martyr.

Ex Sant. Vict.

Coeléſtis aula pánditur;
En Sponſus; omnes óbviæ
Exíte ſponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.
Hæc nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſíngulis
Jam plénius frui Deo.
Quæ caſta vobis gaúdia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid virgo terris ámbiat?
O virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus;
Divína qui perénnibus
Firmas ſigíllis fœdera.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit;
℟. Non confundéntur in témpore malo. *Pſalm.* 36. 18. 19.

Ad Magnif. Antiph. t. 7. D. In reſurrectióne, neque nubent, neque nubéntur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE MULIERIS SANCTÆ VEL VIDUÆ.

AD I. VESPERAS.

Mulieris ſanctæ imago.

Ant. t. 1. irr. Sicut ſol óriens mundo in altíſſimis Dei, ſic Mulíeris bonæ ſpécies in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26. 21.

Ant. t. 3. A. Grátia ſuper grátiam, Múlier ſancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Ant. t. 3. E. Múlier fortis obléctat virum ſuum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. t. 4. E. Vana eſt pulchritúdo; Múlier timens Dóminum ipſa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

Ant. t. 7. D. Fundaménta ætérna ſupra petram ſólidam, & mandáta Dei in corde Mulíeris ſanctæ. *Eccli.* 26. 24.

Capitulum. Prov. 31. 10. 11.

MUlíerem fortem quis invéniet? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri ſui, & ſpóliis non indigébit.

In Duplic. ℟. Pars bona, Múlier bona, * In parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. ℣. Múlier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor, * In parte. Glória. * In parte. *Eccli.* 26. 3. *Act.* 16. 14.

HYMNUS.

Ex Sant. V. B.

ADéſte, ſanctæ Cónjuges,
En illa fortis Fœmina
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

Blandos ut hoſtes vínceret,
Hanc fortitúdo véſtiit:
Ut proſit intuéntibus,
Cœléſtis ornávit decor.

Non vana pompa ſæculi
Senſus feféllit, nec malis
Gliſcens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véſtium,
Non crine torto ſpléndüit;
Cultu nitens ſed símplice,
Puris placébat móribus.

Se ſub ſerénis vúltibus
Auſtera virtus occulit:
Timet vidéri, ne ſuum,
Dum prodit, amíttat decus.

Prodeſſe quærit ómnibus
Curis honéſtis ánxia;
Patróna, cuſtos Vírginum,
Secúnda mater órphanis.

Ætérne tu Verbi Pater;
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória. Amen.

℣. Deus habitáre facit in domo, ℟. Matrem filiórum lætántem. *Pſ.* 112. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.* Fáciat Dóminus hanc Mulíerem, ſicut Rachel & Liam; ut ſit exémplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ruth.* 4. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Deum in quo ſanctæ Mulíeres ſperavérunt; * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

IN I. NOCTURNO.

Mulieris ſanctæ bona in domo ſuâ converſatio.

Ant. t. 1. *irr.* Inítium ſapiéntiæ, timor Dómini, & cum eléctis Fœminis gráditur. *Eccli.* 1. 16.

Ant. t. 1. *A.* Mulíeris bonæ beátus vir: númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26. 1.

Ant. t. 8. *C.* Filii, & ædificátio civitátis confirmábit nomen, & ſuper hæc Múlier immaculáta computábitur. *Eccli.* 40. 19.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur; ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24. 13.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. Grátia Mulíeris ſédulæ delectábit virum ſuũ, * Diſciplína illíus, datum Dei eſt. ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, diſcat domum ſuam régere; hoc enim ac-

céptum eſt córam Deo. * Diſciplína.. *Eccli.* 26. 16. 17. 1. *Tim.* 5. 4.

℟. 2. Lex cleméntiæ in lingua ejus, * Conſiderávit ſémitas domûs ſuæ, & panem otióſa non comédit. ℣. Quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.. * Conſiderávit.. *Prov.* 31. 26. 27. 1. *Tim.* 2. 10.

℟. 3. Surrexérunt filii ejus, & beatíſſimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. ℣. Vir imágo & glória Dei eſt, Múlier autem glória viri eſt. * Vir.. Glória. * Vir ejus.. *Prov.* 31. 28. 1. *Cor.* 11. 7.

IN II. NOCTURNO.

Orationi intenta Mulier, à rebus vanis & malorum conſortio longè fugit.

Ant. t. 7. D. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine, ádjuva me, cujus præter te nullus eſt auxiliátor álius. *Eſth.* 14. 3.

Ant. t. 6. F. Tu ſcis, Dómine, quia virum cum timóre tuo consénſi ſuſcípere. *Tob.* 3. 16. 18.

Ant. t. 8. G. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine, qui conſolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ. *Ruth.* 2. 13.

℣. Meditátio cordis mei, Dómine, ℟. In conſpéctu tuo ſemper. *Pſ.* 18. 15.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Miſericórdia tua, Dómine, ante óculos meos eſt; & compIácui in veritáte tuâ: * Non ſedi cum concílio vanitátis; & odívi eccléſiam malignántium: ℣. Corrúmpunt mores bonos colloquia mala. * Non ſedi... *Pſ.* 25. 3. 4. 5. 1. *Cor.* 15. 33.

℟. 5. Dómine, qui habes ómnium ſciéntiam, * Noſti quia óderim glóriam iniquórum, & quòd numquam lætáta ſit ancilla tua, niſi in te, Dómine. ℣. Quæ participátio juſtítiæ cum iniquitáte? * Noſti quia.. *Eſth.* 14. 14. 15. 18. 2. *Cor.* 6. 14.

℟. 6. Mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntiâ, * Numquam cum ludéntibus míſcui me: neque cum his, qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Grátias ago Deo, cui ſérvio in conſciéntiâ purâ, * Numquam. Glória. * Numquam. *Tob.* 3. 16. 17. 2. *Tim.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Mulier ſancta virtutibus ſuis & operum gloriâ fit omnibus in exemplum.

Ant. t. 4. E. Indue te decóre ſempitérnæ glóriæ: Deus enim oſténdet ſplendórem ſuum in te. *Baruch.* 5. 1. 3.

Ant. t. 3. a. Gaudébit ſuper te Dóminus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. *Soph.* 3. 17.

Ant. t. 6. f. Deus det tibi grátiam, ut ſit nomen tuum in número ſanctórum

puli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Ant. t. 6. *f.* Eò quòd caſtitátem amáveris, manus Dómini confortávit te. *Jud.* 15. 11.

Ant. t. 8. *G.* Benedícta es à Dómino, & priórem miſericórdiam poſterióre ſuperaſti; quia non es ſecúta júvenes. *Ruth.* 3. 10.

Ant. t. 5. *a.* Scit omnis pópulus Mulíerem te eſſe virtùtis. *Ruth.* 3. 11.

Ant. t. 7. *c.* Dominus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 15.

MUlier ſalvábitur per filiórum generatióně, ſi permánſerit in fide & dilectióne, & ſanctificatióne cum ſobrietáte.

HYMNUS *Ex Sanct. Vict.*

O Jam beáta, quæ ſuo
Tandem ſolúta córpore,
Vinclis perenniòribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus coelum petit,
His ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos ſolútæ Cónjuges.

Insígnis & nos Fœminæ
Sequi decet veſtígia,
Magnum vel ipſis quæ fuit,
Virtútis exémplum viris.

Queis arſit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus,
Eóque, quo te vis coli,
Amore, fac mens te colat.

Æterne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utrique, Spíritus,
Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino.

℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Date ei de fructu mánuum ſuárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PATRONI
PRIVATÆ ALICUJUS ECCLESIÆ
VEL PATRONÆ,
Aut etiam plurium Patronorum.
Duplex I. *Claſ.* *Annuale.*

Omnia de Communi conveniente, ſecundùm qualitatem Patroni, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro ſecúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 7. *ad* 11.

MAchabæus ſemper confidébat cum omni ſpe auxílium ſibi à Deo affuturum. Et hortabátur ſuos ne formidárent ad advéntum natiónum, ſed in mente habérent adjutória ſibi facta de cœlo, & nunc ſperárent ab Omnipoténte ſibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant priùs, promptióres conſtítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, ſimul oſtendébat géntium falláciã, & juramentórum prævaricatiónem.

Lectio ij. v. 11. *ad* 14.

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & haſtæ munitióne, ſed ſermónibus óptimis, & exhortatiónibus, expóſito digno fide ſómnio, per quod univérſos lætificávit. Erat autem hujuſcémodi viſus: Oníam, qui fúerat ſummus Sacerdos, virum bonum & benígnum, verecúndum vĭſu, modéſtum móribus, & elóquio decórũ, & qui à púero in virtutibus exercitátus ſit, manus proteudéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Poſt hoc apparuíſſe & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

Lectio iij. v. 14. *ad* 18.

RESpondéntem verò Oníam dixíſſe: Hic eſt fratrum amátor, & pópuli Iſrael; hic eſt qui multùm orat pro pópulo, & universâ ſanctâ civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendíſſe autem Jeremíam déxtram, & dedíſſe Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe ſanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adverſários pópuli mei Iſ-

rael. Exhortáti ítaque Judæ ſermónibus bonis valdè, de quibus extólli poſſet ímpetus, & ánimi júvenum confortári, ſtatuérunt dimicáre & conflígere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

IN II. NOCTURNO.

Si non ſint Lectiones Propriæ.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2.

Lectio iv.

TRia ſunt quæ in feſtivitátibus Sanctórum vigilánter conſideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confuſiónem noſtram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior eſt in cœlis ante fáciem Dómini Dei ſui. Si enim dum hîc víveret, miſértus eſt peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ampliùs, quantò vériùs agnóſcit miſérias noſtras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitátem ejus non immutávit, ſed augmentávit: neque enim quia impaſſíbilis omníno, ideò & incompaſſíbilis factus eſt.

Lectio v. n. 2.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus; quia quámdiu in terris viſus eſt, & cum homínibus converſátus eſt, non declinávit ad déxteram, neque ad ſiníſtram; ſed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego ſum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo, quàm exémplo lúxerit inter hómines: quália nobis veſtígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulándum.

Lectio vj. n. 3.

SEd & diligentióri intúitu confuſiónem noſtram inſpiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit paſſíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo eſt quod non ſolùm diffícile, ſed & impoſſíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiſcámus. Hómines iſti fuérunt, qui præceſſérunt nos, qui tam mirabíliter proceſſérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuiſſe credámus. Sic ergo in Sanctórum feſtivitátibus, & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónos præmíſimus; confúndi, quia eos imitári non póſſumus.

IN III. NOCTURNO.

Si non ſit Homilia propria.

Lectio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis

veſtrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

Conſtitut. Monaſt. Cap. I.

HOc exémplum idcírco nobis propónitur à Dómino, ut in fide acres ac pertináces eſſe nos dóceat. Exémplum ab hómine ad álium hóminem ſumit; ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à ſuſcépto propóſito deſíſtere, ut vidélicet quandocúmque áliquid petíeris, neque impetráveris, támdiu perſevéres quoad ímpetres; ſi tamen ea petas, quæ voluntáti Dei non repúgnent. Neque díxeris: Peccátor ſum, & proptérea non exaúdior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi cauſam omnem præcíderet, illud adjécit: Etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amícus ejus ſit, propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet neceſſários.

Lectio viij.

OPórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem eſt non ſégniter, neque mente huc & illuc divagánte; síquidem quisquis eſt ejúſmodi, non ſolùm non conſecutúrus eſt quæ petet, imò verò Dóminum magis exaſperábit. Si enim cùm áliquis coram príncipe ſtat, ac lóquitur, ſtat cum multo timóre, atque tum extérnum, tum intérnum ánimæ óculum nequáquam vagum, ſed inténtum habet, ne fortè in áliquo perículum véniat; quantò magis coram Deo cum timóre & tremóre ſtandum eſt, mente totâ in illum ſolum, nuſquam verò áliò inténtâ. Nam ipſe non extérnum hóminem modò videt, velut hómines; ſed intérnũ étiam intuétur.

Lectio ix.

SI ſic vi tibi illátâ omne opus bonum perfícias, ne ſuperſéderis, quoad petíta conſequáre; ſed patiénter fores ejus pulſa, cum petis: Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsánti aperiétur. Quam enim áliam rem áſſequi vis, niſi ſolam ſecúndùm Deum ſalútem? Vis díſcere, ô dilécte, quómodo patiéntes fúerint Sancti, nec ſpem abjécerint? áccipe exémpla. Nos autem annum orámus, & deſíſtimus. At ſæpè, inquis, petívi, & tamen non accépi. Prorſùs quia malè petiviſti, aut dubitánter, aut vagâ mente, aut ea quæ tibi non condúcunt. Quòd ſi ſæpè étiam flagitáſti conducibília, at non perſeveráſti. Scriptum eſt enim: Qui perſeveráverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Ad *Horas in ℟. br. additur duplex* Allelúia, *ut in Annualibus.*

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Per Octavam ritus eſt Semiduplex, & in die Octava Duplex 4. Claſſ.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Antiph. ℣. & ℟℟℟. ex Nocturno diei ſecundùm Rubricam pro feriâ occurrente.

Lectio j. & ij. de Scriptura occur. (ſecunda & tertia junctis in unam.)

Lectio iij. ut infrà pro qualibet die.

Dominica intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à I. Veſperis, cum commem. Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.

SECUNDA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Gregórii Nyſſéni Epíſcopi.

Orat. de S. Theodoro.

COnſideráte, hujus puri cultûs miníſtri ſtudióſi, quanta res ſit juſtus, quàmque multas conſequátur remunerationes: & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium, & aſpiráte ad ánimum & voluntátem eorum, qui ita præ cæteris honorántur. Cui regum talis honor habétur? quis eſt ex iis, qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubegérunt, ádeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

TERTIA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Epiſtol. 22. ad Marcellinam ſororem.

GRátias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua ſancta præſídia majóra desíderat. Agnóſcant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisivi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum, quò majóra, eò tutióra patrocínia ſunt. Horum étiam illis ipſis, qui mihi eos ínvident, opto præſídia. Véniant ergo, & vídeant ſtipatóres meos: tálibus me armis ambíri non nego. Nos etſi eos videre non poſſumus, ſentímus tamen.

QUARTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mutuò pro nobis orare póſſumus: poſtquam autem mortui fuérimus, nullíus ſit pro alio exaudienda orátio. Si Apoſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti, poſſunt

orare pro cæteris, quandò pro ſe adhuc debent eſſe ſollíciti; quantò magis poſt corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyſes ſexcéntis millibus armatórũ impetrat à Deo véniam; & Stéphanus imitátor Dómini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutóribus véniam deprecátur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Baſílii Epíſcopi.

Orat. in 40. Martyres.

PArátum eſt hìc Chriſtiánis auxílium, vidélicet exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angúſtiâ, ad hos confugit: qui rurſus lætátur, ad hos occúrrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hìc múlier orans pro filiis audítur; peregrinánti viro réditum incolumem, ægrotánti verò ſalútem implórat. O ſanctum chorum! ô ſacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris cuſtódes, óptimi curarum ſocii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentiſſimi, aſtra mundi, flores Eccleſiárum! vos non terra contéxit, ſed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo ſancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epiſt. 1. ad Cor. Cap. 32. 33.

II glóriam & amplitúdinem conſecúti ſunt, non per ſeípſos aut ópera ſua, aut juſtas actiónes quas fecérunt, ſed per voluntátem Dei. Et nos igitur ex voluntáte illíus in Chriſto Jeſu vocáti, non per nos ipſos juſti efficimur, neque per ſapiéntiam noſtram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis ſanctitáte operáti ſumus; ſed per fidem, per quam cunctos, qui umquam juſti fuérunt, juſtificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? ceſſábimus à bonis opéribus, & charitátem derelinquémus? neútiquam hoc à nobis fieri permíttat Dóminus: ſed cum diligentiâ & alacritáte feſtinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes juſti. Et ipſe Dóminus cùm ſe opéribus decoráſſet, gavíſus eſt. Habéntes ítaque hoc exémplar, impigrè ad voluntátem ejus accedamus: ex totis víribus noſtris operémur opus juſtítiæ.

SEPTIMA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 1. in Epiſtol. Joan. n. 8.

JOannes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petúnt pro nobis? ergo Epíſcopi vel Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres; ſed & vos oráte pro nobis: ínvicem pto ſe ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpéllet.

IN OCTAVA.

Duplex 4. Claſ.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Feſto omnium SS. Serm. 5. n. 3. 4. & 5.

ILlórum lauda virtútem, quorum jam certa victória eſt: illos devótis extolle præcóniis, quorum ſecúrè potes adgaudére corónis... Secúrè laudantur hómines, qui non ſuâ jam vivunt vitâ, ſed Dei.. Non enim eſt quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam, ínquies, glória Sanctis? ad quid ergo Sanctis laus noſtra? ad quid glorificátio noſtra? ad quid noſtra hæc ipſa ſolémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta veracem Fílii promiſſiónem honoríficat Pater cœleſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorsùs ita eſt, dilectíſſimi, honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ ínteręſt, non ipsorum. Vultis ſcire quantúm ínteręſt noſtrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne ſéntio deſidérium véhemens inflammári. Quando & nos addémur ad patres noſtros? quando eſſentiáliter præſentábimur eis? Hoc enim primum deſidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili ſocietáte fruámur.

Lectio v. n. 10.

UT eam glóriam nobis ſperáre líceat, & ad tantam beatitúdinem adſpiráre, ſummópere nobis deſideránda ſunt ſuffrágia Sanctórum: ut quot poſſibílitas noſtra non óbtinet, eórum nobis interceſſióne donétur. Miſerémini mei, miſerémini mei,

ſaltem

ſaltem vos amíci mei. Noſtis ipſi perículum noſtrum: noſtis figméntum noſtrum: noſtis ignorántiam noſtram, & dolos adverſariórum: noſtis eórum ímpetus, & noſtram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eâdem tentatióne fuíſtis; qui eóſdem ſuperáſtis conflíctus, eóſdem láqueos evaſíſtis; qui didicíſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſiónem.

Lectio vij. n. 10. 11.

ETſi de Angelis mihi árbitror præſuméndum ob ſpirituális ſubſtántiæ & rationális formæ ſimilitúdinem; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor verténdum, quos habére me nóverim & in ipſa humanitáte consórtes; ut opórteat eos familiáriùs & ſpeciáliùs miſeréri oſſi de óſſibus meis, & carni de carne mea. Abſit, abſit à vobis, ánimæ ſanctæ, Ægyptia illa crudélitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum príſtinum reſtitútus, ſtatim oblítus eſt Joſeph ſancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla ſocíetas Iſraelítæ ad Ægyptium... Nos quoque ſi non ſumus ipsíus cápitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſolémnibus votis, & tanto gratulámur affectu? Hæc ígitur noſtra & eórum cohærentia eſt, ut nos gratulémur eis, ipſi compatiantur nobis: nos devótâ meditatióne regnémus in eis, ipſi in nobis & pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio viij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habebit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. *in Luc.* n. 87.

ALius præcépti locus eſt, ut in ómnibus moméntis, non ſolùm diébus, ſed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amico ſuo póſtulans, & in ipſa peténdi intentióne perſíſtens, non defraudátur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum? Quód ſi díligas Dóminum Deum tuū, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum trádidit? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem.

SEPTIMA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Tract. 1. in Epiſtol. Joan. n. 8.

JOannes quid dixit? Et ſi quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petúnt pro nobis? ergo Epíſcopi vel Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpóſiti comméndant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orántes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro plebe: orat plebs pro Apóſtolo. Orámus pro vobis, fratres; ſed & vos oráte pro nobis: ínvicem pto ſe ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpéllet.

IN OCTAVA.

Duplex 4. Claſ.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ ſequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Feſto omnium SS. Serm. 5. n. 3. 4. & 5.

ILlórum lauda virtútem, quorum jam certa victória eſt: illos devótis extolle præcóniis, quorum ſecúrè potes adgaudére corónis... Secúrè laudantur hómines, qui non ſuâ jam vivunt vitâ, ſed Dei.. Non enim eſt quo vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam, ínquies, glória Sanctis? ad quid ergo Sanctis laus noſtra? ad quid glorificatio noſtra? ad quid noſtra hæc ipſa ſolémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta veracem Filii promiſſiónem honoríficat Pater cæleſtis? Quò eis præcónia noſtra? Pleni ſunt. Prorsùs ita eſt, dilectíſſimi, honórum noſtrórum Sancti non egent, nec quidquam eis noſtrâ devotióne præſtátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, noſtrâ intereſt, non ipsórum. Vultis ſcire quantum intereſt noſtrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne ſéntio deſidérium véhemens inflammári. Quando & nos addémur ad patres noſtros? quando eſſentiáliter præſentábimur eis? Hoc enim primum deſidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili ſocietáte fruámur.

Lectio v. n. 10.

UT eam glóriam nobis ſperáre líceat, & ad tantam beatitúdinem adſpiráre, ſummópere nobis deſiderán da ſunt ſuffrágia Sanctórum: ut quot poſſibílitas noſtra non óbtinet, eórum nobis interceſſióne donétur. Miſerémini mei, miſerémini mei,

ſaltem

Saltem vos amíci mei. Noſtis ipſi perículum noſtrum : noſtis figméntum noſtrum : noſtis ignorántiam noſtram, & dolos adverſariórum : noſtis eórum ímpetus, & noſtram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eâdem tentatióne fuíſtis ; qui eóſdem ſuperáſtis conflíctus, eóſdem láqueos evaſíſtis ; qui didicíſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſiónem.

Lectio vj. n. 10. 11.

ETſi de Angelis mihi árbitror præſuméndum ob ſpirituális ſubſtántiæ & rationális formæ ſimilitúdinem ; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor verténdum, quos habére me nóverim & in ipſa humanitáte consórtes ; ut opórteat eos familiáriùs & ſpeciáliùs miſeréri oſſi de óſſibus meis, & carni de carne mea. Abſit, abſit à vobis, ánimæ ſanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum príſtinum reſtitútus, ſtatim oblítus eſt Joſeph ſancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, nec aliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla ſociétas Iſraelítæ ad Ægyptium... Nos quoque ſi non ſumus ipsíus cápitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam ſolémnibus votis, & tanto gratulámur affectu ? Hæc ígitur noſtra & eórum cohærentia eſt, ut nos gratulémur eis, ipſi compatiántur nobis : nos devótâ meditatióne regnémus in eis, ipſi in nobis & pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III. NOCTURNO.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Quis veſtrûm habebit amícum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi : Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.

Lib. 7. *in Luc.* n. 87.

ALius præcépti locus eſt, ut in ómnibus moméntis, non ſolum diébus, ſed étiam nóctibus orátio deferátur. Vides enim quòd iſte qui mediâ nocte perréxit, tres panes ab amico ſuo póſtulans, & in ipſa peténdi intentióne persíſtens, non defraudátur orátis. Qui ſunt iſti tres panes, niſi myſtérii cœléſtis aliméntum ? Quód ſi díligas Dóminum Deum tuũ, non ſolùm tibi, ſed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum trádidit ? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accépit. Pétiit quando dicébat : Médiâ nocte ſurgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem ſcit ſemper vigilántem.

Scis Dei quòd ſit domus,
& Tonántis
Altera ſedes ?
Cujus in cœlo thronus eſt
perénnis,
Parva vult terris habitáre
tecta :
Incapax claudi, latet hoſ-
pes arcto
Cláuſus in orbe.
Non malos ultor venit inter
ignes ;
Non nigræ nimbo tonat
è procéllæ :
Nec minùs credas plácido
verénda
Númine templa.
Quid vetus fluxit cruor hoſ-
tiárum ?
Príſtinæ ceſſent holocáuſ-
ta legis :
Aſtat hìc aris, ſimul &
Sacérdos,
Hóſtia Chriſtus.
Flectit & curvus Séraphim
ſub alis,
Dum Deo libans Deus im-
molátur :
Seque, poſt funus ſíbimet
ſupérſtes,
Præbet in eſcam.
Quid venis audax ? procul
hinc profánus ;
Sancta ni fletûs lavet unda
crimen !
Munda quàm multis ju-
bet eſſe mundum
Vócibus ædes !
Trine, quæ ſanctis tibi thu-
ra fumant
Ædibus, grato pláceant
odóre ;
Et pluant pingues reſolú-
ta lætis
Núbibus imbres. Amen.

℣. Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion. ℟. Deus in dómibus ejus cognoſcétur. *Pſ.* 47. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *F.* Sint óculi tui, Dómine, apérti ſuper domum hanc nocte ac die; ſuper domum, de quâ dixíſti : Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hodie & per Octavam.

HYMNUS.

Hoc in templo, ſumme
Deus,
Exorátus ádveni ;
Et cleménti bonitáte,
Precum vota ſúſcipe :
Largam benedictionem
Hìc infúnde júgiter.
Hìc promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta poſſidére,
Cum ſanctis perénniter
Paradíſum introíre,
Tranſláti in réquiem.
Sit perénnis laus Paréntis;
Sit perénnis Fílio :
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chríſma cujus nos inúngens
Viva templa cónſecrat.
Amen.

Ad Nunc dimitt. *Ant. t.* 5. *a.* Qui ſtatis in domo Dómini, allelúia, in nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, allelúia. *Pſ.* 133. 1. 2.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum in templo ſancto ſuo, * Veníte, adorémus, *Habac.* 2. 20.

IN I. NOCTURNO.

In domum ſibi templum conſecrat Dominus.

In Pſalm. 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine, *pag.* 121.

Ant. t. 5. *a.* Implébo domum iſtam glóriâ, & in loco iſto dabo pacem. *Aggæi.* 2. 8. 10.

In Pſalm. 23. Dómini eſt terra & plenitúdo ejus, *pag.* 34.

Ant. t. 2. *D.* Dabo ſanctificatiónem meam in médio eórum, & erit tabernáculum meum in eis. *Ezech.* 37. 26. 27.

In Pſalm. 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ, *pag.* 94.

Ant. t. 7. *D.* Glória Líbani véniet ad ornándum locum ſanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificábo. *Iſ.* 60. 13.

℣. Lætátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi; ℟. In domum Dómini íbimus. *Pſ.* 121. 1.

De libro ſecúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 6.

CUm compléſſet Sálomon fundens preces, ignis deſcéndit de cœlo, & devorávit holocáuſta & víctimas: & majéſtas Dómini implévit domum. Nec póterant ſacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd impléſſet majéſtas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Iſrael vidébant deſcendéntem ignem, & glóriam Dómini ſuper domum: & corruéntes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in ſæculum miſericórdia ejus. Rex autem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóſtias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérſus pópulus.

℟. 1. Ecce glória Dei Iſrael ingrediebátur per viam orientálem. Et majeſtas Dómini ingréſſa eſt templum, * Et dixit ad me: Fili hóminis, locus ſólii mei, & locus veſtigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Iſrael in ætérnum. ℣. Implétum eſt templum fumo à majeſtáte Dei, & de virtúte ejus. * Et dixit. *Ezech.* 43. 2. 4. 7. *Apoc.* 15. 8.

Lectio ij. v. 6. *ad* 10.

SAcerdótes autem ſtabant in officiis ſuis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnum miſericórdia ejus; hymnos David canéntes per manus ſuas. Porrò ſacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúſque

Scis Dei quod ſit domus, & Tonántis
Altera ſedes?
Cujus in cœlo thronus eſt perénnis,
Parva vult terris habitáre tecta:
Incapax claudi, latet hoſpes arcto
Clauſus in orbe.
Non malos ultor venit inter ignes;
Non nigræ nimbo tonat è procéllæ:
Nec minùs credas plácido verénda
Númine templa.
Quid vetus fluxit cruor hoſtiárum?
Príſtinæ ceſſent holocáuſta legis:
Aſtat hìc aris, ſimul & Sacérdos,
Hóſtia Chriſtus.
Flectit & curvus Séraphim ſub alis,
Dum Deo libans Deus immolátur:
Seque, poſt funus ſíbimet ſupérſtes,
Præbet in eſcam.
Quid venis audax! procul hinc profánus;
Sancta ni fletûs lavet unda crimen!
Munda quàm multis jubet eſſe mundum
Vócibus ædes!
Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre;
Et pluant pingues reſolúta lætis
Núbibus imbres. Amen.

℣. Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion.
℟. Deus in dómibus ejus cognoſcétur. *Pſ.* 47. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *F.* Sint óculi tui, Dómine, apérti ſuper domum hanc nocte ac die; ſuper domum, de quâ dixíſti: Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hodie & per Octavam.

HYMNUS.

Hoc in templo, ſumme Deus,
Exorátus ádveni;
Et cleménti bonitáte,
Precum vota ſúſcipe:
Largam benedictionem
Hìc infúnde júgiter.
Hìc promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta poſſidére,
Cum ſanctis perénniter
Paradíſum introíre,
Tranſláti in réquiem.
Sit perénnis laus Paréntis;
Sit perénnis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inúngens
Viva templa conſecrat.
Amen.

Ad Nunc dimitt. *Ant. t.* 5. *a.* Qui ſtatis in domo Dómini, allelúia, in nóctibus extóllite manus veſtras in ſancta, allelúia. *Pſ.* 133. 1. 2.

In Pſalm. 45. Deus noſter refúgium & virtus, *pag.* 96.

Ant. t. 2. *d.* Stábimus coram domo hâc in conſpéctu tuo; & clamábimus ad te in tribulatiónibus noſtris, & exáudies. 2. *Paral.* 20. 9.

In Pſalm. 47. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, *pag.* 97.

Ant. t. 4. *E.* Sciant omnes pópuli, quia nomen tuum invocátum eſt ſuper domum hanc. 2. *Paral.* 6. 33.

℣. Sanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus, ℟. Deus in médio ejus. *Pſal.* 45. 5. 6.

Sermo ſancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Dedic. Serm. 1. n. 1.

FEſtívitas hodíerna, fratres, tantò nobis debet eſſe devótior, quantò familiárior eſt. Nam cæteras quidem Sanctórum ſolemnitátes cum Eccléſiis áliis habémus commúnes: hæc verò ſic nobis eſt própria, ut neceſſe ſit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Noſtra eſt, quia de Eccléſiâ noſtrâ; magis autem noſtra, quia de nobis ipſis. Mirámini fórſitan, & erubéſcitis celebrári feſta de vobis: ſed nolíte fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intelléctus. Quid enim lápides iſti potuérunt ſanctitátis habére, ut eórum ſolémnia celebrémus? Habent útique ſanctitátem, ſed propter córpora veſtra. An verò córpora veſtra ſancta eſſe quis dúbitet, quæ templum ſancti Spíritûs ſunt; ut ſciat unuſquíſque poſſidére vas ſuum in ſanctificatióne? Itaque ſanctæ ſunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis; ſancta ſunt córpora propter ánimas; ſancta eſt étiam propter córpora domus.

℟. 4. Réſpice, Sion, civitátem ſolemnitátis noſtræ Jeruſalem: * Tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia ſolúmmodo ibi magníficus eſt Dóminus noſter. ℣. Domus Dei eſt Eccléſia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. * Tabernáculum *Iſ.* 33. 20. 21. 1. *Tim.* 3 15.

Lectio v. n. 3. & 4.

QUando domus iſta per manus Pontíficum dedicáta eſt Dómino, propter nos ſine dúbio factum eſt; in nobis proínde ſpirituáliter impléri necéſſe eſt, quæ in pariétibus viſibíliter præceſſérunt. Et ſi vultis ſcire, hæc útique ſunt; Aſpérſio, inſcríptio, inúnctio, illuminátio, & benedíctio. Hæc quidem in hâc viſíbili domo fecére Pontífices; hæc Chriſtus aſsíſtens Póntifex futurórum bonórum inviſibíliter quotídie operátur in nobis. Primò ſíquidem nos aſpérgit hyſſópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur; .. Lavat, inquam, nos in con-

Iſrael ſtabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium atrii ante templum Domini; obtúlerat enim ibi holocáuſta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat ſuſtinére holocáuſta & ſacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon ſolemnitátem in témpore illo ſeptem diébus; & omnis Iſrael cum eo; ecclésia magna valde, ab intróitu Emath uſque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectã, eò quòd dedicáſſet altáre ſeptem diébus, & ſolemnitátem celebráſſet diébus ſeptem.

℟. 2. In templo hoc ponã nomẽ meũ in ſẽpitérnũ: & ultrà non fáciam commovéri pedem Iſrael, * Si tamen cuſtodíerint ópera omnia quæ præcépi eis. ℣. Sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. * Si tamen. *4. Reg. 21. 7. 8. 2. Cor. 6. 16.*

Lectio iij. v. 11. ad 17.

COmplevítque Sálomon domum Domini, & domum regis, & ómnia quæ diſpóſuerat in corde ſuo, ut fáceret in domo Domini, & in domo ſuâ; & proſperátus eſt. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. Si cláuſero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locúſtæ, ut dévoret terram; & míſero peſtiléntiam in pópulum meum: convérſus autem pópulus meus, ſuper quos invocatum eſt nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquiſíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis ſuis peſſimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & ſanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. Elégi enim, & ſanctificávi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. 3. Elégi locum iſtum mihi in domum ſacrifícii. * Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco iſto oráverit. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet: ubi enim ſunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi ſum. * Oculi. Glória. * Oculi. *2. Paral. 7. 12. 15. Matth. 18. 19. 20.*

IN II. NOCTURNO.

Quàm verenda domus Dei conſecrata.

In Pſalm. 28. Afférte Dómino, filii Dei, *pag.* 5.

Ant. t. 1. A. Tu, Dómine, elegíſti domum iſtam, ut eſſet domus oratiónis pópulo tuo. *1. Mach. 7. 37.*

Ant. *t.* 7. *C.* Solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. *Exod.* 3. 5.

In Pſalm. 83. Quàm dilecta tabernácula tua, *pag.* 99.

Ant. *t.* 3. *a.* Ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum pércutit, ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39.

In Pſalm. 86. Fundaménta ejus in móntibus ſanctis, *pag.* 99.

Ant. *t.* 2. *D.* Cadat virtus eórum in iracúndiâ tuâ, Dómine, qui promíttunt ſe violáre ſancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui. *Judith.* 9. 11.

℣. Adorábo ad templum ſanctum tuum ℟. In timóre tuo. *Pſ.* 5. 8.

Lectio ſancti Evangélii ſecúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 11. *ad* 19.

IN illo témpore; Introívit Jeſus Jeroſólymam in templum: & circumſpéctis ómnibus, cùm jam véſpera eſſet hora, éxiit in Betháaniam cum duódecim. Et réliqua.

Homília ſancti Baſílii Epíſcopi.

In Pſalm. 28. n. 3.

NEceſſária eſt adorátio, non ea quæ fit extra Eccléſiam, ſed quæ in ipsâ Dei aulâ perfícitur. Ne mihi privátas aulas, aut Eccléſias excogitétis. Una eſt aula ſancta Dei. Synagóga Judæorum priùs aula erat: ſed poſt admiſſum in Chriſtum peccátum, facta eſt habitátio eórum deſérta. Quaprópter & Dóminus: Et álias oves hábeo quæ non ſunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex géntibus ad ſalútem præordináti ſunt, aulam própriam præter Judæórum aulam oſténdit. Non ígitur extra ſanctam hanc aulam adoráre opórtet, ſed intra ipſam... Intérſunt multi in hábitu quidem precatiónis; nec ſunt tamen in aula ob mentis evagatiónem, & ánimi eórum aberrratiónem, ex vanis ac inutílibus curis naſcéntem.. Qui ventrem, aut glóriam, aut argéntum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus pluris æſtimat, Deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula ſancta eſt, etiámſi videátur eſſe dignus qui ad ſenſíbiles convéntus admittátur.

℟. 7. Audíte, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum: * Bonas fácite vias veſtras, & ſtúdia veſtra. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, purificáte corda. * Bonas fácite. *Jerem.* 7. 2. 3. *Jacob.* 4. 8.

Lectio viij. n. 7.

IN templo adſtant ſancti Angeli: adeſt Dóminus, qui ánimum ingrediéntium

intuétur. Preces uniuſcujúſque manifeſtæ Deo ſunt, quis ex affectu, quis ſcitè exquírat cœléſtia; quis perfunctórie & extrémis labris verba pronúntiet; cor verò ipſius procul à Deo ſit. Quòd ſi orat; carnis ſanitátem, opéſque corpóreas, & humánam glóriam efflágitat. Horum autem nihil ſic peténdum eſt, ut Scriptúra docet: Sed in templo ejus unuſquíſque dicit gloriam.. Creatura omnis tum ſilens, tum loquens, tum cœleſtis, tum terréna dat glóriam Conditóri. Miſerábiles verò hómines, poſtquam, ædibus ſuis relíctis, ad templum concurrérunt, quaſi quídpiam conſecutúri emoluménti; tamen Dei verbis aures non præbent; ſuam ipsórum natúram non ſéntiunt: præoccupáti peccáto non affligúntur: non mœrent, dum reminiſcúntur peccatórum; non timent judícium; ſed arridentes, & inter ſe jungéntes dextras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. 8. Qui adhærent Dómino, ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ: * Quia domus mea, domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. ℣. Nolite fácere domum Patris mei, domũ negotiatiónis. * Quia domus. *Iſ.* 56. 6. 7. *Joan.* 2. 16.

Lectio ix. n. 7.

CAve ne quando ábeas cum iis qui ímpia & contumelióſa verba in Dei nomen évomunt, condemnátus, cùm debuíſſes mercédem pro rerum divinárum celebratióne recípere. Habes Pſalmum, habes Prophetiã, præcépta Evangélica, Apoſtolórum prædicatiónes. Lingũa pſallat, mens, eórum quæ dicta ſunt, ſcrutétur intelligéntiam; ut pſallas ſpíritu, pſallas item & mente. Deus enim mínimè índiget glóriâ: ſed te vult eſſe dignũ, qui glóriam conſequáre. Hæc à nobis dicta ſunt, quòd ſunt qui loquéndi finem in Dei templo numquam fáciant, ac inutíliter ingrediántur. Utinam inutíliter non cum detriménto!

℟. 9. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluíſti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis. * Et nunc, ſancte ſanctórum Dómine, † Consérva in ætérnum impollútam domum iſtam. ℣. Si quis templum Dei violáverit, diſpérdet illum Deus: templum enim Dei ſanctum eſt. * Et nunc. Gloria. † Consérva. 2. *Mach.* 14. 35. 36. 1. *Cor.* 3. 17.

Te Deum.

AD LAUDES.

Si domus Dei eſt templum ex lapidibus conſtructum, & nos ipſi Dei ſumus domus ſpiritualis.

℣. *Sacerdot.* Cantáte Dómino cánticum novum :

℞. Laus ejus in Eccléſiâ Sanctórum. *Pſ.* 149. 1.

Pſalmi de Dominicâ.

Ant. t. 3. *A.* QUàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Iſraeli ut tabernácula quæ fixit Dóminus. *Num.* 24. 5. 6.

Ant. t. 4. *E.* Chriſti domus ſumus nos, ſi fidúciam, & glóriam ſpei uſque ad finem, firmam retineámus. *Heb.* 3. 6.

Ant. t. 8. *C.* Ad Dóminum accedéntes lápidem vivum; & ipſi tamquam lápides vivi ſuperædificámini, domus ſpirituális. 1. *Pet.* 2. 4. 5.

Ant. t. 5. *a.* Omnis.

CANTICUM *Tobiæ* 13. *v.* 11. 13. *ad finem.*

JErúſalem cívitas Dei, luce ſpléndidâ fulgébis; * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient; & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum; * & terram tuam in ſanctificatiónem habébunt;

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnati erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabúntur ad Dóminum.

Beati omnes qui díligunt te, * & qui gaudent ſuper pace tuâ.

Anima mea, bénedic Dóminum; * quóniam liberávit Jerúſalem civitátem ſuam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noſter.

Beátus ero ſi fúerint relíquiæ ſéminis mei, * ad vidéndam claritátem Jerúſalem.

Portæ Jerúſalem ex ſapphíro & ſmarágdo ædificabúntur; * & ex lápide pretioſo omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus ſternéntur; * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam; * & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

Glória Patri, &c.

Ant. t. 5. *a.* Omnis ædificátio conſtrúcta in Chriſto Jeſu creſcit in templum ſanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in ſpíritu. *Eph.* 2. 21. 22.

Ant. t. 1. *d.* Meménto, Dómine, teſtaménti tui, ut domus tua in ſanctificatióne tuâ permáneat. *Judith.* 9. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 6. 19. 20.

AN neſcítis quoniam membra veſtra, templum ſunt Spíritûs ſancti, qui in vobis eſt, quem habétis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore veſtro.

℣. Domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Pſalm.* 92. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Habéntes fidúciam in intróitu ſanctórum in ſánguine Chriſti, accedámus cum vero corde, aſpérſi corda à conſciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ. *Hebr.* 10. 19. 22.

ORATIO

In die Dedicationis.

DEus, qui inviſibíliter ómnia continens, pro ſalúte géneris humáni ſigna tuæ poténtiæ viſibíliter oſténdis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illúſtra, & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, conſolatiónis tuæ benefícia conſequántur; Per, &c.

ORATIO

In Anniverſario Dedicat.

DEus, qui nobis per ſíngulos annos hujus ſancti templi tui conſecratiónis réparas diem, & ſacris ſemper myſtériis repræſéntas incólumes; exáudi preces pópuli tui; & præſta ut quiſquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta ſe impetráſſe lætetur; Per, &c.

AD HORAS.

Ant. de Laudibus.

Pſalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

Ant. Quàm pulchra.

Ad ℟. br. ℣. Qui magníficas in nobis locum tuum, & templum. 2. *Mach.* 3. 30.

CANON

Ex Concílio Coloniénſi primo. *An.* 1536. *part.* 9. *Canon* 13.

SIgnat templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Eccléſiæ cum Chriſto deſponſatiónem. Quámobrem, niſi ómnia quæ in hujuſcémodi conſecratióne extériùs agúntur, in nobis ſpirituáliter impleántur; parùm hinc fructûs nobis accéſſerit.

AD TERTIAM.

Ant. Chriſti domus.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 16.

VOs eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus; quóniam inhabitábo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illórum Deus, & ipſi erunt mihi pópulus.

℟. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicéntes: Templũ Dómini eſt. * Quóniam † Si bene dirèxéritis vias veſtras, & ſtúdia veſtra, habitábo vobíſcum. ℣. Dei ædificátio eſtis: unuſquíſque autem vídeat quómodo ſuperædíficet. * Quóniam. Glória. † Si bene. *Jerem.* 7. 4.

5. 7. 1. *Corinth.* 3. 9. 10.

℣. Quis ſtabit in loco ſancto ejus? ℟. Innocens mánibus & mundo corde, allelúia. *Pſ.* 23. 3. 4.

Per Octavam. ℟. *br.* Sanctum eſt templum tuum. * Allelúia, allelúia. Sanctum eſt. ℣. Mirábile in æquitáte.* Allelúia. Glória. Sanctum eſt. *Pſ.* 64. 5. 6.

℣. Confitébor tibi in ſæculum ℟. In conſpéctu ſanctórum tuórum, allelúia. *Pſ.* 51. 11.

AD SEXTAM.

Ant. Ad Dóminum.

Capitulum. Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jeruſalem.

℟. *br.* Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * Allelúia, allelúia. Beátus. ℣. Inhabitábit in átriis tuis.* Allelúia. Glória. Beátus. *Pſ.* 64. 5.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tuâ, Domine; ℟. In ſæcula ſæculórùm laudábunt te, allelúia. *Pſ.* 83. 5.

AD NONAM.

Ant. Meménto.

Capitulum. Soph. 1. 9.

VIſitábo ſuper omnem qui arrogánter ingrédítur ſuper limen in die illâ: qui complent domum Dómini Dei ſui iniquitáte & dolo.

℟. *br.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Qui ingréditur ſine mácula. * Allelúia. Glória. Dómine. *Pſ.* 14. 1. 2.

℣. Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimã meam: ℟. Quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, allelúia. *Pſ.* 41. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex domo Dei viſibili in terris, ad civitatem Dei inviſibilem in cælis aſſurgendum.

Ant. t. 3. *A.* Acceſsíſtis.

In Pſalm. 121. Lætátus ſum in his quæ dicta, *pag.* 111.

Ant. Acceſsíſtis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jeruſalem cœléſtem. *Hebr.* 12. 22.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus.

In Pſalm. 126. Niſi Dóminus ædificáverit, *pag.* 52.

Ant. Dóminus Deus omnípotens templum illíus eſt, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

Ant. t. 4. *E.* Civitas.

In Pſalm. 131. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112.

Ant. Cívitas non eget ſole, neque lunâ, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illuminávit eam, & lucérna ejus eſt Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Ant. t. 5. *a.* Non intrábit.

In Pſalm. 137. Confitébor tibi, quóniam audíſti, *pag.* 53.

Ant. Non intrábit in eam

áliquod coinquinátum, aut abominationem fáciens, & mendácium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.

Ant. t. 1. *irr.* Beáti.

In Pſalm. 147. Lauda, Jerúſalem, Dóminum, *pag.* 93.

Ant. Beáti qui lavant ſtolas ſuas, ut per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 1.

Scimus, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis.

HYMNUS.

O Domus cœlis ópibus ſecúnda!
Dives en plenis mánibus ſcatúrit
Fons tibi Chriſtus, váriis & undans
Grátia rivis.

Hîc ſacri mundant látices, ab ortu
Inditam primi máculam reátus:
Hîc & infúſo nova conſecrántur
Chriſmate membra.

Se dat in menſa cibus Angelórum;
Quem fames aris ſatiánda ſiſtit,
Gaudet hîc ſacro reparáre vires
Lætus ab eſu.

Ore divínum ſitiénte verbum
Sugit hîc infans, cúpidus docéri:
Lac datur parvo, ſólidâque fortis
Páſcitur eſcâ.

Hîc ſalus cunctis ſua conſtat ægris:
Hîc ſacros Numen ſua per miníſtros
Jura dum laxat, rediviva pellit
Grátia culpam.

Hîc ruens prompti cohibére fulmen
Stant ab advérſo, Domi-númque placant,
Víndices in nos quoties ab alto
Dépluit iras.

Trine, quæ ſanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre,
Et pluant pingues reſolúta lactis
Núbibus imbres.
Amen.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtutum!
℟. Concupíſcit, & déficit ánima mea in átria Dómini. *Pſalm.* 83. 2. 3.

Ad Magn. Ant. t. 5. *F.* In hoc ingemiſcimus, habitatiónem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperíndui cupiéntes: ſi tamen veſtiti, non nudi inveniámur. 2. *Cor.* 5. 2. 3.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. ut in die Feſti.

Pſalmi de Feriâ occurrente.

Tres Antiphonæ ℣. & ℟℟. ex uno ex Nocturnis Feſti juxta Rubricam: Duæ primæ Lectiones ex Scripturâ occurrente. Tertia ut habetur infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. Prima de Laudibus, Pſalmi de Feria. Canticum ut in die. Cætera ut in Laudibus Feſti.

AD HORAS breves Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermiſſâ ut in die. Reliqua ut in Feſto præter Canonem.

AD VESPERAS.

Antiph. prima de II. Veſperis; Pſalmi de Feriâ: reliqua ut in II. Veſperis diei. Completorium, ut ſuprà.

SECUNDA DIE INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

Sermo ſancti Auguſtini Epíſcopi.

Lectio iij.

Serm. 356. in Dedicat. Eccl. c. 1. aliàs de tempore. 256.

CElébritas hujus congregationis, Dedicátio eſt domûs orationis. Domus ergo noſtrárum orationum, iſta eſt; domus Dei, nos ipſi. Si domus Dei, ons ipſi, nos in hoc ſæculo ædificamur, ut in fine ſæculi dedicémur. Ædificium, immò ædificátio habet labórem, Dedicatio exultatióné. Quod hìc fiébat, quando iſta ſurgébant; hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Chriſtum. Credéndo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præcidúntur: cùm veró catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, colliheántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, niſi quando charitáte compaginántur.

TERTIA DIE.

De Sermóne ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

Lectio iij.

Unde ſuprà. c. 6.

DUm novam conſtructiónem ſanctæ hujus Eccléſiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini dedicámus; invenímus à nobis debéri, & Deo noſtro máximâ laudem, & ſanctitáti veſtræ cóngruum de divínæ domûs ædificatióne ſermónem. Tunc autem ſermo noſter cóngruus erit, ſi in ſe áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum veſtrárum, Deo vos intériùs ædificánte, profíciat. Quod hìc factum corporáliter vidémus in parietibus, ſpirituáliter fiat in méntibus; & quod hìc perféctum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte gratiâ Dei, perficiatur in corpóribus veſtris. Principáliter ergo grátias agamus Dómino Deo noſtro, a quo eſt omne datum optimum,

& omne donum perfectum; quóniam ad conſtruéndam iſtam domum oratiónis fidélium ſuórum viſitávit ánimum, excitávit affectum, ſurrogávit auxilium... Adhuc ámpliùs agéndæ ſunt grátiæ Deo noſtro. Hanc enim Eccléſiam, quam fecit nómini ſuo cónſtrui, fecit étiã ſanctórum Mártyrum relíquiis ámpliùs honorári.

QUARTA DIE.

Sermo ſancti Joánnis Chryſóſtomi.

Lectio iij.

Homil. 33. *in Matth.*

COmmúnis ómnium domus eſt Eccléſia, in quã vobis priùs ingréſſis, nos intrámus, diſcipulórũm formam retinéntes: ideòque communiter ómnibus, ſtatim atque ingréſſi fuérimus, pacem offérimus. Nemo ígitur ſocórdiâ tórpeat, nemo ſæculáribus rebus ſuſpénſum ánimum hábeat, cùm jam ad prædicándum Sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem míllies pótiùs malim in domum alicújus veſtrûm ingréſſus deſtítui, quam hîc prædicans non audíri. Hoc mihi moléſtius eſſet quàm illud; quandoquidem hæc magis própriè domus noſtra eſt, quàm illa. Hîc magnæ illæ noſtræ opes póſitæ ſunt, hîc ſpes noſtra omnis. Quid enim hoc loco non magnum eſt, & admirándum? Nam hæc menſa longè pretióſior eſt, atque jucúndior; & lucérna hæc quàm illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, à morbis liberáti ſunt. Arca étiam hæc multò mélior, magíſque neceſſária: non enim veſtes, ſed miſericórdiam inclúſam cóntinet.

QUINTA DIE.

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

Lectio iij.

Homil. 1. *in* Vidi Dóminum.

NUlla res tantùm affert gáudii vitæ noſtræ, quantùm hoc, quòd ex ánimo gaudeátis in Eccléſia congregári. In Eccléſia, gaudéntium conſervátur gáudium. In Eccléſia, ánimo dejectórum eſt recreátio. In Eccléſia, doléntium eſt volúptas. In Eccléſia, defatigatórum reſpirátio. In Eccleſia, labórántiũ réquies. Veníte enim, inquit, ad me omnes, qui laborátis & oneráti eſtis; & ego reficiam vos. Quid hâc voce poſſit eſſe deſiderabílius? Quid hâc invitatióne jucúndius? Ad épulum te vocat, qui in Eccléſiam te vocat Dóminus. Ad réquiem pro labóribus adhoratur, ad relaxatiónem à moléſtiis transfert, pondus peccatórum állevans; delíciis, ánimi moléſtiam; gáudio, mœrórem ſanat. O ineffábilem curam! O vocatiónem cœléſtem!

SEXTA

SEXTA DIE.
Sermo S. Cæſárii Epíſcopi.
Lectio iij.
Serm. 229. qui eſt in Dedicat. Eccleſiæ.

QUotieſcúmque, fratres chariſſimi, altáris vel templi feſtivitátem cólimus, ſi fidéliter ac diligénter atténdimus, & ſanctè ac juſtè vívimus; quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis ſpiritáli ædificatióne complétur; non enim mentítus eſt ille qui dixit: Templum Dei ſanctū eſt, quod eſtis vos; & íterum: Neſcítis quia córpora veſtra templum ſunt Spíritûs ſancti? Quia verò nullis præcedéntibus méritis, ſed per grátiam Dei merúimus fieri templum Dei; quantùm póſſumus, cum ipſíus adjutório laborémus, ne Dóminus noſter in templo ſuo, hoc eſt in nobis ipſis, invéniat quod óculos ſuæ majeſtátis offéndat: ſed habitáculum cordis noſtri evacuétur vítiis, & virtútibus repleátur; claudátur diábolo, & aperiátur Chriſto.

SEPTIMA DIE.
Sermo ſancti Cæſárii Epíſcopi.
Lectio iij. Serm. 230.

QUia, fratres, habitáre desíderat in nobis Deus; cum ipſíus adjutório ita cor noſtrū ſtudeámus bonis ſemper cogitatiónibus occupáre, & córpora noſtra ab omni ſorde luxúriæ munda cuſtodíre, ut Deum in nobis delécter habitáre. In templo enim à Salomóne ædificato légimus duo altária fuiſſe conſtitúta, unum foris, áliud intùs; in illo quod foris erat, animálium celebrabátur ſacrifícium; in illo verò quod intùs erat, thymiámatis offerebátur incenſum. Videámus ergo ne fortè in nobis duo ſint altária conſtitúta; córporis ſcílicet, & cordis noſtri. Dénique duplex à nobis ſacrifícium quærit Deus; unum, ut ſimus caſto córpore; áliud, ut mundo corde eſſe debeámus.

VESPERÆ de die Octava, ut in I. Veſperis Feſti.

OCTAVA DEDICATIONIS
Ritu Dupl. 2. Claſſis.
Omnia ut in die præter ea quæ ſequuntur.
Pſalmi de Feriâ in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.
Lectiones de Scrip. occur.

IN II. NOCTURNO.
Sermo S. Auguſtíni Epíſcopi.
Lectio iv. In Pſalm. 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis. Cívitas quædam in hoc Pſalmo cantátur, & commendátur; cujus cives ſumus, in quantùm Chriſtiáni ſumus; & unde peregrinámur quámdiu mortáles ſumus, & ad quam téndimus.. Ambulántes ergo in Chriſto, & adhuc peregrinántes, donec perveniámus, & ſuſpirántes deſidério cu-

juſdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illa civitáte; ſic cantémus ut deſiderémus. Dedicábitur domus aliquándo, quæ nunc fabricátur: modò enim fabricátur domus, id eſt Eccléſia; póſtea dedicábitur. In dedicatióne apparébit glória pópuli Chriſtiáni, quæ modò latet. Tamen, fratres, ántequam véniat dies dedicatiónis domûs, videámus quia jam dedicátum eſt caput noſtrum: jam facta eſt dedicátio domûs in cápite, tamquam dedicátio fundaménti.

Lectio v.

in Pſalm. 121. num. 4.

FUndaméntum quando pónitur in terra, déſuper ædificántur paríetes, & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo póſitum eſt fundaméntum. Si autem fundaméntum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt iſtam ſtructúram, quam vidétis amplam ſurrexíſſe hujus baſílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo poſuérunt. Quia verò ſpirituáliter ædificámur, fundaméntum noſtrum in ſummo póſitum eſt. Illuc ergo currámus ubi ædificémur; quia de ipſa Jeruſalem dictum eſt: ſtantes erant pedes noſtri in átriis tuis, Jerúſalem.

Lectio vj.

Serm. 337. de Ded. Eccl. C. 2.

ITaque ſicut hoc ædifícium viſíbile factum eſt nobis corporáliter congregándis; ita illud ædifícium, quod nos ipſi ſumus, Deo ſpirituáliter habitatúro conſtrúitur: Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit Apóſtolus, quod eſtis vos. Sicut hoc terrénis mólibus conſtrúimus; ſic illud bene compóſitis móribus erigámus. Hoc enim nunc viſitántibus nobis, illud in fine ſæculi, Dómino veniénte, dedicábitur; quando corruptíbile hoc noſtrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc noſtrum índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis noſtræ conformábit córpori glóriæ ſuæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. v. 22.

IN illo témpore: Facta ſunt Encænia in Jeroſólymis; & Hyems erat; & ambulábat Jeſus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Expoſit. in Evang. Joan.

ENcænia vocabatur ſolémnitas dedicatiónis templi, quam pópulus Dei ex antíqua Patrum traditióne per annos ſíngulos celebráre conſuéverat. Sed notándum eſt quòd hæc Encænia, quæ hîc legúntur, non

ad primam templi dedicatiónem, ſed ad últimam pértinent: quod ex eo fácilè collígitur, quia Hyeme facta referúntur. Prima síquidem ejúſdem templi dedicátio à Salomóne témpore Autúmni; ſecúnda autem à Zorobabel & Jeſu Sacerdóte témpore Veris; tertia à Juda Machabæo témpore Hyemis eſt facta, quando ſpeciáliter conſtitútum eſſe légitur, ut éadem dedicátio per omnes annos in memóriam ſolémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus uſque Domínicæ incarnatiónis obſerváta fuit, ſicut modò; cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam dedicátio ſalúbri conſuetúdine in Eccléſiis Chriſti ſervári modérno témpore dignóſcitur.

Lectio viij.

ET ambulábat Jeſus in pórticu Salomonis. Si Dei Filius ambuláre vóluit in templo in quo caro & ſanguis brutórum animálium offerebátur; multò magis noſtram oratiónis domum, ubi carnis ipsíus ac ſánguinis ſacraménta celebrántur, viſitáre gaudébit. Si perambuláre non deſpéxit pórticum, in quo rex quondam mortális ac terrénus, quamvis potentíſſimus ac ſapientíſſimus, ad orándum ſtare ſolébat; quantò mágis penetrália córdium noſtrórum invíſere atque illuſtráre desíderat; ſi tamen ea pórticum eſſe Salomónis, hoc eſt, ſi ea timórem ſuum, qui eſt inítium ſapiéntiæ, habére perſpéxerit?

Lectio ix.

NEque enim putándum eſt, quia domus ſolúmmodo in qua ad orándum, vel ad myſtéria celebránda convenímus, templum ſit Dómini; & non ipſi qui in nómine Dómini convenímus, multò ámpliùs templum ejus appellémur & ſimus; cùm maniféſtè dicat Apóſtolus; Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, Inhabitábo in eis, & inter illos ambulábo.

OFFICIUM
BEATÆ MARIÆ
IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus ac Vigiliis Aſſumptionis B. M. & omnium Sanctorum; & niſi occurrat Feſtum Dupl. vel Semid. fit Officium de Beata, ut infra.

AD VESPERAS FERIÆ SEXTÆ.

Si Feria 6. factum ſit Officium de Dupl. fiet tantùm commemoratio de Beata, ſub Ant. ad Magnif. ℣. *& Orat. ſequent... ſi Feria dicta 6. factum ſit Officium de Semid. Veſperæ erunt de Beata, cum commemoratione de Semid. fit etiam commemoratio de Simpl.*

Pſalmi de Feria.

Ant. t. 1. *irr.* BEnedícta es tu, filia, à Dómino Deo excélſo, præ ómnibus muliéribus ſuper terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 3. *E.* Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Iſ.* 60. 2.

Ant. t. 4. *E.* Ex te egrediétur qui ſit Dominátor in Iſrael. *Mich.* 5. 2.

Ant. t. 5. *F.* Vidébunt gentes juſtum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum. *Iſ.* 62. 2.

Ant. t. 7. *a.* Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérſa terra. *Judith.* 11. 21.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad ſerpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & ſemen tuum & ſemen illíus: ipſa cónteret caput tuū.

HYMNUS.

AVe, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta:

Sumens illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem;
Sumat per te preces,

Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jeſum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34. 9.

Ad Magn. *Ant. t. 6. f.* Deus oſténdet ſplendórem ſuum in te, omni qui ſub cœlo eſt. *Baruch.* 5. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

COMPL *ut in Pſalt. Ad fin. Hym.*

Qui natus es de Vírgine
Jeſu, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempitérna ſæcula. Amen.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

Novem Pſalmi de Feria ſub tribus Antiphonis ſequentibus.

Ant. t. 1. *A.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* In ómnia ſæcula ſæculórum luce ſplén-didâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. t. 8. *g.* In te benedi-céntur univérſæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Pſ.* 86. 3.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia erit una ex inferiùs poſitis ſecundùm menſem, niſi in Sabbato fiat de Vigilia habente Evangelium: tunc enim tertia Lectio erit de Homilia.

℟. 1. Tu glória Jeruſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri, confortátum eſt cor tuum, * Eò quòd caſtitatem amáveris, & ídeò eris benedícta in æternum. ℣. María, inveníſti grátiam apud Deum; * Eò quòd. *Judith.* 15. 10. 11. *Luc.* 1. 30.

℟. 2. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis princípis inimicórum noſtrórum. ℣. Beáta, quæ credidíſti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Dómino: * Qui te. *Judith.* 13. 24. *Luc.* 1. 45.

℟. 3. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, * Propter angúſtias géneris tui, ſubveníſti ruínæ ante conſpéctum Dei noſtri.

℣. Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jeſum. * Propter. Gloria Patri. * Propter.

Judith. 13. 25. *Luc.* 1. 31.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſalm.* 66. 6. 7.

Ant. t. 1. *A.* Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Ant. t. 3. *a.* Tota pulchra es, & mácula non eſt in te. *Cant.* 4. 7.

Ant. t. 5. *a.* Multæ filiæ congregavérunt divítias; tu ſupergréſſa es univérſas. *Prov.* 31. 29.

Ant. t. 7. *a.* In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur ſuper te Deus Iſrael. *Judith.* 13. 31.

Ant. t. 6. *f.* Venit lumen tuum, & glória Dómini ſuper te orta eſt. *Iſ.* 60. 1.

Capitulum. *Iſ.* 7. 13. 14.

Audíte, domus David: Dabit Dóminus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ póſuit prodígia ſuper terram. *Pſ.* 45. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti. *Luc.* 11. 27.

Oratio.

Concéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítiâ, & ætérna pérfrui lætítia; Per, &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maríâ Vírgine, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. *Cant.* 6. 9.

Quæ eſt iſta quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta?

℟. *br.* Diffúſa eſt grátia * In lábiis tuis. Diffúſa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. * In lábiis. Glória. Diffúſa. *Pſ.* 44. 3.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ℟. Inténde, proſperè procéde, & regna. *Pſ.* 44. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. *Tob.* 13. 23.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum.

℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Glória. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 12. 5.

MUlier péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes; & raptus eſt Fílius ejus ad Deū, & ad thronum ejus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo; ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſ. 86. 5.*

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ. 131. 13.*

Hoc Officium terminatur ad Nonam.

Una ex ſequentibus Lectiónibus dicetur pro tertia Lectióne in Officio B. M. in Sabbato, juxta menſem.

MENSE JANUARIO.

De Epíſtolâ ſancti Ambróſii Epíſcopi ad Sirícium Papam.

Lectio iij.

Epiſt. 42. n. 4. & 5.

DE via perverſitátis prodúntur dícere; Virgo concépit, ſed non Virgo generávit. Pótuit ergo Virgo concípere, non pótuit Virgo generáre, cùm ſemper conceptus præcédat, partus ſequatur? Sed ſi doctrínis non créditur Sacerdótum, credátur oráculis Chriſti, credátur mónitis Angelórum dicéntium; Quia non eſt impoſſíbile Deo omne verbum. Credátur ſymbolo Apoſtolórum quod Eccléſia Romána intemerátum ſemper cuſtódit & ſervat. Audívit María vocem Angeli, & quæ díxerat, Quómodo fiet iſtud? non de fide generatiónis intérrogans, reſpóndit póſtea: Ecce ancílla Dómini, contíngat mihi ſecúndùm verbum tuum. Hæc eſt Virgo quæ in útero concépit, Virgo, quæ péperit fílium. Sic enim ſcriptum eſt: Ecce Virgo in útero concípiet & páriet fílium. Non enim conceptúram tantùmmodo Vírginem, ſed & paritúram Vírginem dixit.

MENSE FEBRUARIO.

Ex libro Epiſtolárum ſancti Cyrílli Alexandríni.

Lectio iij.

Conc. Eph. Part. 1. Cap. 9.

QUòd Verbum caro factum perhibétur, id áliud nihil eſt, quàm quòd, perínde ac nos, carni & ſánguini communicávit, noſtróque córpore ſibi adjúncto, ex mulíere prodíerit; Deitáte ínterim, aut ex Patre nativitáte non abjéctâ: manſit enim in ipſâ quoque carnis aſſumptióne, quod priùs erat. Hoc exactióris fídei doctrína ubíque prædicat: hoc ſanctos Patres ſanxíſſe, eáque de cauſa ſacram Vírginem Deíparam appelláre mínimè dubitáſſe conſtat; non quòd Verbi natúra, ipſiúsve divínitas, ortûs ſui princípium ex ſancta Vírgine súmpſerit; ſed quòd ſacrum illud corpus ánimâ intelligénte perféctum, ex ea

tráxerit: cui & Dei Verbum ſecúndùm hypóſtaſim unítū, ſecúndùm carnem natum dícitur.

MENSE MARTIO.

Sermo ſancti Gregórii Nyſſeni.

Lectio iij.

Orat. in Nativ. Chriſti.

AUdi pudícam Vírginis vocem; Angelus partum núntiat: at illa virginitáti inhæret, & integritátem Angélicæ demonſtratióni anteponéndam júdicat: nec Angelo fidem non habet, nec à propóſito recédit ſuo. Interdíxi, inquit, mihi conſuetúdine viri. Quómodo iſtud erit mihi, quóniam virum non cognóſco? Hæc Maríæ vox demonſtrátio eſt eórum quæ in occúlta hiſtória referúntur. Si enim nuptiárum causâ ducta fuíſſet à Joſeph, quómodo paritúram Angelo prænuntiánti ſe rem novam & aliénam audíre præ ſe tuliſſet, cùm ipſa quoque ſeſe obſtrinxiſſet natúræ lege, ut aliquándo mater eſſet? Verùm quia carnem Deo conſecrátam, tamquam ſanctum áliquod oblátū munus, oportébat intáctam, integrámque præſtáre; idcírco, Licèt, inquit, Angelus ſis, licèt è cœlo vénias, licèt id quod oſténditur natúram súperet humánam; tamen me virum cognóſcere nefas eſt. Quómodo ſine viro mater ero? Joſeph enim ſponſum novi; ſed virum non cognóſco.

OFFICIUM PARVUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ex devotione tantùm dicendum ut infrà.

AD VESPERAS.

Dictis, Pater. Ave. *incipitur*

℣. Deus, in adjutórium, &c. Glória Patri, &c. Allelúia *vel* Laus tibi, Dómine, &c. *Pro tempore.*

Antiph. ſola. t. 7. A. Non vocáberis.

PSALMUS 109.

DIxit Dóminus Dómino meo:* Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * ſcabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dominus ex Sion:* dominári in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in ſplendóribus ſanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchíſedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ ſuæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquaſſábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet ; * proptérea exaltábit caput.

P S A L M U S 112.

LAudáte, púeri, Dóminum ; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum : * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum * laudábile nomen Dómini.

Excélſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra ?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui ;

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

P S A L M U S 121.

LÆtátus ſum in his quæ dicta ſunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes noſtri * in átriis tuis, Jeruſalem ;

Jerúſalem, quæ ædificátur ut cívitas ; * cujus participátio ejus in idípſum.

Illuc enim aſcendérunt tribus, tribus Dómini ; * teſtimónium Iſrael ad confiténdum nómini Dómini ;

Quia illìc ſedérunt ſedes in judício, * ſedes ſuper domum David.

Rogáte quæ ad pacem ſunt Jerúſalem ; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei noſtri, * quæſívi bona tibi.

P S A L M U S 126.

NIſi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Niſi Dóminus cuſtodíerit civitátem, * fruſtrà vígilat qui cuſtódit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem súrgere : * súrgite poſtquam ſedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis ſuis ſomnum, * ecce hæréditas Dómini, fílii ; mèrces, fructus ventris.

Sicut ſagíttæ in manu poténtis; * ita fílii excuſſórum.

Beátus vir qui implévit deſidérium ſuum ex ipſis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis ſuis in porta.

PSALMUS 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te:

Qui póſuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui emíttit elóquium ſuum terræ; * velóciter currit ſermo ejus:

Qui dat nivem ſicut lanã; * nébulam ſicut cínerem ſpargit:

Mittit cryſtállum ſuam ſicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emíttet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ;

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael.

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

Ant. Non vocáberis ultrà Derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Iſ.* 62. 4.

Capitulum. Iſ. 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jeſſe, & flos de radíce ejus aſcéndet: & requiéſcet ſuper eum Spíritus Dómini.

Hymnus. Ave, maris ſtella, *ut ſuprà*, pag. lxxxiv.

℣. Concupíſcet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. *Pſ.* 44. 12.

Ad Magnif. Ant. 2. 3. *a.* Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsâ terrâ. *Judith.* 11. 21.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæſumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis ſanitáte gaudére; & glorióſâ beátæ Maríæ ſemper Vírginis interceſſióne, à præſenti liberári triſtítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum, &c.

Deinde fit commemoratio de omnibus Sanctis.

Ant. Regnáſti, Dómine Deus omnípotens, & advénit tempus réddere mercédem ſervis tuis, & ſanctis. *Apoc.* 11. 17. 18.

℣. Juſti confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Pſ.* 139. 14.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum, & Apoſtolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apoſtolórum patrocínio confidéntem perpétuâ defenſióne conſérva.

OMnes Sancti tui, quæſumus, Dómine, nos ubíque lætíficent; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia ſentiámus: & pacem tuam noſtris concéde

temporibus, & ab Eccléſia tua cunctam repélle nequítiam; iter, actus, & voluntátes noſtras, & ómnium famulórum tuórum, in ſalútis tuæ proſperitáte diſpóne; benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbue; & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde; Per Dóminum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

℣. Convérte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Pſalmi Uſquequò, Dómine, *pag.* 56. Sæpe expugnavérunt me, *pag.* 133. De profundis, *pag.* 133. Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 133.

H Y M N U S.

O Quæ polo ſublímior
Regína cœli díceris!
Nos è ſupérnis ſédibus,
María, clemens áſpice.

Chriſtus ſibi quos éligit
Fratres, adópta filios;
Et matris in nos víſcera
Mitéſque vultus índue.

Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum, Judith. 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Nunc dimíttis. *Ant.* ℣. 5. Invéniam grátiam in conſpéctu tuo: experiménto dídici, quia benedíxerit mihi Deus propter te. *Geneſ.* 30. 27.

Oratio.

BEátæ & glorióſæ ſemper Vírginis Maríæ, quæſumus, Dómine, intercéſſio glorióſa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum, &c.

Dóminus vobíſcum.

Benedicamus, &c.

Fidélium ánimæ, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea, &c. ℣. Deus, in adjutórium, &c.

Invitat. Jeſum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

H Y M N U S.

NObis Deum quæ párturis,
O Virgo, matrum máxima!
Preces tibi quas fúndimus,
Offer benígna Fílio.

Novi ſimul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Colúmba pacis núntia,
Et pacis obſes mitteris.

Quo vivis, à te ſúſcipit
Vitam Creátor ómnium:
Imménſus in te cláuditur,
De te fit ætérnus caro.

Subdit tuis ſe légibus
Mundi treméndus légifer:
A te puer lac mútuat
Qui dat cibum quo páſceris.
Cœlum feréntem súſtines;
Greſſus Tonántis témperas;
Suóque ſtantem Númine
Loco, ſitúque dímoves.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo ſit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur die Dominicâ, in parvo Officio B. Mariæ, necnon Feriâ 2. & 5.

Ant. Erit tibi Dóminus.

PSALMUS 8.

DOmine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

Quóniam eleváta eſt magnificéntia tua * ſuper cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecíſti laudem propter inimícos tuos; * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam víſitas eum?

Minuíſti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronáſti eum; * & conſtituíſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjecíſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univérſas, ínſuper & pécora campi:

Vólucres cœli & piſces maris, * qui perámbulant ſémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univérſa terra!

PSALMUS 18.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuũ ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbũ, * & nox nocti índicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum; * & ipſe, tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus;

Et occúrſus ejus uſque ad ſummum ejus; * nec eſt qui ſe abſcóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſa-

pientiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini ſanctus, pérmanens in ſæculum ſæculi: * judícia Dómini vera, juſtificáta in ſemetípſa.

Deſiderabília ſuper aurum & lápidem pretióſum multùm; * & dulcióra ſuper mel & favum.

Etenim ſervus tuus cuſtódit ea; * in cuſtodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce ſervo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditátio cordis mei in conſpéctu tuo ſemper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus ſcribæ * velóciter ſcribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo ſuper femur tuum, * Potentíſſime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * próſperè procéde,

Et regna propter veritátem, & manſuetúdinem, & juſtítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli ſub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexíſti juſtítiam, & odíſti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cáſia à veſtiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Aſtitit regína à dextris tuis in veſtítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & obliviſcere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíſcet rex decórem tuum; * quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus; & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines poſt eam; * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia & exultatióne ; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati ſunt tibi filii : * conſtítues eos príncipes ſuper omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum ; * & in ſæculum ſæculi.

Ant. Erit tibi Dóminus in lucem ſempitérnam ; & Deus tuus in glóriam tuam. *Iſ.* 60. 19.

℣. In ſole póſuit tabernáculum ſuum ; ℟. Et ipſe tamquam ſponſus procédens de thálamo ſuo. *Pſ.* 18. 6.

Pater noſter, &c. *Benedictiones, Lectiones & ℣℟. ut infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiphona dicuntur Feriâ 3. & Feriâ 6.

Ant. Ipſa eſt múlier.

PSALMUS 45.

DEus noſter refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra ; * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum : * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna : * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dóminus virtútum nobíſcum ; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póſuit prodígia ſuper terram ; * áuferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma ; * & ſcuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego ſum Deus ; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíſcum; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Fundátur exultatióne univérſæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoſcétur, * cùm ſuſcípiet eam ;

Quóniam ecce reges terræ congregáti ſunt ; * convenérunt in unum.

Ipſi vidéntes ſic admiráti ſunt, * conturbáti ſunt, commóti ſunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres, ut parturiéntis.

In ſpíritu veheménti * cónteres naves Tharſis.

Sicut audívimus, ſic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei noſtri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suſcépimus, Deus, miſericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ: * juſtítiâ plena eſt déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & compleƈtímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda veſtra in virtúte ejus, & diſtribúite domos ejus; * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic eſt Deus, Deus noſter in ætérnum, & in ſæculum ſæculi: * ipſe reget nos in ſæcula.

PSALMUS 84.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remiſíſti iniquitátem plebis tuæ; * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam; * avertíſti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquatur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanƈtos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipſíus, * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt; * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fruƈtum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit; * & ponet in via greſſus ſuos.

Ant. Ipſa eſt múlier quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

℣. Exultent fíliæ Judæ,

℟. Propter judícia tua, Dómine. *Pſ.* 47. 12.

Pater. *Leƈtiones ut infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Tres Pſalmi ſequentes ſub una Antiph. dicuntur Fer. 4. & Sabb.

Ant. Benedíxiſti.

PSALMUS 86.

FUndaménta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & populus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in Scriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, * habitátio eſt in te.

PSALMUS 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet; * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórāt ſculptília, * & qui gloriántur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta eſt Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíſſimus ſuper omnem terram; * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum: * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos:

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino; * & confitémini memóriæ ſanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum; * in conſpéctu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſrael.

Vidérunt omnes términi terræ * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & pſállite.

Pſállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce pſalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conſpéctu regis Dómini; * moveátur mare,

&

& plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ſimul montes exultábunt à conſpéctu Dómini; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in juſtitia, * & populos in æquitáte.

Ant. Benedíxit te Dóminus in virtúte ſuâ, quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. *Judith.* 13. 22.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei noſtri. *Pſ.* 97. 3.

Pater noſter, &c.

Abſolutio.

BEnefáciat nobis Deus, & meminerit teſtaménti ſui quod locútus eſt, & exáudiat oratiónes noſtras. 2. *Mach.* 1. 2. 5. ℟. Amen.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. Nobíſcum ſit Deus, qui in ancíllâ ſuâ adimplévit miſericórdiam quam promíſit dómui Iſrael. *Judith.* 13. 13. 18.

De Iſaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 10. *ad* 15.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi ſignum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, ſive in excélſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis eſt, moléſtos eſſe homínibus, quia moléſti eſtis & Deo meo. Propter hoc dabit Dóminus ipſe vobis ſignum. Ecce Virgo concípiet, & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem, &c.

℟. Benedícam ei., & ex illa dabo Fílium, cui benedictúrus ſum. * Conſtítuam pactum meum illi in fœdus ſempitérnum.

℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Conſtítuam. *Gen.* 17. 16. 19. *Luc.* 1. 32.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 2. Arca fœderis Dómini ſalvet nos de manu inimicórum noſtrórum. 1. *Reg.* 4. 3.

De Libro Apocalypſis beáti Joánnis Apóſtoli.

Lectio ij. Cap. 11. *v.* 19. *&* Cap. 12. *v.* 1. *&* 5.

APértum eſt templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca teſtaménti ejus in templo ejus, & facta ſunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim. Et péperi Fílium máſculum qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: & raptus eſt fílius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Tu autem, &c.

℟. Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi: * Véritas de terra orta eſt, & juſtítia

de cœlo proſpéxit. ℣. De María natus eſt Jeſus, qui vocátur Chriſtus. * Véritas. *Pſ.* 84. 11. 12. *Matth.* 1. 16.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 3. Reſpíciat qui hoſtem pópuli ſui per manum fœminæ percúſſit, Dóminus Deus noſter. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

Ex Libro ſancti Ambróſii Epíſcopi de Virgínibus. *Lib.* 2. *Cap.* 2.

Lectio iij.

SIt vobis tamquam in imágine deſcrípta virgínitas, vitaque Maríæ, de qua velut ſpéculo refúlget ſpécies caſtitátis, & forma virtútis. Quid nobílius Dei matre? Quid ſplendídius eâ quam ſplendor elégit? Quid caſtius eâ quæ corpus ſine córporis contagióne generávit? Nam de cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non ſolum córpore, ſed étiã mente, quæ nullo doli ambitu ſincérum adulteráret affectum; corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi párcior, legéndi ſtudióſior; non in incérto divitiarum, ſed in prece páuperis ſpem repónens.

℟. Memoráre diérum humilitátis tuæ; * Et tu ínvoca Dominum, & lóquere regi pro nobis, & † Líbera nos de morte. ℣. María, inveniſti grátiam apud Deum. * Et tu. Glória. † Líbera. *Eſther.* 15. 2. 3. *Luc.* 1. 30.

Te Deum *dicitur diebus Dominicis & in Dupl. & Semid.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum ſuum. *Pſ.* 66. 6. 7.

Ant. ſola. Benedícta.

PSALMUS 66.

DEus miſereátur noſtrî, & benedícat nobis: * illúminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereátur noſtrî;

Ut cognoſcamus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus ſalutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætentur, & exúltent gentes; * quoniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum ſuum.

Benedícat nos Deus, Deus noſter, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 92.

DOminus regnávit, decórem indútus eſt; * indútus eſt Dóminus fortitúdinem, & præcínxit ſe.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta ſedes tua ex tunc; * à ſæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dó-

mine, * elevavérunt flúmina vocem ſuam:

Elevavérunt flúmina fluctus ſuos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Teſtimónia tua credibília facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

PSALMUS 99.

JUbiláte Deo, omnis terra; * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos: * pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus.

Introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, * in ætérnũ miſericórdia ejus, & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

CANTIC. *Zachariæ* 2. *v.* 10. *ad finem.*

LAuda, & lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî.

Et ſcies quia Dóminus exercítuum * miſit me ad te.

Et poſſidébit Dóminus Judam partem ſuam in terra ſanctificáta; * & éliget adhuc Jerúſalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia conſurréxit de habitáculo ſancto ſuo.

Glória.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudát eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ eſt iſta, quæ progréditur quaſi auróra conſúrgens? pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procul díſſipat umbras:
O quàm lucídior, nocte ſepúltis
Portans ipſa diem, Virgo, refúlges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te ſi terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dedíſce genus: noſtra fuíſti,
Summi facta parens, Virgo Tonántis.
Divínæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Rex noſter operátus eſt ſalútem. ℟. Tu confrégiſti cápita dracónis. *Pſ.* 73. 12. 14.

Ad Benedict. *Ant.* Beáta, quæ credidíſti; quóniam perficiéntur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem ſuſcípere voluíſti; præſta ſupplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te interceſſiónibus adjuvémur; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Commemoratio Sanctorum, ut ſuprà in Veſperis.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. &c.

℣. Deus in adjutorium, &c. *Et ſic in aliis Horis.*

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Noſtrî misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.
Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno réſpice:
Placábilem tuâ prece
Fac eſſe nobis Filium.
Sit laus Patri; laus Filio
Qui natus eſt de Vírgine;
Quo Virgo fit Puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Tu glória.

Pſalmi. Deus, in nómine tuo ſalvum me fac, *pag.* 59. Cantate Dómino... cantáte.. omnis terra, *pag.* 124. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 91.

Ant. Tu glória Jerúſalem, tu lætítia Iſrael, tu honorificéntia pópuli noſtri. *Judith.* 15. 10.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam filiæ, & beatíſſimam prædicavérunt; regínæ & laudavérunt eam.

℟. *br.* Spécie tuâ * Et pulchritúdine tuâ. Spécie..

℣. Inténde próſperè, procéde, & regna. * Et pulchritúdine. Glória, &c. Spécie. *Pſ.* 44. 5.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis: ℟. Benedíxit te Deus in ætérnum. *Pſ.* 44. 3.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos ſubſídiis pacis: & beátæ Maríæ ſemper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóſtibus & perículis redde ſecúros; Per, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Glorióſa Vírginum,
Regína cœlo célſior,
Quantò, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit.
Cunctis Deum Virgo paris,
Deſiderátum géntibus
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.
Sit laus Patri, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Fílius.

Pſalmi. Crédidi propter quod locútus ſum, *pag.* 91. Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154. Levávi óculos, *pag.* 71.

Ant. Fílius Dei factus eſt ei ex ſémine David ſecúndùm carnem. *Rom.* 1. 3.

Capitulum. Eccli. 24. 12.

PRæcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus.

℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non. Glória. Deus. *Pſ.* 45. 6.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Oratio.

DEus, qui ſalútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præſtitíſti tríbue, quæſumus; ut ipſam pro nobis intercédere ſentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ ſuſcípere Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, Qui tecum vivit, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

DIc, Virgo, quæ vis tráxerit,
Patris coævum Fílium,
E Patris ætérno ſinu,
Mortális in matris ſinum?

Hæc, quæ ſibi numquam placens
Deo placet modéſtiâ,
Quâ tu tibi ſis vilior,
Hâc, digna ſis mater Dei.
Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Péperit.

Pſalmi. Ad te levávi óculos meos, *pag.* 51. Niſi quia Dominus erat, *pag.* 71. Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

Ant. Péperit Fílium máſculum, qui recturus erat omnes gentes. *Apoc.* 12. 5.

Capitulum. Gal. 4. 4. 5.

UBi venit plenitúdo témporis, miſit Deus Fíliū ſuum, factum ex mulíere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo. ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſalm.* 86. 5.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem; ℟. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Pſ.* 131. 11.

Oratio.

COncéde, miſéricors Deus, fragilitáti noſtræ præſídium; ut qui ſanctæ Dei Genitrícis memóriā ágimus, interceſſiónis ejus auxílio, à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

QUis ore digno te canat
Virgo, Dei Puérpera?
Adeſte, puri ſpíritus,
Veſtri ſit illud múneris.

Tu dux olympi prævia,
Clauſas diu pandis fores;
Nos éxules, ſi nos amas,
Reddas patérnis ſédibus.

Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Beátus venter.

Pſalmi. In converténdo, *pag.* 92. Beáti omnes qui timent, *pag.* 112. Confitébor tibi... quóniam audíſti, *pag.* 53.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ ſuxíſti. *Luc.* 11. 27.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & ſit regnum ejus in ſæcula ſæculórum ſuper eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Gloria. Vultum. *Pſ.* 44. 13.

℣. Adducéntur regi vírgines poſt eam; ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. *Pſalm.* 44. 15.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæſumus, Dómine, delíctis ignóſce, ut qui tibi placére de áctibus noſtris non valémus, Genitrícis Filii tui Dómini noſtri inter-

ceſſióne ſalvémur; Per eumdem Dóminum, &c.

AD II. VESPERAS.

Pſalmi ut in I. Veſperis ſub unica Antiph. ſequenti.

Ant. Quod in eâ natum eſt, de Spíritu ſancto eſt. *Matth.* I. 20.

Capitulum. Apoc. 12. I.

SIgnum magnum appáruit in cœlo; Múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellarum duódecim.

HYMNUS.

DAvídis ſóboles, glória Vírginum
Chriſti Virgo parens, te póſuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium, qui dedit ómnibus,
A te princípium ſumpſit homo Deus;
Cunctis proſpíciens qui tríbuit cibos
Paſtus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs:
Tu clauſas míſeris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réſeras fores.
Qui lucis Pater eſt, glória ſit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par gloria, Spíritus. Amen.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Pſ.* 44. 18.

Ad Magnif. *Ant.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens eſt. *Luc.* I. 48. 49.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, & intercedénte ſanctâ Dei Genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitate, & charitate ſanctífica; Per, &c.

Commemoratio Sanctorum, ut in I. Veſperis.

Completorium, ut poſt I. Veſperas.

PSALMI POENITENTIALES.

Ant. Dómine.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére mei, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dñe, úſquequò.

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per ſíngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéſcant valde velóciter.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 31.

BEáti quorum remiſſæ ſunt iniquitátes, * & quorum tecta ſunt peccáta.

Beatus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec eſt in ſpíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt oſſa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta eſt ſuper me manus tua, * convérſus ſum in ærúmna mea, dum configitur ſpina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injuſtítiam meam non abſcóndi.

Dixi: Confitébor advérſùm me injuſtítiam meam Dómino; * & tu remiſíſti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis ſanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me; * exultátio mea,

érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínſtruam te in via hac, quâ gradiéris: * firmábo ſuper te óculos meos.

Nolíte fieri ſicut equus & mulus, * quibus non eſt intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eorum conſtrínge, * qui non approximant ad te.

Multa flagélla peccatóris;* ſperántem autem in Dómino miſericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, juſti, * & gloriámini, omnes recti corde.

Glória, &c.

P s a l m u s 37.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam ſagíttæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmáſti ſuper me manū tuam.

Non eſt sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ ſupergréſſæ ſunt caput meū;* & ſicut onus grave graváta ſunt ſuper me.

Putruérunt, & corrúptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvátus ſum uſque in finem: * totâ die contriſtátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus; * & non eſt sánitas in carne mea.

Afflíctus ſum, & humiliátus ſum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum; * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes;* & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperavi; * tu exaudies me, Dómine Deus meus;

Quia dixi: Nequándo ſupergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt;

Quóniam ego in flagélla parátus ſum; * & dolor meus in conſpéctu meo ſemper.

Quóniam iniquitátem meā

annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti ſunt ſuper me;* & multiplicáti ſunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; * quóniam ſequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne diſcéſſeris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus ſalútis meæ.

Glória, &c.

P s a l m u s 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniā iniquitátem meā ego cognóſco, * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malum coram te feci; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti: * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundabor: * lavabis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultabunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas;* & ímpii ad te convertént ur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique; * holocauſtis non delectaberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítū & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jeruſalem.

Tunc acceptábis ſacrifíciū juſtítiæ, oblatiónes & holocauſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vitulos.

Glória, &c.

PSALMUS 101.

DOmine, exáudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me;

Quia defecérunt ſicut fumus dies mei, * & oſſa mea ſicut crémium aruérunt.

Percúſſus ſum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus ſum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæſit os meum carni meæ.

Símilis factus ſum pellicáno ſolitúdinis; * factus ſum ſicut nycticorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus ſum ſicut paſſer ſolitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurabant;

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miſcébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans alliſíſti me.

Dies mei ſicut umbra declinavérunt; * & ego ſicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miſeréberis Sion; * quia tempus miſeréndi ejus, quia venit tempus:

Quóniam placuérunt ſervis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miſerebúntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória ſua.

Reſpéxit in oratiónem humílium, * & non ſprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & populus qui creabitur, laudabit Dóminum;

Quia proſpéxit de excélſo ſancto ſuo; * Dóminus de cœlo in terram aſpéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut ſólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúſalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut ſerviant Dómino.

Reſpóndit ei in via virtútis ſuæ: * paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundáſti; * & ópera mánuum tuárum ſunt cœli.

Ipſi períbunt; tu autem

pérmanes: * & omnes ſicut veſtiméntum veteráſcent;

Et ſicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipſe es, & anni tui non defícient.

Fílii ſervórum tuórum habitábunt; * & ſemen eórum in ſæculum dirigétur.

Glória, &c.

P s a l m u s 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuã ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino;

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória, &c.

P s a l m u s 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam; áuribus pércipe obſecratiónem meã in veritáte tua; * exáudi me in tua juſtítia;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meã.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus; in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego ſervus tuus ſum.

Glória, &c.

Ant. Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléiſon.
Chriſte, eleiſon.
Kyrie, eléiſon.
Chriſte, audi nos.
Chriſte, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miſerére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, miſerére nobis.
Spíritus ſancte Deus, miſerére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miſerére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes ſancti Angéli & Archangeli, oráte pro nobis.
Omnes ſancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora.
Sancte Joachíme, ora.
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andréa,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Joánnes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe,
Sancte Philíppe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangeliſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Gengúlphe, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte pro nobis.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Elíphi, ora.
Sancte Eúchari, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambróſi, ora.

Sancte Auguſtíne,
Sancte Hierónyme,
Sancte Hilári,
Sancte Martíne,
Sancte Remígi,
Sancte Nicoláe,
Sancte Manſuéte,
Sancte Amon,
Sancte Aper,
Sancte Gauzelíne,
Sancte Gerárde,
Sancte Aúſpici,
Sancte Leudíne,
Sancte Jacob,
Sancte Vedáſte,
Sancte Deódate,
Sancte Hydulphe,
Sancte Gondelbérte,
Sancte Arnúlphe,
Sancte Cárole,
Ora pro nobis.

Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Omnes ſancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Sancte Romárice, ora.
Sancte Amáte, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ, oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta Elízabeth, ora.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sancta Thecla, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharína,
Sancta Anaſtáſia,
Sancta Urſula cum sóciis tuis,
Sancta Aprónia,
Sancta Libária,
Sancta Genovéfa,
Ora pro nobis.

Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, Líbera nos, Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab inſídiis Diáboli, líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus, líbera.
Ab ira, & ódio, & omni malâ voluntáte, líbera.
A fúlgure & tempeſtáte, líbera nos, Dómine.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Advéntum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, lib.
Per Baptíſmum & ſanctum jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & paſſionem tuam, líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam Reſurrectióne̅ tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.

Per advéntum Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, te.
Ut remiſſiónem peccátorum noſtrórum nobis dones, te.
Ut fidem, ſpem, & charitátem nobis dones, te.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere, & conſerváre dignéris, te.
Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta Religióne conſerváre dignéris, te.
Ut Antíſtitem noſtrum, & omnes congregatiónes illi commíſſas in tuo ſancto obſéquio conſerváre dignéris, te rog.
Ut Regem noſtrum cuſtodíre dignéris, te.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus, & Princípibus Chriſtiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem, & unitátem largíri dignéris, te.
Ut noſmetípſos in tuo ſancto ſervítio confortáre, & conſerváre dignéris, te.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempitérna bona retríbuas, te.
Ut ánimas noſtras, fratrum, propinquórum & benefactórum noſtrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare, & conſerváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miſerére nobis.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater noſter: *ſecretò*:
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

PSALMUS 69.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me feſtína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórſum & erubéſcant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur ſtatim erubeſcéntes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te ; * & dicant ſemper ; Magnificétur Dóminus , qui diligũt ſalutáre tuum.

Ego verò egénus, & pauper ſum ; * Deus , ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : * Dómine , ne moréris.

Glória Patri , &c.

℣. Dómine , non ſecúndum peccáta noſtra fácias nobis ; ℟. Neque ſecúndùm iniquitátes noſtras retríbuas nobis. *Pſ.* 102. 10.

℣. Ne memíneris iniquitátum noſtrárum antiquárũ, ℟. Citò antícipent nos miſericórdiæ tuæ ; quia páuperes facti ſumus nimis. *Pſ.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus ſalutáris noſter ; & propter glóriam nóminis tui líbera nos ; ℟. Et propítius eſto peccátis noſtris propter nomen tuum. *Pſ.* 78. 9.

℣. Eſto nobis , Dómine, turris fortitúdinis , ℟. A fácie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Orémus pro Paſtóre noſtro : ℟. Dóminus consérvet eum , & vivíficet eum. *Pſ.* 40. 3.

℣. Pro Rege noſtro : ℟. Dómine, ſalvum fac Regem ; & exáudi nos in die qua invocavérimus te. *Pſal.* 19. 10.

℣. Pro benefactóribus noſtris : ℟. Deus omnem grátiã abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum juſtitiæ illorum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.

℣. Pro frátribus noſtris abséntibus : ℟. Rege eos , & extólle illos uſque in ætérnum. *Pſ.* 27. 9.

℣. Pro infirmis, afflíctis, captívis & peregrínis ; ℟. Líbera, Deus , Iſrael ex ómnibus tribulatiónibus ſuis. *Pſ.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis: ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem , & vídeant juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

℣. Memor eſto congregatiónis tuæ , ℟. Quam poſſedíſti ab inítio *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

O R E M U S.

DEus , cui próprium eſt miſeréri ſemper , & párcere : súſcipe deprecatiónem noſtram ; ut nos , & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæſumus, Dómine, súpplicum preces , & confiténtium tibi parce peccátis ; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine , miſericórdiam tuam cleménter oſténde ; ut ſimul nos , & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro

his

his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui ſupplicántis propítius réſpice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis noſtris merémur, avérte.

OMnípotens ſempitérne Deus, miſerére fámulo tuo Pontífici noſtro N. & dírige eum ſecúndùm tuam cleméntiam in viam ſalútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæſumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Rex noſter qui tuâ miſeratióne ſuſcépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monſtra devitáre, hoſtes ſuperáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratióſus váleat perveníre.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta consília, & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandátis tuis dédita; &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto corpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens ſempitérne Deus, qui vivórum domináris ſimul & mortuórũ, omniúmque miſeréris, quos tuos fide & ópere futúros eſſe prænóſcis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus; quoſque vel præſens ſæculũ adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore ſuſcépit, intercedéntibus ómnibus ſanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum ſuórum véniam conſequántur; Per Dóminũ, &c.

℣. Dóminus vobíſcum,
℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens & miséricors Dóminus.
℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace. ℟. Amen.

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMÆ
ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Juſtórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptíſta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes ſancti Patriárchæ & Prophétæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes ſancti Apóſtoli & Evangelíſtæ, oráte.
Omnes ſancti Diſcípuli Dómini, oráte.
Omnes ſancti Innocéntes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes ſancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Sylvéſter, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Lúcia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Viduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius eſto, Parce ei, Dómine.
Propítius eſto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius eſto, Líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A poteſtate diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Per crucem & paſſiónem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.

Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitûs anima anxiatur, dicuntur ſequentes Orationes.

ORATIO.

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effúſus eſt: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Poteſtátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine ſanctórum Apoſtolórum & Evangeliſtárum: In nómine ſanctórum Mártyrum & Confeſſórum: In nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine ſanctárum Vírginū, & ómnium Sanctórū & Sanctárū Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus miſéricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas: réſpice propítius ſuper *hunc fámulum tuum N. (*vel* hanc fámulam tuam N.) & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem, deprecátus exáudi. Rénova in *eo, (*vel* ea) piíſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, *chariſſime frater (*vel* charíſſima ſoror;) & ei cujus es creatúra committo: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat, judex

Apoſtolórum tibi ſenátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confeſſórum turma circumdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : beatæ quiétis in ſinu Patriarchárum te compléxus aſtringat : mitis atque feſtívus Chriſti Jeſu tibi aſpéctus appáreat, qui te inter aſſiſténtes ſibi júgiter intereſſe decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod ſtridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus ſátanas cum ſatellítibus ſuis : in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíſcat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus ; & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : ſicut fluit cera à fácie ignis, ſic péreant peccatóres à fácie Dei : & juſti epuléntur, & exúltent in conſpéctu Dei. Confundántur igitur & erubéſcant omnes tartáreæ legiónes : & miniſtri ſátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Líberet te ab ætérna morte Chriſtus, qui pro te mori dignátus eſt. Conſtítuat te Chriſtus Fílius Dei vivi intra paradíſi ſui ſemper amœna viréntia, & inter oves ſuas te verus ille Paſtor agnóſcat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te abſólvat, atque ad déxteram ſuam in electórum ſuórum te ſorte conſtítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas ; & præſens ſemper aſsíſtens, manifeſtíſſimam beátis óculis aſpícias veritátem. * Conſtitútus (*vel* Conſtitúta) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Suſcipe, Dómine,*ſervum tuum (*vel* ancíllam tuã) in locum ſperándæ ſibi ſalvatiónis à miſericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus ex ómnibus perículis inférni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Enoch & Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Noe de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Job de paſſiónibus ſuis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Iſaac de hóſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, áni-

mam ejus, ſicut liberáſti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Móyſen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam ejus, ſicut liberáſti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti tres púeros de camíno ignis ardéntis, & de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Susánnam de falſo crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti David de manu regis Saül, & de manu Góliath. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam ejus, ſicut liberáſti Petrum & Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et ſicut beatíſſimam Theclam vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíſſimis torméntis liberáſti, ſic liberáre dignéris ánimam hujus * ſervi tui (*vel* ancíllæ tuæ;) & tecum fácias in bonis cœléſtibus congaudére. ℟. Amen.

Commendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ,) precamúrque te, Dómine Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram deſcendíſti, Patriarchárum tuórum ſínibus inſinuáre non rénuas. Agnóſce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, ſed à te ſolo Deo vivo & vero; quia non eſt álius Deus præter te, & non eſt ſecúndùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conſpéctu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas ſuſcitávit furor mali deſidérii. Licèt enim peccáverit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum ſanctum non negávit, ſed crédidit; & zelum Dei in ſe hábuit, & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit. ℟. Amen.

Orémus.

Delícta juventútis, & ignorántias ejus, quæſumus, ne memíneris, Dómine: ſed ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam memor eſto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cœli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, creatúram tuam ſúſcipe. Suſcípiat eam ſanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléſtis méruit principátum. Véniant illi óbviàm ſancti Angeli Dei, & perdúcant eam in civitátem cœléſtem Jerúſalem. Suſcípiat eam beátus Petrus Apóſtolus, cui à Deo claves regni cœléſtis tráditæ ſunt. Adjuvet eam beátus Paulus Apóſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electiónis. Intercédat pro ea ſanctus Joánnes,

eléctus Dei Apóſtolus, cui reveláta ſunt ſecréta cœléſtia. Orent pro ea omnes ſancti Apóſtoli, quibus à Dómino data eſt potéſtas ligándi atque ſolvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Chriſti nómine torménta in hoc ſæculo ſuſtinuérunt; ut vínculis carnis exúta, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléſtis, præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spíritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculórum.

℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Pſalmus Confitémini Dómino, *pag.* 12. *& totus Pſalmus* Beáti immaculáti in via. *per Horas Dominicæ diſtributus*, pag. 13.

Egreſſâ autem animâ, dicitur: ℟. In te, Dómine, ſperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo ſpíritum meum: * Redemíſti me, Dómine Deus veritátis; illúſtra fáciem tuam ſuper * ſervum tuum (*vel* ancíllam tuam,) * ſalvum (*vel* ſalvam) me fac in miſericórdia tua. ℣. Dómine Jeſu, súſcipe ſpíritum meū: * Redemíſti me. *Pſ.* 30. 2. 3. 6. 17. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*: Pater noſter. *Altâ voce*; ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * ſervo tuo (*vel* ancílla tua,) Dómine; ℟. Quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviſcáris in finē. *Pſ.* 73. 19.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum; ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ut * defúnctus (*vel* defúncta) ſæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis peccáta commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſtérge; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Veſperæ inchoantur abſolutè à prima Antiphona.

In fine cujuſque Pſalmi, loco Glória, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

PSALMUS 114.

Ant. t. 8. *G.* O Dómine.

DIléxi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miſéricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus, * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapſu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam, miséricors & juſtus Deus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 2. *D.* Heu mihi.

PSALMUS 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolóſa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolóſam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus deſolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus eſt! *v.* 5.

Ant. t. 8. *C.* Auxílium.

PSALMUS 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómi-

no, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui cuſtódit Iſrael.

Dominus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo; * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introitum tuum, & éxitum tuū, * ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram. *v.* 2.

Ant. t. 8. *G.* Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

De profúndis clamávi ad te, Domine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Domine; * Dómine, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt; * & propter legem tuam ſuſtínui te, Domine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes obſerváveris, Dómine; Dómine, quis ſuſtinébit? *v.* 3.

Ant. t. 2. *D.* Opera.

PSALMUS 137.

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audíſti verba oris mei.

In conſpéctu Angelórum pſallam tibi: * adorábo ad templum ſanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo ſuper miſericórdia tua & veritate tua; * quóniam magnificáſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna eſt gloria Dómini;

Quóniam excélſus Dóminus, & humília réſpicit, * & alta à longè cognóſcit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificabis me; * & ſuper iram inimicórum meórum extendíſti manum tuam, & ſalvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retribuet pro me: * Dómine, miſericor-

dia tua in ſæculum : ópera mánuū tuarum ne deſpícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne deſpícias. *v.* 8.

Continuò dicitur :

Ant. t. 4. *E.* Ad Dóminum.

CANTICUM MARIÆ.

Luc 1. *v.* 46. *ad* 56.

MAgníficat * ánima mea Dóminum ;

Et exultávit ſpíritus meus * in Deo ſalutári meo ;

Quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes ;

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus :

Et miſericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio ſuo;*diſpérſit ſupérbos mente cordis ſui.

Depóſuit poténtes de ſede ; * & exaltávit húmiles.

Eſuriéntes implévit bonis ; * & dívites dimíſit inánes.

Suſcépit Iſrael púerum ſuum, * recordátus miſericórdiæ ſuæ,

Sicut locútus eſt ad patres noſtros, * Abraham & sémini ejus in ſæcula.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Ad Dóminum aſpíciam, donec fáciat judícium meum : edúcet me in lucem, vidébo juſtítiam ejus. *Mich.* 7. 7. 9.

Si Officium fiat ritu Simplici, dicuntur Preces ut poſt Laudes, niſi tamen immediatè poſt Veſperas dicantur Vigiliæ: tunc enim Preces omittuntur, & incipitur à prima Antiphona illius Nocturni qui dicendus eſt juxta Rubricam.

Si verò Officium fiat ritu Duplici, & Vigiliæ non dicantur immediatè, poſt Veſperas dicitur, Dóminus vobíſcum, *& una ex Orationibus poſt Laudes ; & poſt Orationem.* ℣. Dóminus vobíſcum. ℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

AD VIGILIAS.

Invitat. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Pſalm. 94. Veníte, exultémus, *pag.* 2. *in cujus fine, loco* Glória Patri. *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in Depoſitione corporis, & in Anniverſariis ritu Duplici celebrandis : in iis verò quæ fiunt ritu Simplici, unicum dicitur Nocturnum; ſcilicet primum Feriâ 2. & 5. ſecundum Feriâ 3. & 6. tertium Feriâ 4. & Sabbato.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 7. *A.* Dómine.

PSALMUS 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injúſti ante óculos tuos.

Odíſti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolóſum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuū in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas; * cor eórum vanum eſt.

Sepúlchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis, ſecúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætèntur omnes qui ſperāt in te; * in ætérnū exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuū; * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronáſti nos.

Ant. Dómine, deduc me in juſtítia tua: propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam. *v.* 9.

Ant. *t.* 8. *G.* Salvum me fac.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miſerére meî, Dómine, quóniam infírmus ſum; * ſana me, Dómine, quóniam conturbáta ſunt oſſa mea.

Et ánima mea turbáta eſt valde: * ſed tu, Dómine, úſquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * ſalvum me fac propter miſericórdiam tuam;

Quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis ſtratum meum rigábo.

Turbátus eſt à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dó-

minus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubéſcant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei ; * convertántur & erubeſcant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter miſericórdiam tuam ; quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuì. *v.* 5. 6.

Ant. t. 3. *a.* Illúmina.

PSALMUS 12.

Usquequò, Dómine, obliviſceris me in finem ? * úſquequò avértis fáciem tuã à me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me ? * réſpice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte ; * nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero : * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte. *v.* 4.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò ? ℟. Deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſal.* 89. 13.

Pater noſter, *ſecretò : deinde medìocri voce dicitur :* Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur ſine Benedictionibus, & ſine Titulo.

Lectio j.

Job. 7. *v.* 16. *ad finem.*

Parce mihi, Dómine, nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum cor tuum ? Víſitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Uſquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam ſalívam meam ? Peccávi, quid fáciam tibi, ô cuſtos hominum ? Quare poſuíſti me contrárium tibi, & factus ſum mihimetípſi gravis ? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitátem meam ? Ecce, nunc in púlvere dórmiam : & ſi manè me quæſíeris non ſubsiſtam.

In fine Lectionum nihil additur ; ſed terminantur per ſolam vocis intercidentiam.

℟. Dómine omnípotens, ánima in angúſtiis, & ſpíritus ánxius clamat ad te ; audi, Dómine, & miſerére ; * Quia Deus es miſéricors. ℣. Deus, propítius eſto peccatori. * Quia Deus. *Baruch.* 3. 1. 2. *Luc.* 18. 13.

Lectio ij.

Job. 10. *v.* 1. *ad* 8.

Tædet ánimam meam vitæ meæ : dimíttam advérsùm me elóquium meũ, loquar in amaritúdine áni-

mæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre. Indica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, ſi calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi ſunt: aut ſicut videt homo, & tu vidébis? Numquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum ſcrutéris? Et ſcias quia nihil ímpium fécerim, cùm ſit nemo qui de manu tua poſſit erúere.

℟. Quóniam ibit homo in domum æternitátis ſuæ; * Revertátur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. ℣. Det illi Dóminus inveníre miſericórdiam à Dómino in illa die. * Revertátur.. *Eccle.* 12. 5. 7. 2. *Tim.* 1. 18.

Lectio iij.

Job. 10. *v.* 8. *ad* 13.

MAnus tuæ fecérunt me, & plaſmavérunt me totum in circúitu: & ſic repéntè præcípitas me? Meménto, quæſo, quòd ſicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne ſicut lac mulsíſti me, & ſicut cáſeum me coaguláſti? Pelle & cárnibus veſtíſti me: óſſibus & nervis compegíſti me. Vitam & miſericórdiam tribuíſti mihi, & viſitátio tua cuſtodívit ſpíritum meum.

℟. Miſeréris ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & diſſímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odíſti eórum quæ feciſti: * Parcis ómnibus quóniam tua ſunt, Dómine, qui amas ánimas. ℣. Quia tu es Chriſtus Fílius Dei vivi qui in mundum veníſti. * Parcis. Réquiem. * Parcis. *Sap.* 11. 24. 25. 27. *Joan.* 11. 27.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 1. 6. *f.* In médio.

PSALMUS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper sémitas juſtítiæ, * propter nomẽ ſuũ.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine. *v.* 4.

Ant. t. 8. *G.* Delícta.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéſcam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérſi qui ſúſtinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * ſupervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónſtra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus ſalvátor meus, & te ſuſtínui totâ die.

Reminíſcere miseratiónũ tuárum, Dómine, * & miſericordiárum tuárum quæ à ſæculo ſunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm miſericórdiam tuam meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget manſuétos in judício: * docébit mites vias ſuas.

Univérſæ viæ Dómini, miſericórdia & véritas, * requiréntibus teſtaméntum ejus, & teſtimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multũ eſt enim.

Quis eſt homo qui timet Dóminum? * legem ſtátuit eî in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & ſemen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum eſt Dóminus timéntibus eum; * & teſtaméntum ipsíus ut maniſeſtétur illis.

Oculi mei ſemper ad Dóminũ; * quóniam ipſe evéllet de láqueo pedes meos.

Réſpice in me, & miſerére meî; * quia únicus & pauper ſum ego.

Tribulatiónes cordis meî multiplicátæ ſunt; * de neceſſitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univerſa delícta mea.

Réſpice inimícos meos, quóniam multiplicáti ſunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Cuſtódi ánimam meam, & érue me: * non erubéſcam quóniam ſperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia ſuſtínui te.

Líbera, Deus, Iſrael * ex ómnibus tribulatiónibus ſuis.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris, Dómine. *v.* 7.

Ant. t. 4. *E.* Ne tradíderis.

PSALMUS 26.

DOminus illuminátio mea, & ſalus mea; * quem timébo?

Dominus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appróͤpiant ſuper me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipſi infirmáti ſunt, & cecidérunt.

Si consíſtant advérsùm me caſtra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptatem Dómini, * & víſitem templum ejus;

Quóniam abſcóndit me in tabernáculo ſuo; * in die malórum protéxit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis; * cantábo, & pſalmum dicam Domino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miſerére meî, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto; * ne derelínquas me, neque deſpícias me, Deus ſalutaris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem aſſúmpſit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui, & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & súſtine Dóminum.

Ant. Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me. *v.* 12.

℣. Ne avértas fáciem tuam à me, ℟. Ne declínes in ira à ſervo tuo. *Pſalm.* 26. 9.

Pater noſter, *ut ſuprà.*

Lectio iv. Job. 13. *v.* 22. *ad finem.*

REſponde mihi quantas hábeo iniquitátes & peccáta, ſcélera mea, & delícta oſténde mihi. Cur fáciem tuam abſcondis, & arbitráris me inimícum tuū? Contra fólium, quod vento rápitur, oſténdis potentiam tuam, & ſtípulam ſiccam perséqueris. Scribis enim

contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adoleſcéntiæ meæ. Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervásti omnes sémitas meas, & veſtígia pedum meórum conſideraſti: qui quaſi putrédo conſuméndus ſum, & quaſi veſtiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repóſitam grátiam. * Sancta ergo & ſalúbris eſt cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis ſolvántur. ℣. Uniuſcujúſque opus quale ſit, ignis probábit: ſi cujus opus árſerit, detriméntum patiétur; ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12.45.46. 1. *Cor.* 3. 13. 15.

Lectio v. Job. 14. *v.* 1. *ad* 7.

HOmo natus de muliére, brevi vivens témpore, replétur multis miſeriis. Qui quaſi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu pérmanet. Et dignum ducis ſuper hujuſcémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt facere mundum de immúndo conceptum sémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituiſti términos ejus qui præteríri non potérunt. Recede paululum ab eo, ut quiéſcat, donec optáta véniat, ſicut mercenárii dies ejus.

℟. Deus cœli magne atque terríbilis, * Fiant aures tuæ auſcultántes ut áudias oratiónem ſervi tui, quam oro coram te pro ſervis tuis, & confíteor pro peccátis quibus peccavérunt tibi: Dómine, ipſi ſervi tui, & pópulus tuus quos redemiſti. ℣. Defúncti ſunt iſti, non accéptis repromiſſiónibus, ſed a longè eas aſpiciéntes, & ſalutántes, ſigníficant ſe pátriam inquírere; * Fiant aures. 2. *Eſdr.* 1. 5. 6. 10. *Hebr.* 11. 13. 14.

Lectio vj. Job. 14. *v.* 13. *ad* 17.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abſcóndas me, donec pertránſeat furor tuus, & conſtítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putáſne mórtuus homo rurſum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego reſpondébo tibi: Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem greſſus meos dinumeráſti, ſed parce peccátis meis.

℟. Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Iſrael qui peccaverunt ante te. * Noli meminiſſe iniquitátum patrum noſtrórum, ſed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore iſto. ℣. Occúlus es, Dómine, & re-

demíſti nos Deo in ſánguine tuo. * Noli. Réquiem. * Noli. *Baruch.* 3. 4. 5. *Apoc.* 5. 9.

IN III. NOCTURNO.

Ant. ℟ 2. *D.* Propter.

PSALMUS 38.

DIxi; Cuſtódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Póſui ori meo cuſtódiam, * cùm conſíſteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus ſum, & sílui à bonis: * & dolor meus renovátus eſt.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéſcet ignis.

Locútus ſum in linguâ meâ; * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et número dierum meórum quis eſt, * ut ſciam, quid deſit mihi.

Ecce menſurábiles poſuíſti dies meos; * & ſubſtántia mea tamquam nihilum ante te.

Verúmtamen univérſa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránſit homo; * ſed & fruſtrà conturbátur.

Theſaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ eſt expectátio mea? nonne Dóminus? * & ſubſtántia mea apud te eſt.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbriũ inſipiénti dediſti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quoniam tu fecíſti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuíſti hóminem, & tabéſcere fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego ſum apud te, & peregrínus, * ſicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrígerer priùſquam ábeam; * & ámpliùs non ero.

Ant. Propter iniquitátem corripuíſti hóminem: remítte mihi, Dómine, ut refrígerer. *v.* 12. 14.

Ant. ℣. 3. *A.* Numquid.

PSALMUS 40.

BEátus qui intélligit ſuper egenum & páuperem; * in die mala liberábit eum Dominus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus; * univérſum ſtratum ejus verſáſti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Dómine, miſerére meî, * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixerunt mala mihi; * Quando morietur

&

& peribit nomen ejus ?

Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem ſibi,

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípſum.

Advérsùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum conſtituérunt advérsùm me : * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miſeréte meî, & resúſcita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluíſti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me.

Me autem propter innocéntiam ſuſcepíſti; * & confirmáſti me in conſpéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Iſrael à ſæculo, & uſque in ſæculum : * Fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat ? Dómine, miſerére meî, & resúſcita me. *v.* 9. 11.

Ant. t. 8. *G.* Sitívit.

P s a l m u s 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie : Ubi eſt Deus tuus ?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meã; * quóniam tranſíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei;

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulántis.

Quare triſtis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat, * in voce cataractárum tuárũ.

Omnia excélſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo : Suſcéptor meus es;

Quare oblítus es meî ? * & quare contriſtátus incédo dum afflígit me inimícus ?

Dum confringúntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per ſíngulos dies ; * Ubi eſt Deus tuus ?

Quare triſtis es, ánima mea ? * & quare contúrbas me ?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ? *v.* 3.

℣. Ne ſimul trahas me cum peccatóribus, ℟. Et cum operántibus iniquitátem ne perdas me. *Pſal.* 27. 3.

Pater noſter, &c.

Lectio vij.

Job. *Cap.* 16. *v.* 23. & *Cap.* 17. *v.* 1. *ad* 4.

BReves anni tránſeunt, & ſémitam, per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & ſolum mihi ſúpereſt ſepúlchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, & pone me juxta te, & cujúſvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrectúrus ſum:* Et in carne mea vidébo Deũ meum. ℣. Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem ; & mortále hoc indúere immortalitátem. * Et in carne. *Job.* 19. 25. 26. 1. *Cor.* 15. 53.

Lectio viij.

Job. 17. *v.* 11. *ad* 16.

DIes mei tranſiérunt, cogitatiónes meæ diſſipátæ ſunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rurſum poſt ténebras ſpero lucem. Si ſuſtinúero, inférnus domus mea eſt, & in ténebris ſtravi léctulum meum. Putrédini dixi ; Pater meus es ; mater mea, & ſoror mea, vérmibus. Ubi eſt ergo nunc præſtolátio mea, & patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt ; álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium. ℣. Procédent qui bona fecérunt, in reſurrectiónem vitæ : qui verò mala egérunt, in reſurrectiónem judícii. * Evigilábunt. *Dan.* 12. 2. *Joan.* 5. 29.

Lectio ix.

Job. 19. *v.* 20. *ad* 28.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæſit os meũ, & derelícta ſunt tantùmmodo lábia circa dentes meos. Miſerémini meî, miſerémini meî, ſaltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare perſequímini me ſicut Deus, & cárnibus meis ſaturámini ? Quis mihi tríbuat ut ſcribántur ſermónes mei ? Quis mihi det ut exaréntur in libro ſtylo férreo, & plumbi láminâ, vel celte ſculpántur in ſilice ? Scio enim quòd Redémptor meus vivit, & in noviſſimo

die de terra ſurrectúrus ſum : & rurſum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem viſúrus ſum ego ipſe, & óculi mei conſpectúri ſunt, & non álius : repóſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

℞. Secúndùm multitúdinem miſericórdiæ nóminis tui, Dómine, * Líbera me à rugiéntibus, præparátis ad eſcam, † De mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: § A preſſúra flammæ quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51. 4. 5. 6. ℣. Per redemptiónem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propóſuit Deus propitiatiónem in ſánguine ipsíus propter remiſſiónem delictórum. *Rom.* 3. 24. 25. * Líbera me.. ℣. Vos, fratres, per Jeſum Chriſtum adjuvétis me in oratiónibus veſtris pro me ad Deum, ut líberer. *Rom.* 15. 30. 31. † De mánibus.. ℣. Non eſt in álio áliquo ſalus. *Act.* 4. 12. § A preſſúra. *repetitur* Secúndùm multitúdinem, *uſque ad* ℣. Per redemptiónem.

Quando dictum eſt unicum Nocturnum, omittitur ſuperius ℞. *& dicitur ſequens.*

℞. Líbera me, Dómine, à perſequéntibus me. * Educ de cuſtódiâ ánimam meam ad confiténdũ nómini tuo : † Me expéctant juſti, donec retríbuas mihi. ℣. Miſerére mei, Dómine fili David, ádjuva me.* Educ. Réquiẽ.† Me expéctant. *Pſ.* 141. 7. 8. *Matth.* 15. 22. 25.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* Humiliáſti nos, Dómine, in loco afflictiónis. ℞. Coopéruit nos umbra mortis. *Pſ.* 43. 20.

Inchoatur abſolutè ab Ant. t. 1. d. A peccáto.

In fine Pſalmorum dicitur Requiem, &c.

PSALMUS 50.

MIſerére meî, Deus, * ſecúndùm magnam miſericórdiam tuam ;

Et ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me ;

Quóniam iniquitátem meã ego cognóſco ; * & peccátum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccávi, & malũ coram te feci ; * ut juſtificéris in ſermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus ſum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexíſti : * incérta & occúlta ſapiéntiæ tuæ manifeſtáſti mihi.

Aſpérges me hyſſópo, & mundábor : * lavábis me, & ſuper nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam ; * & exultábunt oſſa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & ſpíritum ſanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; * & ſpíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas;* & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de ſanguínibus, Deus, Deus ſalútis meæ; * & exultábit lingua mea juſtítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam ſi voluíſſes, ſacrifícium dedíſſem útique,* holocáuſtis non delectáberis.

Sacrifícium Deo ſpíritus contribulátus; * cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jerúſalem.

Tunc acceptábis ſacrifíciũ juſtítiæ, oblatiónes & holocáuſta; * tunc impónent ſuper altáre tuum vítulos.

Ant. A peccáto meo munda me: & exultábunt oſſa humiliáta. *v.* 4. 10.

Ant. t. 8. *C.* Exáudi.

PSALMUS 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúſalem.

Exáudi oratiónem meam;* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt ſuper nos; * & impietátibus noſtris tu propitiáberis.

Beátus quem elegíſti, & aſſumpsíſti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * ſanctum eſt templum tuũ, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus ſalutáris noſter, * ſpes ómnium fínium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tuâ, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndum maris, ſonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à ſignis tuis: * éxitus matutíni, & véſperè delectábis.

Viſitáſti terram, & inebriáſti eam; * multiplicáſti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum eſt aquis; * paráſti cibum illórum; quóniam ita eſt præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in ſtillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéſcent ſpecióſa deſérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumén-

to : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi oratiónem meam : ad te omnis caro véniet. *v.* 3.

Ant. t. 1. *A.* Collocávit me.

PSALMUS 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tua ; * exáudi me in tua juſtítia ;

Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificábitur in conſpéctu tuo omnis vivens ;

Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſæculi ; * & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus ; in me turbátum eſt cor meum.

Memor fui diérum antiquórum ; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine ; * defécit ſpíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ; * & símilis ero deſcendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam ; * quia in te ſperávi.

Notam fac mihi viam, in quâ ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in miſericórdia tua diſpérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniã ego ſervus tuus ſum.

Ant. Collocávit me in obſcúris, ſicut mórtuos ſæculi ; & anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus. *v.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Dómine.

CANTICUM *Ezechiæ.* *Iſ.* 38. 10.

EGo dixi ; In dimídio diérũ meórum vadam ad portas ínferi : * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium ; * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta eſt, & convolúta eſt à me, * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcíſa eſt velut à texénte, vita mea ; dum adhuc ordírer ſuccídit me : * de manè uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad manè : * quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea.

De manè uſque ad véſperam finies me : * ſicut pullus hirúndinis ſic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuáti ſunt óculi mei * ſuſpiciéntes in excélſum.

Dómine, vim pátior, reſpónde pro me: *quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, corrípies me &, vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima.

Tu autem eruíſti ánimam meam, ut non períret ; * projecíſti poſt tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudabit te; * non expectábunt qui deſcéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

Ant. Dñe, vim pátior, reſpónde pro me: quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, cùm ipſe fécerit? *v.* 14. 15.

Ant. t. 7. D. Omnis ſpíritus.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus ; * laudáte eum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Requiem ætérnam.

Ant. Omnis ſpíritus laudet Dóminum. *v.* 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Per víſcera.

CANTIC. *Zach. Luc.* 1. 68.

BEnedíctus Dñus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ.

Et eréxit cornu ſalútis nobis; * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti;

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrum, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu inimicorum noſtrórum liberáti, * ſerviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Domini, paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus; * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem.

Ant. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, in quibus viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *v.* 78. 79.

Quando Officium peractum eſt ritu ſimplici, & dictum eſt unum tantùm Nocturnum, adduntur ante ultimam Orationem Preces ſequentes.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, &c. Pater, *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimas eórum de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Abſolutio.

Partem beátæ reſurrectiónis obtíneant, vitámque habére mereántur in cœlis; per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

PSALMUS 145.

Lauda, ánima mea, Dóminum, * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in filiis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos :

Dóminus érigit eliſos : * Dóminus díligit juſtos :

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Réquiem, &c.

Si Pſalmus, Lauda, anima mea, *dictus fuerit ad preces in Veſperis: loco illius dicetur ad Laudes*, De profundis clamavi, &c. *pag.* cxx.

℣. Dóminus vobíſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Oratio.

In Depoſitione Pontificis.

DEus, qui inter Apoſtólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli feciſti dignitáte vigere; præſta, quæſumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Sacerdotis.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quē in hoc ſæculo commorántem, ſacris munéribus decoraſti, in cœleſti ſede glorióſâ ſemper exúltet; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

In Depoſitione Defuncti.

ABsólve, quæſumus, Dómine, ánimam fámuli tui *N.* ut defúnctus ſæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis, humánâ converſatióne commíſit, tu véniâ miſericordiſſimæ pietátis abſtérge; Per Dóminum, &c.

In Depoſitione Defunctæ.

QUæſumus, Dómine, pro tua pietáte miſerére ánimæ fámulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ ſalvatiónis partem reſtítue; Per Dóminum noſtrum.

In die tertio, ſeptimo, & trigeſimo.

PRæſta, quæſumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus depoſitiónis diem (tértium) (séptimum) (trigéſimum) commemorámus, ſanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem miſericórdiæ tuæ perénnem infúndas; Per Dóminum, &c.

In Anniverſario die.

DEus indulgentiárum, Dómine: da ánimæ fámuli tui, (fámulæ tuæ) cujus anniversárium depoſitiónis diem commemorámus, refrigérii ſedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum, &c.

Cùm Officium ſit ritu ſimplici, & plures dicendæ ſunt Orationes. Orémus.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) quam de hoc ſæculo migráre juſſiſti, in pacis ac lucis regióne conſtítuas, & Sanctórum tuórum júbeas eſſe consórtem.

DEus véniæ largítor, & humánæ ſalútis amátor, quæſumus cleméntiam tuam, ut noſtræ congregatiónis fratres, propínquos, &. benefactóres, qui ex hoc ſæculo tranſiérunt, beatâ Maríâ ſemper vírgine intercedénte cum ómnibus San-

ctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómniũ Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remiſſiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam ſemper optavérunt, piis ſupplicatiónibus conſequántur; Qui vivis, &c.

Si pro pluribus celebretur Officium, prima ex illis Orationibus ponetur in plurali.

℣. Dóminus vobíſcum,

℞. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Requiéſcant in pace.

℞. Amen.

COMMENDATIONES ET ORATIONES IN OBSEQUIIS DEFUNCT. FACIENDÆ, Cum tribus ℞℞℞.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

OMnipoténtis Dei miſericórdiam deprecémur, chariſſimi, cujus judício náſcimur & mórimur; ut ſpíritum fratris noſtri (*vel* ſorória noſtræ) quem de incolátu mundi hujus tranſire præcépit, réquies ætérna ſuſcípiat, eúmque Dómini píetas in beáta reſurrectióne repræſéntet; & in sínibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob, inter ſanctos & eléctos ſuos collocáre dignétur; Præſtánte Dómino noſtro Jeſu Chriſto qui ventúrus eſt judicáre vivos & mórtuos, & ſæculum per ignem. ℞. Amen.

℞. 1. Dómine, propter iniquitátem corripuíſti hóminem; & tabéſcere fecíſti ſicut aráneam ánimam ejus.* Auribus pércipe lácrymas meas; & remítte mihi, ut refrígerer. ℣. Deus omnípotens, Rex ſæculórum, quia ſolus pius es. * Auribus. *Pſ.* 38. 12. 13. 14. *Apoc.* 15. 3. 4.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

DEus omnípotens, qui humáno córpori ánimam ad ſimilitúdinem tuam inſpiráre dignátus es: dum, te jubénte, pulvis in púlverem revértitur: tu imáginem tuam, cum ſanctis & eléctis tuis, ætérnis sédibus præcípias ſociári: repélle, quæſumus, ab ea omnes príncipes tenebrárum, & agnóſce depóſitum fidéle quod tuum eſt. Súſcipe creatúram tuam, non à diis aliénis creátam; ſed à te ſolo Deo vivo & vero: ne memíneris, clementíſſime Pater, iniquitátum ejus antiquárum quas ſuſcitávit furor mali deſidérii; licèt enim peccáverit; tamen te non negávit; ſed ſigno fídei inſignítа, in te Deum miſericordiárum ſperávit; Qui vivis & regnas in ſæcula. ℞. Amen.

℞. 2. Redemíſti, Dómine, virgam hæreditátis tuæ: * Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi, & ánimas páuperum tuórum ne oblivíſcáris in finem: réſpice in teſtaméntum tuum; ne aver-

tátur humilis factus confú-ſus. ℣. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo. * Ne tradas. *Pſ.* 73. 2. 19. 20. 21. *Apoc.* 5. 9.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

DIri vúlneris novitáte percúlſi, & quodámmodo córdibus ſauciáti, miſericórdiam tuam, mūdi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut chari noſtri *N.* (*vel* charæ noſtræ *N.*) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blandè lenitérque ſuſcípias: & quas ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte cleménter déleas: atque hanc tibi laudem cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quándoque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre, & Spíritu ſancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

℟. 3. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: * Non absórbeat me profúndum: neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum. † Exáudi me, quóniam benígna eſt miſericórdia tua. §. Réſpice in me, quóniam tríbulor; inténde ánimæ meæ, & líbera eam. *Pſ.* 68. 15. 16. 17. 18. 19. ℣. In die iræ & revelatiónis juſti judícii Dei, *Rom.* 2. 5. * Non absórbeat. ℣. Quia tu es Chriſtus, Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti. *Joan.* 11. 27. † Exáudi. ℣. Nec enim áliud nomen eſt ſub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos ſalvos fieri. *Act.* 4. 12. § Réſpice..... *Deinde repetitur* ℟. Líbera me, Dómine, *uſque ad Verſiculum primum.*

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, &c. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimam ejus de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneat, quæſumus, Dómine, ánima fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ,) vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi.

DEus, cui ſoli cómpetit medicínam præſtáre poſt mortem, præſta, quæſumus, ut ánima fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Quinque ſequentes Pſalmi dicuntur ſine Gloria Patri, *ſed in fine ultimi tantùm dicitur* Requiem.

Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154.

Levávi óculos meos, *p.* 71.

Lætátus ſum, *pag.* 111.

Ad te levávi, *pag.* 51.

Niſi quia Dóminus erat, *pag.* 71. *In fine dicitur* Requiem.

Deinde flexis genibus: Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum ſervis tuis, ℟. Quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. *Pſ.* 142. 2.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíſcum, ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

ABsólve, quæſumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in reſurrectiónis glória, inter ſanctos & eléctos tuos reſuſcitáti reſpírent; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Poſt Orationem ſtatim dicuntur alii Pſalmi Graduales, ut ſequitur, & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

In convertêndo, *pag.* 92.

Niſi Dóminus, *pag.* 52.

Beáti omnes qui timent, *pag.* 112.

Sæpè expugnavérunt me, *pag.* 133.

Poſtea dicitur flexis genibus:

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Pater, *ſecretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Memor eſto congregationis tuæ, ℟. Quam poſſediſti ab inítio. *Pſ.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Oratio.

DEus, cui próprium eſt miſeréri ſemper & párcere, súſcipe deprecatiónem noſtram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa conſtríngit, miſerátio tuæ pietátis cleménter abſólvat; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

Similiter poſt hanc Orationem dicuntur quinque Pſalmi ſequentes cum Gloria Patri, *in fine cujuslibet.*

De profúndis, *pag.* 133.

Dómine, non eſt exaltátum, *pag.* 133. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112. Ecce quàm bonum, *pag.* 113. Ecce nunc benedícite, *pag.* 158.

Deinde flexis genibus. Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. Pater noſter, *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Deus ómnium, miſeréré plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum eſt nomen tuum. *Eccli.* 36. 1. 14.

℣. Dómine, exáudi oratiónem, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

PRæténdе, quæſumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléſtis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póſtulant, cónſequi mereántur; Per Dóminum, &c.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; & tu das eſcam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Pſalm.* 144. 15. 16.

Glória Patri, &c. Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon. Pater noſter, *ſecretò.* ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum Dóminum noſtrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Menſæ cœléſtis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miſeréré noſtrî.

℟. Deo grátias.

Gratiarum Actio poſt Prandium.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

Qui benedixit menſam, dicit:

AGimus tibi grátias, omnípotēs Deus, pro univérſis beneficiis tuis; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Deinde procedendo ad Eccleſiam dicitur Pſalm. Miſeréré, &c. *Si verò non procedatur, dicitur Pſalm.* Laudáte Dñum, omnes, &c. Glória, &c.

Kyrie, eléïſon, &c. *ut ſuprà.* Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Diſpérſit, dedit paupéribus: ℟. Juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Pſ.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant manſuéti & læténtur. *Pſ.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípſum. *Pſ.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculū. *Pſ.* 112. 2.

℣. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen ſanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Mediocri voce. ℣. Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requiéſcant in pace.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes & ſaturabúntur : & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in ſæculum ſæculi. *Pſ.* 21. 27. Glória Patri. Kyrie, &c. *ut ſuprà.* Pater noſter, &c.

Clarà voce. Et ne nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dñe, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte ſumus ſumptúri; Per Chriſtum, &c. ℟. Amen.

Ad Benedictionem Lectoris.

Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO poſt Cœnam.

MEmóriam fecit mirabílium ſuórum, miséricors & miſerátor Dóminus; eſcam dedit timéntibus ſe. *Pſ.* 110. 4. 5.

Glória Patri, &c.

Qui benedixit menſam, dicit :

BEnedíctus Deus in donis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis; Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Pſalmi & reliqua, ut poſt prandium.

ITINERARIUM.

Viator in ipſo itineris ingreſſu, ſi ſolus fuerit, dicat quæ ſequuntur in ſingulari : ſi cum ſociis, in plurali.

In Cant. Benedíctus.

Ant. In viam pacis & proſperitátis dírigat nos omnípotens, & miséricors Dóminus : & Angelus Ráphael comitétur nobíſcum in via, ut cum pace, ſalúte, & gáudio revertámur ad própria. *Tob.* 5. 21. 27.

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c.

Et ne nos, &c. ℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de ſancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Pſ.* 19. 3.

℣. Eſto nobis, Dómine, turris fortitúdinis ℟. A facie inimíci. *Pſ.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis; ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Pſ.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie, ℟. Próſperum iter fáciat nobis Deus ſalutárium noſtrórum. *Pſ.* 67. 20.

℣. Vias tuas, Dómine, demónſtra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Pſalm.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ noſtræ, ℟. Ad cuſtodiéndas juſtificatiónes tuas. *Pſalm.* 118. 5.

℣. Erunt prava in dirécta; ℟. Et áſpera in vias planas. *Iſ.* 40. 4.

℣. Angelis ſuis Deus mandávit de te; ℟. Ut cuſtódiant te in ómnibus viis tuis. *Pſ.* 90. 11.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

DEus,. qui filios Iſrael per maris médium ſicco veſtígio ire fecíſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtellâ duce, pandíſti: tríbue nobis, quæſumus, iter próſperum tempúſque tranquíllum: ut Angelo tuo ſancto cómite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad ætérnæ ſalútis portum perveníre feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes ſuæ peregrinatiónis vias illæſum cuſtodíſti: quæſumus, ut nos fámulos tuos cuſtodíre dignéris: eſto nobis, Dómine, in procinctu ſuffrágium, in via ſolátium, in æſtu umbráculum, in plúvia & frígore teguméntum, in laſſitúdine vehículum, in adverſitáte præsídium: in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce quò téndimus, próſperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADéſto, quæſumus, Dómine, ſupplicatiónibus noſtris, & viam famulórum tuórum in ſalútis proſperitáte diſpóne: ut inter omnes viæ & vitæ varietátes, tuo ſemper protegámur auxílio.

PRæſta, quæſumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam ſalútis incédat, & beati Joánnis Præcursóris hortaménta ſectándo, ad eum quem prædixit, ſecúra pervéniat, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum; Qui tecum, &c.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nomine Dómini. Amen.

PRÆPARATIO AD MISSAM, AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſalmi. Quàm diléćta, *pag.* 99. Benedixíſti, *pag.* 78. Inclína, *pag.* 78. Crédidi, *pag.* 91. De profúndis, *pag.* 133.

Ant. Dómine, memor eſto meî: & ne vindíćtam ſumas de peccátis meis: neque reminiſcáris delíćta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

KYrie, eléïſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miſerére meî, ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò, ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſanćti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18. 13. 14.

℣. Dñe, exáudi, &c. ℣. Dñus vobíſcũ, &c. Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ Spíritûs ſanćti illúmina cor noſtrum: ut tuis myſtériis dignè miniſtrare, teque ætérnâ charitáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum: purífica per infuſiónem ſanćti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri; ut te perfećtè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne ſanćti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

ADſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſanćti: quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

DEus, qui corda fidélium ſanćti Spíritûs illuſtratióne docuíſti: da nobis in eódem Spíritu rećta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

COnſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo puríſica: ut véniens Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem; Qui tecum vivit & regnat, &c.

℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ant. Benedícite.

Canticum. Benedícite, ómnia, *pag.* 10. *Pſ.* Laudáte Dóminum in ſanctis ejus. *pag.* 11.

Ant. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino, laudáte, & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

KYrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon, &c. Pater noſter, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua,

℟. Et ſancti tui benedícant tibi. *Pſ.* 144. 10.

℣. Exultábunt ſancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus ſuis. *Pſ.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; * ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Pſ.* 113. 9.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobíſcum, &c.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigáſti flammas ígnium: concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes noſtras, quæſumus, Dómine, aſpirándo præveni, & adjuvándo proſéquere; ut cuncta noſtra orátio & operátio à te ſemper incípiat, & per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæſumus, Dómine, vitiórum noſtrórum flammas extínguere: qui beáto Lauréntio tribuíſti tormentórum ſuórum incéndia superáre; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

INDEX PSALMORUM.

Pſalmi. *Paginæ.*

119 AD Dóminum cùm tribulárer. 154
27 Ad te, Dómine, clamábo. 57
24 Ad te, Domine, levávi. 76
122 Ad te levávi óculos meos. 51
28 Afférte Dómino, filii Dei. 5
77 Atténdite, pópule meus. 84
48 Audíte hæc, omnes gentes. 139

118 BEáti immaculáti in via. 13
127 Beáti omnes qui timent Dóminum. 112
31 Beáti quorum remíſſæ ſunt. 115
40 Beátus qui intélligit. 116
1 Beátus vir qui non ábiit. 3
111 Beátus vir qui timet Dominum. 151
33 Benedícam Dóminum in omni témpore. 60
103 Bénedic, ánima mea, Dómino: Domine Deus. 69
102 Bénedic, ánima mea, Dómino; & ómnia. 50
143 Benedíctus Dóminus Deus meus. 155
84 Benedixíſti, Dómine, terram tuam. 78
91 Bonum eſt confitéri Dómino. 38

95 CAntáte Dómino cánticum novum: cantáte. 104
149 Cantáte Dño cánticum novum: laus ejus. 146
97 Cantáte Dómino cánticum novum; quia. 83
18 Cœli enárrant glóriam Dei. 28
74 Confitébimur tibi, Deus. 31
110 Confitébor tibi, Dómine... in concilio. 94
9 Confitebor tibi, Dómine... narrábo. 40
137 Confitébor tibi, Dómine... quóniam audiíſti. 53
104 Confitémini Dómino, & invocáte. 105
135 Confitémini Dómino quóniam... Confitémini 98
106 Confitémini Dómino quóniam... Dicant qui. 109
117 Confitémini Domino quóniam... Dicat nunc. 42
105 Confitémini Dómino quóniam... Quis loquétur. 107
15 Conſerva me, Dómine. 65

115 Crédidi, propter quod locútus ſum. 95
4 Cum invocárem. 156

129 De profúndis clamávi ad te, Dómine. 133
43 Deus, áuribus noſtris audívimus. 147
49 Deus deórum Dóminus locútus eſt. 30
62 Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo. 9
21 Deus, Deus meus, réſpice in me. 129
69 Deus, in adjutórium meum inténde. 119
53 Deus, in nómine tuo ſalvum me fac. 59
71 Deus, judícium tuum regi da. 98
108 Deus, laudem meam ne tacúeris. 125
66 Deus miſereátur noſtri. 82
45 Deus noſter refúgium & virtus. 96
82 Deus, quis ſímilis erit tibi? 50
59 Deus, repuliſti nos. 119
81 Deus ſtetit in ſynagóga deórum. 32
78 Deus, venérunt gentes. 121
93 Deus ultiónum Dóminus. 152
114 Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus. 158
17 Díligam te, Dómine. 45
38 Dixi: Cuſtódiam vias meas. 128
109 Dixit Dóminus Dómino meo. 24
35 Dixit injuſtus ut delínquat. 137
52 Dixit inſipiens... in iniquitátibus. 32
13 Dixit inſipiens... in ſtudiis ſuis. 75
140 Dómine, clamávi ad te. 134
7 Dómine Deus meus, in te ſperávi. 55
87 Dómine Deus ſalútis meæ. 120
8 Dómine Dóminus noſter. 28
142 Dómine, exáudi oratiónem meam: áuribus. 53
101 Dómine, exáudi oratiónem meam, & clamor. 48
20 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex. 5
6 Dómine, ne in furóre tuo.... Miſerére. 114
37 Dómine, ne in furóre... Quóniam. 115
130 Dómine, non eſt exaltátum cor meum. 133
138 Dómine, probáſti me. 72
3 Dómine, quid multiplicáti ſunt. 4
14 Dómine, quis habitábit. 135
89 Dómine, refúgium factus es nobis. 79
23 Dómini eſt terra. 54
26 Dóminus illuminátio mea. 137
22 Dóminus regit me. 57
92 Dóminus regnávit, decórem indútus eſt. 9

96 Dóminus regnávit, exúltet terra. 83

98 Dóminus regnavit, iraſcántur pópuli. 81

133 Ecce nunc benedícite Dóminum. 198

132 Ecce quàm bonum. 113

58 Eripe me de inimícis meis. 118

139 Eripe me, Dómine, ab homine malo. 134

44 Eructávit cor meum verbum bonum. 95

144 Exaltábo te, Deus meus rex. 73

29 Exaltabo te, Dómine, quóniam. 6

19 Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis. 4

60 Exáudi, Deus, deprecatiónem meam. 97

63 Exáudi, Deus, oratiónem meam, cùm deprecor. 77

54 Exáudi, Deus, oratiónem meam, & ne. 117

16 Exaudi, Domine, juſtitiam meam. 136

39 Expectans expectavi Dominum. 95

80 Exultáte Deo adjutori noſtro. 7

32 Exultate, juſti, in Dómino. 29

67 Exurgat Deus, & diſſipéntur inimíci ejus. 88

86 Fundaménta ejus in móntibus ſanctis. 99

85 Inclína, Dómine, aurem tuam. 78

125 In convertendo Dóminus. 92

10 In Dómino confído. 55

113 In éxitu Iſraël de Ægypto. 26

70 In te, Dómine, ſperavi.... & éripe me. 90

30 In te, Dómine, ſperávi.... in juſtítia. 131

65 Jubiláte Deo, omnis terra, pſalmum. 60

99 Jubiláte Deo, omnis terra: ſervíte. 9

34 Júdica, Dómine, nocéntes me. 68

42 Júdica me, Deus, & diſcérne. 76

25 Júdica me, Dómine, quóniam. 94

121 Lætátus ſum in his. 118

145 Lauda ánima mea, Dóminum. 102

147 Lauda, Jerúſalem, Dóminum. 93

148 Laudate Dóminum, de cœlis. 36

150 Laudate Dominum in ſanctis ejus. 141

116 Laudáte Dóminum, omnes gentes. 91

146 Laudáte Dóminum, quóniam bonus. 63

134 Laudáte nomen Domini. 58

Pſalmi.		Pagine
112	Laudáte, púeri, Dóminum.	25
120	Levávi óculos meos in montes.	71
47	MAgnus Dóminus, & laudábilis.	97
131	Meménto, Dómine, David.	112
56	Miſerére mei, Deus, miſerére mei.	77
50	Miſerére mei, Deus, quóniam.	58
55	Miſerére mei, Deus, ſecúndùm.	120
100	Miſericórdiam & judícium.	148
88	Miſericórdias Dómini in ætérnum.	103
126	NIſi Dóminus ædificáverit domum.	52
123	Niſi quia Dóminus erat in nobis.	71
36	Noli æmulári in malignántibus.	86
61	Nonne Deo ſubjécta erit.	59
75	Notus in Judæa Deus.	7
46	OMnes gentes, pláudite mánibus.	35
107	PArátum cor meum, Deus.	100
72	QUàm bonus Iſrael Deus.	149
83	Quàm diléćta tabernácula tua.	99
2	Quare fremuérunt gentes.	3
41	Quemadmodum desíderat cervus.	139
124	Qui confídunt in Dómino.	72
51	Quid gloriáris in malítia.	58
90	Qui hábitat in adjutório Altíſſimi.	157
79	Qui regis Iſrael, inténde.	141
128	SÆpè expugnavérunt me.	133
68	Salvum me fac, Deus.	117
11	Salvum me fac, Dómine.	75
57	Si verè útique juſtítiam.	64
136	Super flúmina Babylónis.	154
64	TE decet hymnus, Deus, in Sion.	60
94	VEníte, exultémus Dómino.	2
5	Verba mea áuribus pércipe, Dómine.	121
76	Voce meâ ad Dóminum... voce meâ ad Deum.	32
141	Voce meâ ad Dóminum... voce meâ ad Dñum.	154
12	USquequò, Dómine.	56
73	Ut quid, Deus, repuliſti in finem?	64

INDEX
CANTICORUM PSALTERII.

AUdíte, cœli, quæ loquor.	143
Benedícite Dóminum.	101
Benedícite, ómnia ópera.	10
Benedíctus Dóminus Deus Iſrael.	11
Benedíctus es, Dómine.	36
Cantémus Dómino.	61
Collaudáte cánticum.	62
Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es.	101
Dómine, audívi.	123
Ego dixi: In dimídio.	82
Exultávit cor meum.	35
Magníficat.	27
Magnus es, Dómine.	124
Miſerére noſtri, Deus.	83
Nunc dimíttis.	158
Urbs fortitúdinis noſtræ.	146

FINIS.


1. Ton.
DI- xit Dóminus Dómino
me- o : Se-de à dextris me- is. *D.*
à dex-tris me- is. *d.* à dex-tris
me- is. *A.* à dextris me- is. *F.*
Do-nec ponam. Ma- gni- fi- cat.
Et e-xultá-vit ſpí- ri- tus me- us.
Irreg. In e-xi-tu Iſra-el de Ægypto,
domus Jacob de pó-pulo bárba-ro.

2. Ton.


DI- xit Dóminus Dómino
me- o: Se-de à dextris me-is. *D.*
Donec ponam. Ma- gní- fi- cat.
Et e- xul- tá- vit ſpí- ri- tus me- us.
Di- xit Dóminus Dó-mino me- o: Se-
de à dextris me- is. *d.* Do-nec po-
nam. Ma-gní- fi-cat. Et e-xul-
tá-vit ſpí- ri- tus me- us.


3. Ton.


DI-xit Dóminus Dómino
me-o: Se-de à dex-tris me-is. A.
à dextris me-is. a. à dex-tris
me-is. E. Do-nec po-nam. Ma-
gni-ficat. Et e-xultá-vit ſpi-ri-
tus me-us.

4. Ton.


DI-xit Dóminus Dómino
me-o; Se-de à dextris me-is. E.


à dextris me- is. A. Do-nec po-nam.
Magni- fi-cat Et e- xultá-vit ſpi-
ri-tus me- us.
5. Ton.
DI-xit Dóminus Dómino
me-o: Se-de à dex- tris me- is. F.
à dextris me-is. A. Donec po-nam.
Ma-gni- fi-cat. Et e- xultá-vit ſpi-
ri-tus me- us.



Feriâ quintâ, ſextâ & Sabbato ante Paſcha, ſicut & in Officio Defunctorum, in Pſalmis atque Canticis omnes Verſus cantantur ut ſuprà notatur : Donec ponam.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra ; SALUT. Notre bien amé féal Conſeiller en nos Conſeils, le Sieur SCIPION-JERÔME BEGON, Evêque de Toul, Nous a fait expoſer, qu'il auroit beſoin de nos Lettres de Privilége pour l'Impreſſion des Uſages de ſon Diocéſe. A ces cauſes, voulant traiter favorablement ledit Sieur Evêque, Nous lui avons permis & permettons par ces Préſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, tous les *Breviaires*, *Diurnaux*, *Miſſels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Manuels*, *Graduels*, *Proceſſionaux*, *Epiſtoliers*, *Pſeautiers*, *Demi-Pſeautiers*, *Directoires*, *Heures*, *Catéchiſmes*, *Ordonnances*, *Mandemens*, *Statuts Synodaux*, *Lettres Paſtorales & Inſtructions à l'uſage de ſondit Diocèſe*, en tels volumes, formes, marges, caractères, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera; & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de *vingt années conſecutives*, à compter du jour de la date deſdites Préſentes; ſans toutefois qu'à l'occaſion des Livres cy-deſſus ſpécifiés, il puiſſe en être imprimé d'autres qui ne ſoient pas dudit Sieur Evêque. Faiſons défenſes à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre & débiter leſdits Livres, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, ſous quelque prétexte que ce ſoit, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & interêts; A la charge que ces Preſentes ſeront enrégitrées tout au long ſur le Régitre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans

trois mois de la date d'icelles. Que l'impreſſion de ces Livres ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bons papiers & en beaux caractéres, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les manuſcrits ou imprimés qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres, ſeront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Dagueſſeau, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Préſentes: Du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Expoſant & ſes ayans Cauſes, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Préſentes, qui ſera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin deſdits Livres, ſoit tenuë pour duëment ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conſeillers & Sécrétaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier, ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'éxécution d'icelles, tous Actes requis & néceſſaires, ſans demander autre Permiſſion, & & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Verſailles le ſeiziéme jour du mois de Mars, l'an de grace, mil ſept cent quarante-huit, & de notre Régne le trente-troiſiéme.

Par le ROY en ſon Conſeil,
SAINSON.

Régiſtré ſur le Régiſtre II. *de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris*, n. 930. *fol.* 820. *conformément au Réglemens de* 1723. *qui fait déſenſes*, *Art.* iv. *à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre, huit Exemplaires preſcrits par l'Article* cviij. *du même Réglement. A Paris le* 19. *Mars* 1748.

G. CAVELIER,
Syndic.

CESSION DU PRIVILEGE.

NOus SCIPION-JEROME BEGON, Evêque Comte de Toul, déclarons avoir cédé & tranſporté aux Srs. Louis Rolin & Antoine Leſeure, Imprimeurs & Marchands-Libraires, le Privilége du Roy à Nous accordé, pour l'impreſſion *des Antiphonaire, Graduel, Miſſel, Proceſſional, Breviaires, Diurnal, Pſeautiers, & Demi-Pſeautier*, à l'uſage de notre Diocèſe, ſelon la teneur dudit Privilége. Fait à Toul ce vingt-neuf Juin mil ſept cent quarante-huit.

† SCIPION-JEROME, Ev. C. de Toul.

Je ſouſſigné confeſſe avoir cédé & tranſporté au Sieur Antoine Leſeure, la part qu'il a plû à Monſeigneur l'Evêque de me donner au Privilége cy-deſſus. A Toul, ce 29. Juin 1748.

Louis Rolin, l'Aîné.

Pag.	Col.	in.	Erratum.	Correctio.
			IN PSAL	TERIO.
29	2	24	in genetatiónem.	in generatióne.
71	2	43	noſta.	noſtra.
92	1	15	replétum gáudio.	replétum eſt gáudio.
101	1	33	& dimíſi.	& dimíſit.
104	2	39	non eſt auxiliátus.	non es auxiliátus.
			IN PROPRIO	DE TEMPORE.
185	1	1	prohético.	prophético.
188	2	7	& gemináre.	& germináre.
227	1	32	lius.	álius.
ibid.	1	33	plan ábunt.	plantábunt.
230	1	44	munu.	munus.
265	1	25	juxa.	juxta.
293	2	39	ipſe eſt Dóminus.	ipſe Dóminus.
301	1	4	nihil refert.	nil refert.
309	2	3	quem vis des.	quem vides.
381	2	39	obivíſci.	oblivíſci.
402	1	36	Iſpe ægrótus.	Ipſe ægrótus.
404	2	21	óderant pacem.	odérunt pacem.
407	1	17	ad cognſcéndam.	ad cognoſcéndam.
411	1	25	utine.	uti ne.
423	1	6	in in médio.	in médio.
433	2	24	ſemónem.	ſermónem.
456	1	9	neſciút.	néſciunt.
			IN PROPRIO	SANCTORUM.
489	1	12	*Judith.* 5. 7. 8.	*Judicum.* 5. 7. 8.
491	1	1	pau- átim.	paulatim.
499	2	17	ilſam.	illæſam.
518	2	6	coſtitútio.	conſtitútio.
529	1	5	promiſi tenim.	promiſit enim.
539	1	14	doeiuſti.	docuíſti.
555	2	40	nihi.	nihil.
561	1	24	Benedíſti.	Benedixíſti.
563	2	7	ráſalem.	Jerúſalem.
568	1	4	pag. xxix.	pag. xxiv.

Errata Partis Hyemalis.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Erratum.*	*Correctio.*
			IN COMMUNI SANCTORUM.	
lxiv	2	41	ut quot.	ut quod.
lxxxix	1	39	ons ipſi.	nos ipſi.
lxxx	2	35	adhoratur.	adhortátur.
xcvij	2	36	péperi.	péperit.

12994
L, a.